Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Sermonum decas quinta. : De rebus quarum elenchum versa pagella exhibebit, ad illustrissimu[m] principem Heinrychum Grayum marchionem Dorcestriae, &c.

https://hdl.handle.net/20.500.14918/462027

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection


Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

E. qu.
80




14



N. 50. B.

N.° 14. ~~gg~~. BB.

SERMONVM Decas quinta.

De rebus quarum elenchum uersa pagella exhibebit, ad Illustrissimũ principem Heinrychum Grayum marchionem Dorcestriæ, &c. authore Heinrycho Bullingero.

TOMVS TERTIVS.

IESVS.

HIC est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI APVD FROSCHOVERVM,
Mense Martio, Anno M. D. LI.



ELENCHVS RERVM TRACTA-
tarum in hoc libro.

De ſancta catholica Eccleſia.

De Miniſterio & miniſtris Chriſti & eccleſię.

De modo & ratione orandi deum.

Expoſitio breuis ſed perſpicua ſacræ orationis dominicæ.

De Sacramentis Chriſti & eccleſiæ.

De ſancto Chriſti Baptiſmo.

De ſacra domini Cœna.

De quibuſdam eccleſiæ dei Inſtitutis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, D. HEINRYCHO GRAYO,

Marchioni Dorceſtriæ, Domino Ferrers, de Grouby, Herington, Bonuuyll & Aſchle, Sereniſſimæ R. M. & inclyti regni Angliæ à conſilijs, Heinrychus Bullingerus Gratiam & pacem optat à deo patre, per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum.

NON exiſtimo me poſſe ullo de negotio conuenientiore, apud te, illuſtriſſime Princeps, diſſerere, quàm de ſalute eccleſiæ Anglicanæ, adeoq; de incolumitate regni inclyti totus conſeruanda: cum deo opt. max. ſic diſponente factum ſit, ut in ſereniſſimæ maieſtatis regiæ & inclyti regni Angliæ ſanctiſſimum conſilium ſis allectus: atq; ea de cauſa maxime ad te pertineat & noſſe & procurare ſalutem regni publicam. Optimam uero incolumitatis partem haud dubie tenet, qui unde ſit regnorum pernicies intelligit. Non exiſtit autem pernicioſior regnorũ peſtis, quàm ex corruptione religionis uerę. Nam ſplendidius bonũ non conſequuntur regna, quàm ex religione ſyncera, aut ſi corrupta fuerat, rurſus repurgata. Hoc bono fruitur iam ex parte inclytum Angliæ regnum, dum eccleſiam reformans, & ueterẽ religionis puritatẽ reuocat reparatq;, & nouos illos abuſus errores ac ſuperſtitiones, quas iam ſæculis aliquot inoleuiſſe uidimus, excutit tollitq; é medio. Vnde dubium non eſt tantæ felicitatis perturbatorem futurum, et inæſtimabile damnum uniuerſo regno daturum, quiſquis remoram ſanctiſſimo feliciſſimoq; illi inſtituto ueſtro inijceret. At prodijt nuper Bulla indictionis Concilij œcumenici, ut uocant, Tridenti ad Calendas Maij celebrandi: ex quo cum à multis ſeriò expectetur eccleſiæ reformatio, erunt fortaſſis & apud uos ſicuti reperiuntur ubiq;, quibus uidebitur ea eſſe expectanda, & hactenus à cœpta reformatione ceſſandum. Hæc Indictio Concilij et expectatio reformationis, ueſtram poterat turbare felicitatem, ac rem bene cœptam remorari aut impedire. Tuum ergo, illuſtriſſime princeps, & omnium aliorum regni ſanctiſſimorum procerũ,

erit diligenter inſpicere & inuigilare ne quid hinc damni accipiat cum ſancta Chriſti eccleſia regnum ampliſsimum. Ego ſolidis argumentis etiam ad oculum, quod dici ſolet, demonſtrabo uaniſsimam eſſe illam reformationis expectationem. Concilium enim non in alium finem à pontifice eſſe inſtitutum, quàm ad confirmationem ueteris erroris ſuperſtitionisq;, & ad euerſionem cœptarum per Germaniam, Angliam, Daniam, aliasq; nationes Chriſtiani orbis, reformationum, imò ad puræ uel ſynceræ ueritatis euangelicæ oppreſsionem. Ea re deprehenſa, intelligent omnes pij in eccleſia Chriſti ſibi progrediundum eſſe, & in cœptis reformationibus, & in omnibus alijs pietatis officijs, nõ expectata reformatione illa, quam omnes pij breui experientur nullam, aut ſi aliquam, certe non legitimam futuram. Equidem indicitur Concilium ab iſtis hominibus non generale & liberum, ſed olim quidem cœptum Tridenti, nunc autem ibidem continuandum, & in eo ſtatu quo uiuente adhuc Paulo III. eius nominis pontifice erat, reaſſumendum: cuius etiam placita decretáue omnia in huius Concilij negotio edita confirmantur. Cæterum in publicis ſub Paulo illo editis ſcriptis non ſemel diſertis exprimitur uerbis, Concilium ad extirpandas hæreſes eſſe inſtitutum. Idem Paulus omnes nos profitentes euangelium & poſtulantes ex uerbo dei reformationem, docentesq; Chriſtum Ieſum, non Papam, & quidem Chriſtum Ieſum ſolum eſſe caput, paſtorem & pontificem ſummum eccleſiæ catholicæ, accuſauit damnauitq; hæreſeos. Ergo cum Concilium inſtitutum ſit ad excindendas hæreſes, ac hæretici habeantur qui reformationem ex uerbo dei poſtulant uel auſpicantur, quis non uideat Concilium indictum eſſe non pro reformandis eccleſijs, ſed pro excindendis cœptis reformationibus? Quibus accedit quod ad Concilium illud non uocantur docti & pij, prudentes & ſancti ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, ſed duntaxat iuramento obſtricti pontifici. Ita enim habent indictionis uerba, Conuocamus omnes omnibus ex locis, tam uenerabiles fratres noſtros patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & dilectos filios abbates, quàm alios quoſcunq; quibus iure aut priuilegio in Concilijs generalibus reſidendi & ſententias in eo dicendi permiſſa potestas eſt, mandantes in ui iuriſiurandi, quod nobis & huic ſanctæ ſedi præſtiterunt, ac in uirtute ſanctæ obedientiæ, ut ipſimet adſint. Claret ergo

Concilium inſtitutũ ad extirpãdas hæreſes.

quinam

quinam uocati in Concilium, atq; huius ueluti patres assessores & iudices sint. Quid uero expectes ab illis qui iureiurando & Papæ & Romanæ ecclesiæ sic obstricti sunt, ut non possint aliud, nisi quod ille uult, et quod ad huius incolumitatem pertinet? In hæc enim uerba iurant episcopi & Romanæ ecclesiæ proceres, Papæ sese obstringentes, Papatum Romanum & regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Iura, honores, priuilegia & authoritatem Romanæ ecclesiæ, domini nostri Papæ & successorum eius conseruare, defendere, augere & promouere curabo: nec ero in consilio, aut facto, aut tractatu, in quibus contra dominum nostrum uel Roman. ecclesiam aliqua sinistra uel præiudicialia personarum, iuris, honoris, status & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibusdam tractari cognouero, impediam pro posse. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones & mandata apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos, schismaticos et rebelles domino nostro, pro posse persequar & impugnabo. Sic inquam iurarunt illi. At qui huiusmodi iuramento obstricti ueniunt ad Concilium, quid obsecro de negotio religionis contrauerso pronunciaturos speramus? Stulti nedum impij fuerimus, profecto, si horum determinationi ecclesias sanguine Christi redemptas subdiderimus. Iam enim quid pronunciaturi sint scimus, & ueluti in manibus retinemus, id uidelicet quod faciat pro propagatione assertione conseruationeq; papatus, & pro subuersione religionis nostræ inimitentis uerbo Christi filij dei.

Procerũ ecclesiæ iuramentũ Papæ præstitũ.

Porrò si rata esse debent omnia Pauli papæ decreta & quæ hactenus ille definiuit in negotijs Concilij, ratæ utiq; erunt & sessiones illæ septem sessionúmue decreta iam dudum uulgata: quæ quidem plurima nobis suggerunt argumenta, testantia Concilium illud non esse institutum ad inquirendam illustrandamq; ex scripturis ueritatem, aut ad legitimam ecclesiæ reformationem faciendam, sed ad confirmationem erroris, abusuum, superstitionisq; Romanæ ecclesiæ, imò ad impediendas reformationes iustas & sanctas. Nam ut ex multis paucula modo commemorem, Sessione 4. Decreto primo sic pronunciant, Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in spiritu sancto legitime cõgregata, orthodoxorũ patrũ

Qualia decreta Concilij Tridentini.

exempla sequuta, omnes libros tam ueteris quàm noui Testamenti, necnõ traditiones (non scriptas) cum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam uel oretenus à Christo, uel à spiritu sancto dictatas, & continua successione in ecclesia catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & ueneratur. His mox attexunt catalogum librorum Canonicorum, quibus tamen commiscent ecclesiasticos non canonicos. Deinde anathemate percutiunt omnes traditiones aspernantes, & non omnes illos libros pro canonicis recipientes: ac testantur Concilium illis potissimum testimonijs ac præsidijs in confirmandis dogmatibus, & instauran dis in ecclesia moribus usurum. In eadem sessione obtrudunt ecclesiæ, reiectis omnibus alijs uersionibus, pro libro authentico uersionem receptã Bibliorum Latinam. Et quantum attinet ad sensum sanctæ scripturæ, palam condemnant omnem expositionem non congruentem sensui, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, unanimiq; consensui patrum. Ad ecclesiam enim pertinere asseuerãt, iudicare de uero sensu & interpretatione scripturarum.

In his quatuor præcipue obseruanda moneo & diligenter excutienda. Primum quod non solas scripturas canonicas recipiunt, ex quibus statuant de religionis ueritate uel falsitate, sed his præterea adiungũt ἀγραφα, siue traditiones continua in ecclesia successione seruatas & non scriptas. Secundum quod canonicis libris miscent non canonicos libros, imò hos non recipiẽtes pro canonicis anathemate percutiunt. Tertium quod editionem Bibliorum uulgarem Latinam pro libro illo authentico ecclesiæ obtrudunt. Quartum quod nullum alium scripturæ sensum, quàm sanctæ matris ecclesiæ admittunt. Ex his enim liquido quid indicto Concilio quærant, apparet.

De Traditionibus nõ scriptis.

Si solis scripturis negotium religionis contrauersum legitime decidi uellent patres isti, quid opus erat adiũgere traditiones nõ scriptas? Quasi uero scripturæ diuinæ sine non scriptis traditionibus ad plenam reformationem parandam non sufficiant. Verum non ignorant pleraq; papismi nullis scripturis disertis, uel rationibus è scriptura deductis, demonstrari posse: confingunt ergo ἀγραφα, uel traditiones non scriptas, quibus sar-

ciant

eiant commode quod scripturis deesse, uel scripturis demonstrare non posse uident. His enim traditionibus saluis incolumia erunt uel absurdissima illorum. Quoties enim scripturarum authoritate destituentur, recurrent ad figmentum traditionis. Traditio erit Oratio pro defunctis. Traditio erit Cœlibatus ministrorum ecclesiæ. Traditio erit Missa. Traditio erit Vsus imaginum in templis. Breuiter traditio erit quicquid hactenus tota obseruauit concorditer ecclesia Romana, tametsi nullibi nec pictum nec scriptum inueniatur in libris canonicis, imò cum his pugnet ex diametro. Hoc est, traditio erit quicquid uoluerint.

Traditiones Iudæorum.

Iactarunt quondam & Iudæi suas Traditiones quas appellarunt patrum: uerum audierunt à saluatore nostro, Quare transgredimini præceptum dei propter traditionem uestram? Deinde exemplo è traditionibus prolato et per antithesim composito cum uerbo dei, ostendit illas cum hoc pugnare, deinde subiungit, Irritum feciſtis præceptum dei propter traditionem uestram. Hypocritæ, recte de uobis prædixit Isaias, dicens, Appropinquat mihi populus, hic ore & labijs suis me honorat: cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Cum ergo etiam nos ostendere possumus traditiones illorum, quas uiuas uocant, pugnare cum scripto uerbo dei, quis obsecro negabit etiam ipsas cum Iudæorum traditionibus à Christo esse reiectas atq; condemnatas? Aedant ergo suas illas traditiones, quas æquali cum scripturis reuerentia suscipiam. Facile enim ex similitudine uel contrarietate apparebit quid sit apostolicum, quid supposititicium. Certissimum est enim apostolos dei non diuersa uoce uiua & scriptis suis ad posteros transmissis tradidisse. Vnde apostolicum omnino esse non potest, quod pugnat cum scriptis apostolicis.

Traditiones apostolicæ.

Obijciunt defensores traditionum non scriptarum, ipsos etiam apostolos meminisse in scriptis suis traditionum non scriptarum. Cæterum nos negamus apostolos de illis loquutos esse traditionibus de quibus illi sentiunt. Testatur S. Lucas ea se scripta historia euangelica comprehendisse, quæ tradiderunt (en quæ tradiderunt) hi qui suis uiderant oculis. Proinde quæ olim fuerat uiua apostolorum traditio, iam in literas & scripturam relata est per S. Lucam. Sed & S. Paulus summam doctrinæ Christi-

næ comprehendens, Tradidi uobis imprimis, ait, quod et acceperam, quod Christus dominus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundum scripturam, &c. En coniungit apostolus traditionem uiuam cum scriptura, præterea nunc quoq; scriptura comprehendit qualis fuerat eius traditio. Idem rursus traditionis de Cœna domini mentionẽ faciens in epistola ad Corinthios, protinus qualis ea traditio fuerit scripto colligit & explicat. Et quãuis idẽ mox subiungat, Cætera cum uenero disponã, id tamen dixit de disciplina & decoro in cœtibus ecclesiasticis formando atq; conseruando. Neq; enim alia potuisset de Cœna domini tradere, quàm ea quæ iam tradiderat: nisi sibijpsi contradicere uoluisset. Ad Thessalonicenses idem apostolus, Itaq; fratres state, inquit, & tenete traditiones quas didicistis. Sed idem mox addit per interpretationem, Siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ergo traditio apostolica comprehenditur in sermone & in epistolis Pauli. Sermo Pauli est uiua euangelij prædicatio: quam epistolis repetijt & reparauit. Præterea ab alijs quoq; apostolis copiosissime descriptus legitur sermo Pauli euangelicus. Non enim aliud prædicaut euangelium Paulus, quàm cæteri apostoli Christi. Quibus accedit quod ipse Paulus testatur se euangelium Christi prædicasse, prædicandoq; nihil extra illud quod lex & prophetæ docent tradidisse. Quis autem negat Mosis & prophetarum scripta absoluta esse? Sufficiunt ergo nobis scripturæ canonicæ, quæ ut uiuas traditiones comprehendunt pietati necessarias, ita satis instructæ sunt ad docendum, ad redarguendum ad corrigendum uel ad reformandum, deniq; ad instituendum quo cultor dei integer sit, ad omne opus bonum apparatus. Id quod ipse in hæc uerba quæ modo recitaui pronunciat Paulus. Ergo cum patres Tridentinæ synodi non patiantur ad solas se canonicas scripturas reijci, ut inde omnia probent uel improbẽt, sed insuper comminiscuntur traditiones quas summa iniquitate imò impietate scripturis, diuinis inquam humana, æquiparant, manifeste quid indicto Concilio quærant, produnt, nõ ut ex canonicis scripturis syncera eruatur & asseratur ueritas, sed ut inoliti errores defendantur confirmenturq;: ad quam rem conficiendam mire adiuuant fictæ illæ Traditiones

Act. 26.

De Traditionibus patrum.

Sufficiunt hæc quidem de Traditionibus ueritatem agnoscentibus: uerum ut & illis consulatur qui traditionibus plus nimium tribuunt, & iniquis-

iniquißimum eſſe clamitant omnes in uniuerſum deſpicere patrum traditiones, diſtinguimus inter traditiones patrum antiquas. Principio enim uideo Irenæum & Tertullianum contra hæreticos diſputantes, compendium ſiue regulam doctrinæ apoſtolicæ adeoq; ipſum ſymbolum quod hodie apoſtolorum uocamus, licet non ijſdem uerbis, ijſdem tamen ſententijs redditum, appellare traditionem apoſtolicam. Quis uero neſciat illam traditionem ex meditullio ſcripturarum petitam, & infinitis ſcripturarum teſtimonijs comprobari poſſe? Talem ergo traditionem nemo noſtrum reijcit: quia nemo ſcripturarum authoritatem contemnit, manifeſtißime & copioſißime docentem nos credere ſicuti traditio illa uniuerſalis contra omnes hæreſes & hæreticos aſſeruit. Deinde habent ueteres alicubi traditiones hiſtoricas, qualis alicubi texitur de Ioãne apoſtolo fugiente è balneo quod Cerinthus ſubintrarat. At cum hæc & aliæ eius generis nec pugnẽt cum pietate, nec ſuperſtitionis quicquam ſerant, pij ab eis non abhorrent, interim parem his cum euangelica hiſtoria authoritatem minime tribuũt. Præterea ſunt traditiones non de regula illa fidei uniuerſali, alijſúe ad ipſam pertinentibus capitibus æditæ, nec mere hiſtoricæ, ſed prolatæ de dogmatibus quibuſdam & ritibus: cuius generis ſunt quas inter alias commemorant, Orandum eſſe pro defunctis: & uirgines eſſe uelandas, uel conſecrandas uirginitati perpetuæ, includendasq; monaſterijs, &c. Cæterum quam illæ non cõgruant cum ſcriptura apoſtolica, alibi abunde eſt demonſtratum.

Proferam & alias quaſdam traditiones, ut ex ipſarum diſcußione omnibus appareat quàm non ſit tutum traditiones etiam illas quas uetuſtißimi ſcriptores magni faciunt & eccleſiæ ſeriò commendant, recipere. Irenæus contra Valentinianos lib. 2. cap. 40. de domino noſtro loquens, Non ergo multum aberat, inquit, à quinquaginta annis. Et ideo dicebant ei, Quinquaginta annorum nondum es, & Abraham uidiſti? Et hanc ſuam opinionem aſtruit per traditionem apoſtolicam præcedente cap. dicens, A quadrageſimo aut quinquageſimo anno declinat iam in ætatem ſeniorem, quam habens dominus noſter docebat. Sicut euangelium & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia apud Ioannem diſcipulum domini conuenerunt, idipſum tradidiſſe eis Ioannem. Permanſit autem cum eis uſq; ad

Traiani tempora. Quidam autem eorum non solum Ioannem, sed & alios apostolos uiderunt, & hæc eadem ab ipsis audierunt, & testantur de huiusmodi relatione. Hæc ad uerbum reliquit scriptor ille, qui inter uetustissimos numeratur. Verum si eam traditionem recipiamus, consequetur mira confusio, ut nihil aliud dicam, temporum. Si enim dominus ferè attigit annum ætatis 50. (ponamus nos 48.) consequetur Christum prædicasse annos octodecim: quando satis constat prædicationem cœpisse circa 15. Tiberij Cæs. annum, qui ipsi domino erat annus uitæ 30 Neq; aliam supputationem sequuntur quotquot tempora Christi reuocarunt ad calculum. Proinde iuxta traditionem uiuam apostolorum, quam mordicus retinet et sequitur Irenæus, mortuus esset Christus, resurrexisset ex mortuis, ascendisseté; in cœlos, misso in discipulos spiritu sancto imperij Claudij Cæsaris anno septimo uel octauo. Verum huic supputationi reclamat series historiæ euangelicæ & Actuum apostolorum, quæ meminerunt Claudij in rebus apostoli Pauli, conficiente totum orbem fame admodum dira. Vnde indubitatum est traditionem illam beati Irenæi, quam tamen pleno ore refert ad apostolos Christi domini, turpiter fallere. Quis autem post tam fœdum errorem deprehensum credat posthac traditionibus illis uiuis etiam apud antiquissimos scriptores testimonium habentibus? Ex Papia Hieropolitano apostolorum discipulo forte huiusmodi traditionem hausit. Nam ut Papias permultum tribuit uiuis traditionibus, quibus & mirum in modũ delectatum aiunt: ita Irenæum, Appollinarium, Lactantium & alios quosdam, propter uetustatis reuerentiã, etiam in errore Chiliastico, cui prima fundamenta iecit, habuit sequaces. Interim non multum eius iudicio tribuit doctiss. uir & ecclesiæ Cæsarien. episcopus Euseb. ecclesiasticæ hist. lib. 3. cap. 39. qui & disertis uerbis scribit illum fabulosa nonnulla tradidisse. Cur ergo uitio nobis uerteretur si difficulter aut prorsus non recipiamus uiuas illas traditiones?

His accedit quod ex uiuis illis traditionibus memorabilis illa de paschate celebrando inter orientis & occidentis ecclesias concertatio effluxerit: ut non frustra nobis suspectæ esse possint. Etenim cum sacerdotes occidentales haud negligendum putarent Petri & Pauli apostolorum traditionem in celebrando paschate, Asiani uero se traditionem S. Ioannis sequi

Sozomenus lib. 7. cap. 19.

qui affirmarent, exarsit acris admodum inter orientem & occidentem contentio: ita ut Victor, Romanæ ecclesiæ minister, non metueret Asianos anathemate percutere. Quæ in re uicissim à beato martyre Irenæo grauiter correptus est. Quid quod Socrates nobilis historicus inuentus est, qui utriq; traditioni tam orientali quàm occidentali, palim ausus fuit contradicere. Nam post adductos aliquot scripturæ sanctæ locos, subiungit tandē nihil tradidisse apostolos de paschate celebrando. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Nusquam apostolus, nec ipsa euangelia iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: sed paschatis festum & alios dies festos ipsi homines suis quiq; locis propter remissionem laborum & memoriam salutiferæ passionis, sicuti uoluerunt, ex consuetudine quadam celebrarūt. Neq; seruator hoc aut apostoli nobis lege aliqua obseruandum esse mandarunt, neq; pœnam nobis aut supplicium euangelium uel apostoli, sicut Iudæis lex Mosi, comminantur. Et mox, Mihi uidetur quod quemadmodum alia multa singulis locis in consuetudinem abierunt, ad eum modum & paschatis festum: propterea quod nemo apostolorum, sicut dixi, quicquam de illo sanciuit. Et reliqua quæ extant historiarum lib. 5. cap. 22. Palam ergo hic traditionibus contradixit, & citra crimen quidem sacrilegij aut hæreseos. Quid ergo uetaret hodie quoq; contradicere traditionibus cum scriptura discrepantibus? Hæc cum ita habeant, & ita manifesta sint, ut non possint negari à nostris aduersarijs, non patiemur ullo modo nos abstrahi à certissimis scripturis ad incertas illas nescio quas traditiones. Certe si patres illi synodi Tridentinæ synceri essent ardentéq; ueritatis illustrandæ & ecclesiam iuuandæ studio, sustinerent haud dubie se & omnia sua iudicari ab ipso opt. maximo Deo & ueracissimo eius uerbo. Hoc quoniam subterfugiunt, & fabulosas quasdam traditiones obtendunt, quid causæ suæ ex scripturis sperent roboris accessurum, liquido toti orbi declarant.

De libris canonicis et ecclesiasticis.

Iam quod miscent canonicis libris non canonicos, uti libros Machabæorum, Thobiæ, & alios, ab alijs ecclesiasticos uel etiam non canonicos appellatos, eodem faciunt consilio, quo traditiones diuinis æquant scripturis. Sperant enim ex illis se posse sarcire, quod uere canonicis uident diminutum. Vt enim de alijs nihil dicam, ex secundo Machabæorum libro spe-

rant se ostensuros salubre esse orare & offerre pro mortuis, ut à peccatis soluantur. Sperant se diuorũ in cœlis agentiũ preces deo pro uiuentibus in terris oblatas, commonstraturos. Cum interim in ueteri ecclesia apud fideliß. & sanctißimos ecclesiarum ministros nunquam fuerit 2. Machab. & alij eius similes libri recensiti inter canonicos. Non ignoro hic ipsos ad beati Augustini patrocinium confugere, qui lib. de Doct. Christ. 2. cap. 8. inter canonicos numerat non solum ecclesiasticos illos, sed & Machabæorum secundum librum. Cæterum si historias aliaq; ueterum monumenta consulamus, apparebit Augustini demum sæculo in Carthaginen. Concilio III quod celebratum aiunt Coss. Cæsario & Attico: imperantibus Honorio & Arcadio, circa annum domini 400. aut 399. in numerum canonicorum, imò ecclesiasticorum magis esse receptum. Nec dissimulat hoc beatus Augustinus. Nam lib. de ciuit. dei 18. cap. 36. & lib. 2. contra Gaudentij epistolam cap. 23 admonet libros Machabæorum non fuisse apud ueteres numeratos in canone: addit tamen ipsos nõ inutiliter esse receptos, si modo sobrie legantur. En si sobrie legantur, ait. Qui & alibi dicit, Pro canonicis habet propter quorundam martyrum passiones uehementes & mirabiles. Quæ omnia superiorem meam sententiam confirmant: illud imprimis quod idem addit, non quiduis esse recipiendum quod in eo libro proponitur, nisi probe examinatum & cum alijs collatum sit scripturis. Nam alibi quoq; admonet, eos libros qui ab omnibus accipiũtur ecclesijs, præponendos esse eis qui ab aliquibus non recipiuntur. At commonstrare possumus à uetustißimis clarißimisq; orientis ecclesijs nunquam receptos esse Machabæorum libros pro canonicis. Meliton Sarden. episcopus, qui floruit non multis annis ab apostolorum morte, circa annum domini 173. sub Imperatore Antonino Vero, cui & apologeticum obtulit pro fide nostra, non nisi eos quos in Galeato recenset Hieronym. libros ueteris testamenti recitat canonicos, omissis omnibus ecclesiasticis appellatis. Dicit autem se usq; in orientem profectum, ubi prædicationis nostræ initium cœperit, & ubi omnia sunt gesta quæ scripta leguntur, ut ibi diligenter explo raret omnia quæ ad ueritatem & certitudinem librorum canonicorum pertinent, ac ibi certum illum inuenisse numerum. Post Melitonem Origenes & ipse non plures recitat ueteris testamenti libros, quàm XXII.

De authoritate 2. libri Machab.

Sic

Sic et beatus Hieronymus non tam in Galeato prologo, q̃ in epistola sua de omnibus scripturæ libris ad Paulinũ, pro canonicis agnoscit XXII. illos libros, rèliquos extra canonẽ ait esse ponendos. Idem in prologo ad Prouerbia Solomonis, postquã dixisset de Sapientia quæ Solomonis dicitur, et de Ecclesiastico, subdit, Sicut ergo Iudith & Thobiæ & Machabæorum libros legit quidẽ ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo uolumina legit ad ædificationẽ plebis, non ad authoritatem ecclesiasticorum dogmatũ confirmandam. Eadem ratione existimamus beatum Augustũ. 2. lib. Machab. inter canonicos numerasse quidem, sed intelexisse ecclesiasticũ esse librum, non tanta pollentẽ authoritate, quanta ualent, qui reuera & ab antiquo canonici sunt. Nec potuit ignorare beatus Hieron. Carthaginen. synodi decretũ, quippe qui à multis scribatur excessisse è uiuis circa annũ domini 422. Huc pertinet quod Ruffinus Aquileg. in enarratione symboli apostolici, non plures nec alios recitat ueteris testamenti libros, quàm nos supra cõmemorauimus. Ac inter alia, Hæc sunt inquit, ueteris instrumenti uolumina, quæ secundũ maiorum traditionem per ipsum spiritum sanctum inspirata creduntur, & ecclesijs Christi tradita sunt. Et mox idem ille, Sciendũ tamen est, quod & alij libri sunt, qui nõ canonici, sed ecclesiastici à maioribus sunt appellati, ut est Sapientia Solomonis, Ecclesiasticus, Thobiæ, & Iudith, & Machabæorũ libri. Quæ omnia quidem in ecclesijs legi uoluerunt, non tamen proferri ad authoritatẽ ex his fidei confirmandã. Hæc ille. Proinde habemus à partibus nostris primitiuã ecclesiam omnemq; uetustatẽ, quam anathemate feriunt Tridentinæ synodi patres, siquidẽ nos anathemate percutiunt. Nam ut ecclesiasticos libros non reijcimus, ita ex solis canonicis religionis nostræ uel ueritatem uel falsitatẽ cũ ueteri ecclesia probari uel improbari contendimus, atq; ad solas canonicas scripturas prouocamus. Quibus cũ aduersarij omnia sua subijcere detrectant, & subinde ad alia umbratilia præsidia respectant, clarum est qualis sit ipsorũ causa, et quid indicto huiusmodi conditionibus concilio quærant.

Porrò uulgatam illam Bibliorũ Latinam æditionem nemo sanus damnat & reijcit in uniuersum: sed clamamus omnes, in dubijs locis, aut contrauersijs, aut obscure redditis, corruptisue, recurrendũ esse ad fontes Hebraicos

De libro Bibliorum authentico.

et Græcos. Authẽticũ enim librũ esse, qui Hebraice et Græce scriptus est. Neq; enim prophetæ aut apostoli scripserũt Latine, sed hi Græce, illi uero Hebraice. Nihil hic iniqui postulamus, et quod nõ prius ipsi nobis pontifices dederint. Legitur enim huiusmodi Canõ in Decretis Distinct. 9. Veterũ librorũ fides de Hebræis uoluminibus examinanda est: ita nouorũ ueritas Græci sermonis normã desiderat. Cæterũ mutuata sunt hæc uerba ex epistola beati Augustini, scripta ad S. Hieronymũ. Idem ille Augustinus lib. 11. contra Faustũ Manichæũ cap. 2. Si de fide exemplariũ, inquit, quæstio uerteretur, sicut in nõnullis quæ & paucæ sunt et sacrarũ literarũ studiosis notissimæ sententiarũ uarietates, uel ex aliarũ regionũ codicibus, unde ipsa doctrina cõmeauit, nostra dubitatio dijudicaretur. Vel si ibi quoq; codices uariarent, plures paucioribus, aut uetustiores recensiorib. præferrentur. Et si adhuc incerta esset uarietas, præcedens lingua, unde illud interpretatum est, cõsuleretur, &c. Idẽ rursus li. de Doct. Christ. 2. ca 11. Latini homines, inquit, & duabus alijs linguis ad scripturarũ diuinarũ cognitionẽ opus habent, Hebræa scilicet & Græca: ut ad exẽplaria præcedentia recurratur, si quã dubitationẽ attulerit Latinorũ infinita uarietas. Itẽ, qui scripturas ex Hebræa lingua in Græcã uerterũt linguã numerari possunt, Latini aũt interpretes nullo modo. Vt enim cuiq; primis fidei temporibus in manus uenit Græcus codex, et aliquantulũ facultatis sibimet utriusq; linguæ habere uidebatur, ausus est interpretari. Et in ca. 12. eiusdẽ libri, loquens de interpretationũ uarietate, addit, Quæ quidẽ res plus adiuuit intelligentiã quàm impediuit, si modo legentes nõ sint negligentes. Nã nonnullas obscuriores sententias pluriũ codicũ sæpe manifestauit inspectio. Hæc omnia cum uno decreto patres Tridentinæ synodi abrogent, et cõtra omnẽ uetustatẽ et rationẽ sanã, Latinã uersionẽ pro libro authentico nobis obijciãt, rursus qd ab eis expectemus, nisi cæcitate percussi simus, cernimus palàm. Quartus aũt canon de expositione scripturarũ ab istis æditus, ut ex superioribus nihil collegerimus, unus tamẽ abunde testari poterit, istos summa iniquitate ante cõgressum sibi certissimã uoluisse præoccupare uictoriã, adde et securitatem summã, ne quid unã rerũ suarũ mutare uel tantillũ à scopo aberrasse uideri possint. Damnant enim omnes expositiones, quæ nõ congruũt cum sententia quã tenuit & tenet sancta mater ecclesia, itẽ quæ pugnant

De interpretandis scripturis.

cum

eum concordi patrũ explicatione. Nam hoc decreto saluo, nihil ex scripturis cõtra papistica dogmata et ritus superstitiosos tam euidens proferetur, quod ipsi non eluserint uno uerbo, dicentes, Ecclesiã non sic intelligere. Rursus nullũ scripturæ locũ ipsi tam fœde detorquebunt & corrumpent, cui non queant protinus hoc mederi malagmate, dicentes, et ecclesiam sic intelligere, et patres aliquot ad hũc modũ enarrauisse. Proferẽt ergo pro monarchia pontificis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meam. Tu uocaberis cephas. Pasce agnos meos. Quæ loca si quis cupiat legitime per scripturarũ sobriam collationẽ excutere et genuinũ eorũ sensum inuestigare, audiet protinus Ecclesiã & patres exponere de Papa: ergo de Papa & eius principalitate (ut uocant) intelligere oportere. Plurima huius rei exempla proferrem si necessarium putarem.

Ex his uero quæ hactenus adduximus ex Decretis Conc. Trident. luce clarius apparere confido, in quẽ maxime finem indictũ sit à pontifice Concilium, nõ ut ex scripturis eruatur et illustretur ueritas, sed ut ipsa scriptura redigatur in ordinẽ, seruiatq; istorũ hominũ dignitati, honoribus, opibus et superstitioni conseruandæ et cõfirmandæ: non ut reformentur ecclesiæ, sed ut retrahantur in deformationem ueterẽ, quæ ex hac emergere cœperunt.

Proinde cum per eximiã dei gratiã lux Christi inclyto Angliæ regno illuxerit, ne dimoueatis oculos ab illa luce, quam qui sequitur nõ ambulat in tenebris, sed habet lumẽ uitæ. Pergite pergite duce Christo reformare quæ reformanda sunt. Nihil peccabitis etsi nunquã redeatis eũ nupera illa Romana ecclesia in gratiã. Nihil hic indulgeo prauo affectui. Nam in quintæ huius meæ Decadis initio solidis argumẽtis cõmonstraui necessarium esse prius recedere ab ista, et uni se Christo ecclesiæq; Christi ueræ cõsecrare.

Hanc aũt Decadem tuæ pietati inscribo et dedico, Princeps illustriss. utpote strenuo uerę pietatis assertori: nil dubius, quin fidele sis susceptura huius meæ lucubrationis patrocinium, præsertim ubi diligẽter legeris intellexerisq; nihil sine scripturis contra ueram pietatẽ, sed omnia ex scripturis diuinis pro tuenda uera religione esse prolata. Neq; enim cupio mihi et meis scriptis uel tantillũ tribui, nisi omnia mea disertis scripturis & solidis rationibus ex scriptura deductis approbauero. Et quamuis tua pietas mea instructione non indigeat, ut quæ satis est instituta in religione uera,

habeatq; undiquaq; doctißimos & pijßimos uiros, inter quos non postremi sunt D. Robertus Scinnerus, & D. Andreas Vullokus, uri præstantiss. speraui tamen hos meos labores tibi acceptos futuros, meamq; dedicationem, bono profectũ animo, te boni consulturũ, utpote qua nihil ambio, nisi salutem publicã: uidelicet ut regnum filij dei, quod nostro tempore (imminente, & ante fores nostras iam pulsante illo tremendo filij dei iudicio) reflorere cœpit, cum apud uos in inclyto Angliæ regno, tum alibi terrarum, longe lateq; propagetur. Et alij quidem in dedicatorijs suis epistolis eius laudes celebrant, cui libros inscribunt: ego uero cum sciam te huiusmodi applausus nihil morari, neq; indigere huiusmodi præconijs, quod uirtus tua alioqui satis sit celebris, quam tu quoq; in diẽ modestia & humilitate augere contendis, magis huc mea deflecto epistola, ut tuã pietatem quàm possum diligenter inhorter, quo pergas temetipsum pulcherrimo uirtutũ studio et incremento superare. Domini dei nostri dona sunt, quæcunq; sunt in hominibus laude digna. Dominus mentem tibi dedit, ut intelligas magnũ quidẽ meritò uideri beneficiũ regia fatum esse prosapia, sed longe maius præstantiusq; esse, appellari ac reuera esse dei filiũ, et Christi Iesu filij dei cohæredẽ. Hanc nobilitatẽ summã cum per gratiã dei sis cõsecutus, uide ut eam sedulo pietatis studio retineas in finẽ usq;: uide ut constanter Christo redemptori adhæreas, & eius gloriã promoueas: uide ut ex fide, quam regi æternæ gloriæ seruas, etiã serenißimæ regiæ maiestati, totiq; inclyto regno Angliæ dulcißimæ patriæ tuæ fidelis esse pergas. Hactenus peregrinorum (quos nobis imprimis commendauit dominus) præsidium & refugiũ fuisti, deniq; studiosorũ, & doctorũ hominũ arx atq; mecœnas, talis esse perge. Sic autem non perituram, sed perennẽ gloriã in præsenti & futuro sæculo consequeris. Commendare me digneris obsecro magnanimo heroi D. Ioãni Dudlæo Vuaruicen. Comiti, magnati modis omnibus præstantiss. cui omnia felicia imprecor, omniaq; mea offero officia. Dominus Iesus monarcha orbis summus et unicus, rex regum, & dominus dominorũ, seruet incolumem Sereniß. regem, totumq; Angliæ regnum inclytum, fidelissimos item prudentißimosq; regni consiliarios, & te quoq; princeps clementißime. Tiguri in Heluetijs Mense Martio, Anno M. D. LL.

SERMONVM DE-

CAS QVINTA, AVTHORE HEINRYCHO BVL-LINGERO.

De ſancta catholica eccleſia, quid ſit, quàm late pateat, quibus agnoſcatur notis, unde oriatur, quomodo conſeruetur. An errare poſsit? Item de poteſtate & ſtudijs eccleſiæ. SER. I.

ORDINE rerum & cohærentium filo ducente, conſequenter ab artifice & authore omniũ Deo, progredimur ad ipſius opus excellentiſſimum Eccleſiam. Tanta eſt enim dei optimi patris & benigniſſimi bonitas, ut non ſibi ſoli feliciter & beate uiuere, ſed & omnem felicitatem, & bona ſua omnia in nos homines adamatas creaturas ſuas effundere, bonis & ſuis nos frui modis omnibus cupiat. Ideo & homines in hoc mũdo uiuẽtes ſibi deligit, quos aliquando ad ſe transferat, in quibus interim, dum hic uiuunt, habitet, quos omnibus bonis ſuis locupletet, in quibus regnet, ipſi & eius appellentur nomine, populus inquam, domus, regnum, hæreditas, peculium, cœtus uel eccleſia dei uiuentis. De qua dicam, ueſtris adiutus precibus, quod ipſe dominus eccleſiæ loqui dederit.

Eccleſia eſt uox Græca, ſed uſurpata & recepta à Latinis, ſignificans cœtum, communionem uel concionem (Germanice ein Gemeind) populum inquam conuocatum ad audiendum de reipub. negotijs. Sic enim et Lucas hoc uocabulo uſus legitur in Actis cap. 19. Translatum eſt autem ad uſum ſacrum, dici & eccleſia cœpit cœtus uel communio fidelium inuocantium nomen domini. Paulus enim dicit ſe perſecutum eccleſiam dei: qui alibi, Poteſtatem, inquit, accepi à principibus ſacerdotũ uinciendi omnes qui inuocant nomen Chriſti. Iam enim Chriſti nomen inuocantes uel Chriſtianos appellat, quos ante nuncuparat eccleſiam. Olim cœtus uel eccleſia populi Iudaici peculium dei, dicebatur Synagoga. Idem enim ſignificat Synagoga quod Eccleſia: ſed propter Iudæorũ pertinaciã implacabile & in Chriſtianam religionem odium, uiluit uox Synagogæ ac fermè in uſu eſſe deſijt. Non diſſeremus autem iuſta

Eccleſia.

1. Cor. 15. Act. 22.

Synagoga.

methodo de Iudæorum, uel Turcarum, uel aliarum exterarũ Gentium ecclesijs, quarum plures esse nouimus. De ecclesia Christiana fideliúmue dicemus: quam Germani appellant die Kyrch: alludentes fortassis ad Græcorum κυρίκη. Vocant enim hi κυρίκην dominicã: nimirum domum uel plebem: sicut & Germani die Kyrchen nuncupant & ipsum dei populum, & locum, in quo hic congregatur ad cultum dei. Ante omnia aũt describemus Ecclesiã paulò rudius.

Ecclesia quid?

ECCLESIA est uniuersalis fidelium cœtus uel multitudo, partim in ipso cœlo iam agens, partim adhuc in terris uersans: ubi palàm in unitate fidei uel doctrinæ ueræ sacramentorúmq; legitima communione consentit, non discinditur, sed in una ueluti domo societateq; continetur.

Catholica ecclesia.

Hæc solet appellari Catholica, id est uniuersalis. Profert enim palmites suos in omnia uniuersi mundi loca, & in omnia omniũ ætatum tempora, cõprehenditq; in uniuersum omnes totius mundi fideles. Etenim ecclesia dei non est affixa regioni, genti, aut familiæ, conditioni, ætati, aut sexui: omnes fideles & singuli ubi ubi sint, huius ecclesiæ ciues & membra sunt. S. Paulus apostolus,

Galat. 3.

Nõ est Iudæus neq; Græcus, inquit, nõ est seruus neq; liber, non est masculus aut fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.

Ecclesiæ distinctio.

Distinguitur ecclesia in triumphantem & militantem. Triumphans est magna illa concio sanctorũ in cœlo spirituũ, triumphantium modo de uicto mundo, peccato & diabolo, fruentiũ dei conspectu, in quo est iucunditas gaudiorumq; sacietas omnium. Vnde & in æternum gloriã dei celebrant, & bonitatẽ eius laudant. Hanc

Ecclesia triũphans.

describit graphice beatus Ioannes apostolus in Apocalypsi dicens,

Apoc. 7.

Post hæc uidi, & ecce turba multa, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, populis & linguis, stantes ante thronũ & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant uoce magna, dicentes, Salus ei qui sedet super thronũ dei nostri & agno. Et paulò post, Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi, Hi qui sunt amicti stolis albis, qui sunt & unde uenerunt? Et dixi illi, Domine tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt qui uenerũt ex afflictione magna, & dilauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum dei, & seruiunt ei die & nocte in templo eius. Et qui sedet in throno habitabit super eos. Nõ esurient, neq; sitient amplius: nec cadet super eos sol, neq; ullus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est reget eos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Habetis fratres descriptionem elegantissimam

Vide unde sit perfectiss. sancti tas.

tissimam triumphantis in cœlo ecclesiæ, & triumphantis quidem per sanguinem Iesu Christi, per quem uicerunt, & iam regnant. Christus enim est agnus ille dei qui tollit peccatũ mundi: per quem omnes qui sanctificati sunt sanctificantur & sanctificabuntur, uiuunt, à principio mundi ad finem usq; sæculi. S. Paulus alicubi egregiam nobis huius quoq; ecclesiæ descriptionem exhibens, docet interim nos qui uersamur adhuc in militanti ecclesia, aliquando ad illam transferendos, associandosq; sanctis dei angelis, cooptandos item in ordinem patriarcharum, collocandosq; inter ipsos beatos spiritus, apud ipsum deum summum mediatorem q; dominum nostrum Iesum Christum. Prædicans enim magnitudinem diuinæ gratiæ per euangelium delatæ ad nos, adhortansq; ut eam uera fide recipiamus, Non accessistis, inquit, ad mõtem Sina, ad ignem, ad turbinem, procellam & caliginem, sed ad montem Zion, ad ciuitatem dei uiuentis, ad Hierusalem cœlestem, & ad cœtum innumerabilium angelorum, & ad ecclesiam primogenitorum, qui scripti sunt in cœlis, & ad iudicem omnium deum, & spiritus iustorũ perfectorum, & mediatorem noui testamenti Iesum Christum, meliora loquentem quàm loquebatur sanguis Abel. Proinde omnes sancti in cœlis pertinent ad nostrum consortium, imò nos pertinemus ad ipsorum societatem. Sumus enim socij & cohæredes sanctorum ab Adamo ad finem usq; sæculi omnium, ac domestici dei. Id quod maximam habet in omni uita hominum consolationem aculeosq; ad studium uirtutis acutiss. Quid enim est præstantius q̃ domesticum esse dei? Quid obsecro iucundius uel cogitari potest, quàm nos esse socios patriarcharũ, prophetarum, apostolorũ, martyrum, omnium angelorum, beatorumq; spirituum? Hoc beneficium Christus contulit. Huic sit laus, gloria, & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen. *Hebr. 12.*

Militans ecclesia cœtus est hominum in terris, nomen & religionem Christi profitentium, & adhuc militantium in mundo, contra diabolum, peccatum, carnem, & mundum, in castris & sub signis Christi domini. Ea rursus cõsideratur dupliciter. Vel enim strictius considerata eos duntaxat comprehendit, qui nõ tantum dicuntur, sed etiã reuera sunt ecclesia, fideles & electi dei, uiua membra, Christo connexa, nõ modo uinculis aut notis externis, sed spiritu & fide, & aliquando his duntaxat, fine illis. De qua re dicemus postea. Ista interna & inuisibilis dei ecclesia, electa Christi sponsa dici poterat, soli deo cognita, ut qui solus nouit qui sint eius. Hanc in primis confitentes symbolo edocti apostolico dicimus, Credo sanctã *Ecclesia militans.* *Sancta ecclesia.*

Credo ſanctam eccleſiam catholicam.

eccleſiam catholicam, ſanctorum cõmunionem. Ac paucis quidem his uerbis cõprehendimus quòd ſit eccleſia, quid item & qualis ſit. Principio enim confitemur fuiſſe, eſſe, & manere ſemper eccleſiam dei. Deinde quid ſit profitentes ſubijcimus, Sanctorum cõmunionem: id eſt, credimus eccleſiam aliud non eſſe quàm cœtum omniũ qui ſunt, fuerunt, eruntq; tam in præſenti quàm futuro ſæculo, ſanctorum, qui communia inter ſe habeant omnia à deo ſibi conceſſa bona. Simul etiam exprimimus qualis ſit eccleſia, nimirum ſancta, ſponſa inquam Chriſti purgata & beata. Nam apoſtolus Paulus ſanctos appellauit mundatos ſpiritu & ſanguine dei noſtri: quorum bona pars coronas accepit: reliqua eaſdem in terris certans ſibi in cœlis imponendas expectat. Et præcipuum quidem in conſideratione eccleſiæ caput illud eſt, quod per gratiam dei membra corporis Chriſti effecti, omniumq; cum ſanctis omnibus bonorum cœleſtium participes facti ſumus. Etenim non alios magis quàm noſipſos confitemur eſſe ſanctos.

Eccleſia catholica.

1. Cor. 6.

Eccleſia et malos complexa.

Vel certe latius conſiderata eccleſia, non modo uere fideles & ſanctos, ſed illos quoq; complectitur, qui tametſi nec uere credant, nec mundi uel ſancti ſint conuerſatione uitæ, ueram tamen religionem cum uere credentibus & ſanctis dei agnoſcunt & profitentur, uirtutes denique palàm approbant, ſcelera reprobant, neq; adhuc ſe ſeparant ab unitate huius ſanctæ militantis eccleſiæ. Qua quidem conſideratione ne mali quidem uel hypocritæ (quales Chriſti & apoſtolorum temporibus in eccleſia fuiſſe dicuntur Iudas, Ananias & Saphira, Simon Magus, Demas item, Hymenæus, Alexander, & alij multi) excludũtur ex eccleſia, quę uiſibilis & externa dici poteſt. Aeſtimatur autem hæc rurſus uel ex aliqua ſui parte, uel ex ſeipſa tota. Conſideratur enim Particulariter, & Vniuerſaliter. Et particularis quidem eccleſia certo eſt definita numero, certoq; ex loco cognoſci poteſt. Ex loco enim indipiſcitur nomen, dicta ciuitatũ nominibus, ut eccleſiæ Tigurinorum uel Bernatium, &c. Græci particulares illas appellauerunt παροικίας. Vulgus dicit parochias, alij & rectius dixere parœcias. Parœciam uocant incolatum aut habitaculum adeoq; uiciniam, domibus contiguis comprehenſam. At ſolet in ciuitatibus & in agro deſignatæ ædium portioni & templum & parochus dari, totaq; illa area appellari parochia, Germanice ein Barchi/ oder ein pfarrkyrch/ oder ein kylchhöry. Ac ueteribus parochus erat præbitor. Hoſpitibus enim ſuppeditabat neceſſaria, ſal in primis & ligna. Alij nũcuparũt exhibitorẽ cõuiuij: alij paranymphũ. Quia ergo eccleſiarũ paſtores ſunt ueluti paranymphi redemptoris

Eccleſia particularis.

Parochia & Parochi.

ptoris capitisq; ecclesiæ Christi, adducentes ei uirginẽ casiã: quia denicq; illi ipsi maxime necessaria populo dei, pcurãt cœlestesq; dapes uel epulas instruũt, rectissime pastores gregis dominici parochi uel curatores animarũ appellantur. De particulari ecclesia loquutus dominus in euangelio dixit, Si scandalisans ecclesiã monitores nõ audierit, dic ecclesiæ. *Matth.18.* Non potest autem uniuersalis ecclesia conuenire unquã ex toto terrarũ orbe, ut ei deferantur rebelles: particularibus ergo defertur iudiciũ de contumacibus. Porrò Vniuersalis ecclesia ex omnibus colligitur particularibus in uniuerso mundo ecclesijs, omnibusq; membris suis uisibilibus. Hæc illa ipsa est quam modo adumbrauimus, cum latius confideratam attingeremus.

Cæterum ecclesia dei Catholica continuo sæculorum ordine (quod & paulò ante dicere cœperam) ad nos usq; decurrit, & hodie diffusa est per totum terrarum orbem, uisibiliter quidem & inuisibiliter, eritq; populus domini & domus dei in terris in finem usq; sæculi. Etenim nullum unquam sæculum fuit, neque ulla unquam ætas erit, in qua sibi non aliquos saltem sanctificarit sanctificetq; deus in quibus habitet, qui sint eius peculium & domus sancta. Nam perpetuam esse ecclesiam testantur etiam ueterum uatum testimonia. Etenim sic legimus scriptum Psalmo 132. Dominus elegit Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hęc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et iterum, Iuraui Dauidi in sancto meo, semen eius in æternum manebit, & solium eius coram me perstabit ut sol. Quis autem ignorat ista omnia intelligẽda esse de Christo Dauidis filio & throno eius spirituali? Zione, quæ est ecclesia? Ipse quoq; perpetuitatem ecclesiæ significans in euangelio dicit, Ero uobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. *Matth.28.* Et iterum, Ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, spiritum ueritatis, ut maneat uobiscum in æternum. *Ioan.14.* Huc nimirum & illud ex euangelio pertinet, Et portæ inferorum non prævalebunt contra ecclesiam. *Matth.16.* Quæ sanè maxima est consolatio fidelium in tot & tam grauibus persequutionibus ad oppressionem excidiumq; ecclesiæ institutis.

Ecclesia dei semper fuit eritq;.

Sicut autem Christus suam in terris semper habuit, habet, habebitq; ecclesiam, ita diabolo quoq;, donec hic mundus finiatur, nunquam deerit suus populus, in quo regnet. Hæc diaboli ecclesia initium accepit à Caino, progredieturq; ad ultimum usq; impium, medios comprehendens omnes totius mundi impios. Communionem autem in terris uiuentes, cum his qui apud inferos torquentur habent. Sicut enim omnes pij unum sub capite Christo corpus con

Ecclesia diaboli & antichristi.

ſtituũt: ſic omnes impij ſub uno capite ſathana unum corpus ſunt. Hęc meritò appellatur eccleſia malignantiũ, Sodoma & Gomorra, Babylon, Congregatio Chore Dathan & Abyrom, ſynagoga & ſchola & proſtibulum diaboli, Antichriſti regnum, & ſi quid aliud his eſt ſimile. In hac eccleſia recenſentur omnes impij & infideles, ſegregantes ſe à conſortio ſanctæ matris eccleſiæ, aut reſpuentes eius communionem, quales imprimis ſunt illuſores dei & uerbi eius, blaſphemi & perſequutores Chriſti & eccleſiæ. Tales ſunt hodie gentiles, Turcæ, Iudæi, hæretici, ſchiſmatici & omnes in uniuerſum profeſſi hoſtes religionis Chriſtianæ. Adde his & hypocritas.

Matth. 6. 5. 23. Neq; enim leue crimen eſt, quod ipſe dominus noſter ubiq; in ſancto euangelio tam ardenter accuſat & perſequitur. Inter alia dicit,

Matth. 24 Veniet dominus ſerui illius, in die quo non expectat, & hora qua ignorat, & diſſecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & ſtridor dentiũ. Enormitatem ſceleris atrocitate ſupplicij ſignificauit haud dubie. Hæc eccleſia ſequitur diaboli inſtinctum & proprij cordis figmenta, exerceturq; in omnipharia blaſphemia & impietate, in quibus ſemetipſam ſuperat, tandem & ad tartara demergitur, ne uſpiam ſeparetur ab eo capite, cui ſe ſemper tam ſtudioſe, imò pertinaciter conglutinauit.

Quomodo hypocritæ ſint aut recenſeantur in eccleſia dei.

Obijcis, ſat ſcio, hypocritas me numeraſſe in externa militantis eccleſiæ communione, iam eoſdem recenſere in conſortio diabolicæ eccleſiæ. Addis, Impoſſibile eſſe eundem communicare poſſe diuerſiſſimis inter ſe eccleſijs: domino dicente, Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem uitioſam & fructum eius uitioſum: Paulo item docente nullum eſſe conſortium inter Chriſtum & Belial, inter lucem & tenebras, inter ueritatem & mendacium: hypocriſim uero eſſe mendacium & tenebras. Video ergo hic mihi commodum offerri locum declarandi qua ratione uel quatenus numerauerim in eccleſiæ conſortio hypocritas. Prin-

Matth. 12. 2. Cor. 6.

Hypocritæ

cipio diſtingimus inter hypocritas. Sunt enim hypocritæ confidentes humanæ ſuæ iuſtitiæ, omniaq; ſua opera facientes ut uideantur ab hominibus, innitentes pertinaciter humanis traditionibus. His proprium eſt non modo eccleſiam, iuſtitiam Chriſti docentem, fugere, ſed execrari item & perſequi ſæuiſſime. Huiuſmodi fuerunt Iudæi & Iudaici phariſæi, quibus cum certamen fuit domino noſtro Ieſu Chriſto, & quibus cum hodie belligeratur eccleſia. Hi palàm ſunt membra diabolicæ eccleſiæ, nec ueniunt in cenſum uel exterioris eccleſiæ, imò non ſuſtinerent in eccleſia Chriſti nominari. Sunt rurſus hypocritæ quidã ſimulatores, nec ſuæ fidentes iuſtitiæ,

nec

nec admodum curantes traditiones humanas. Hi nec ecclesiam dei odiunt uel fugiunt, nec persequuntur, sed foris quidem consentiũt cum ipsa, eandem profitentes fidem, ijsdemq; sacramentis participantes: intus uero & in animo nec syncere credunt, nec sancte uiuunt. Ex his alij quidem ad tempus in ecclesiæ consortio hærent, oblata autem occasione ab ipsa recedunt: ut solent hæretici & schismatici, & qui ex amicis fiunt inimici. Alij uero ex ipsa nunquam recedunt, sed quoad uiuunt cõtinent se in ecclesiæ cõtubernio, foris quidem simulantes religionem, intus autem suis erroribus & uitijs atq; sceleribus indulgentes: quibus proculdubio externũ illud consortium nihil prodest. Oportet enim æternum uiuere omnibusq; bonis cœlestibus participare desiderantibus, communicare cum ecclesia dei, non externa tantum uisibilique societate, sed communione interna, ex qua existit uita salusq;. De qua suo dicetur loco. Huiusmodi uero hypocritæ uel simulatores inhærẽtes adhuc ecclesiastico corpori, membra appellantur corporis, dicunturq; esse in ecclesia. Quod ut plenius intelligatur ab omnibus uobis, parabolis aliquot adumbrabimus rem.

Dicimus malos uel hypocritas perinde in ecclesia esse, ficuti sunt in frumento paleę, quę reuera alterius naturæ sunt, & frumentũ nõ sunt. Sicut ergo humano corpori nonnunquam adhęrent membra aut arida, aut putrida, aut languentia, quæ tametsi uiuis membris spiritu uitali non communicent, cõnexione tamen & uinculis quibusdam, uiuis membris adhærent, unde & corporis membra partesq; appellantur ab hominibus: qui illa ipsa aliquando, ne cætera contagione inficiant, resecant, nonnunquam tolerant, ne dum hæc resecant, totum corpus adducatur in discrimen uitę. Ita ratione certa & suo quodam modo dicimus hypocritas esse in ecclesia Christi, licet uinculo spiritus, fidei & charitatis non sint copulati ecclesiæ, neque uiua censeantur membra: tolerantur tamen ne quid corpori ecclesiastico deterius obtingat: ac resecantur nonnunquam quo melius habeat ecclesiastici corporis sanitas. Sed audiamus euangelica & apostolica testimonia. Dominus in euãgelio diserte dicit, in agro dominico seminata ab homine malo succrescere zizania: quod & eradicari prohibet, ne simul eradicetur & frumentum. En zizania ab homine malo, ab ipso inquam dæmone seminata, quæ nõ sunt frumentum, proueniunt tamen & sunt in agro dominico. Rursus dicit in euangelio dominus, Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti: quod cum impletum fuisset, subduxerunt in litus, & sedentes, quæ bona erant in *Matth. 13.*

uasa: quæ uero mala, foras eiecerunt. En rursus cernis in eadem sagena trahi bonos & malos, ideoq; in eodem regno numerari bo-
Matth.22. nos & malos. In alia quoq; parabola comparet inter conuiuas quidam non tectus ueste nuptiali: qui ad tempus fertur, tandem à do-
Matth.3. mino conuiuij ejicitur. Idem alibi dicitur habere uannũ aut uentilabrum in manu sua, aream q; purgare & paleam comburere igni in-
2.Cor.5. extinguibili. Proinde S. Paulus in epistola ad Corinthios discrimen aliquod constituit inter professos ecclesię Christi hostes, & inter impuros quidem homines, sed nondum tamen ecclesiæ ac Christi nomẽ auersantes. Si quis, inquit, cum frater appellatur fur sit, aut scortator, aut auarus &c. cum eo ne cibum quidẽ capiatur. Quid enim ad me attinet de his qui foris sunt iudicare? Eos qui foris sunt deus iudicat. Foris, id est extra ecclesiæ septa collocat non appellatos fratres, id est non agnoscentes nomen Christi uel ecclesiæ. Intus, id est in societate ecclesiæ (nimirum exterioris) recensetq; agnoscẽtes adhuc nomen Christianum, neq; opponentes se ecclesiasticæ disciplinæ, quamuis interim contaminati sint sceleribus. Omniũ autem signifi-
1. Ioan.2. cantissime beatus Ioannes apostolus dixit, Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Nouum uidetur hoc loquutionis genus. Si enim exeuntes de ecclesia, in societate ecclesiæ non fuerunt, quomodo exire ex ecclesia potuerunt? Potest ne aliquis prodire ex loco, in quem nunquam peruenit, aut in quo nunquam fuit? Proinde si hypocritæ & mali exierunt ex ecclesia, fuerunt certè aliquando in ecclesia, tunc uidelicet, quando ex ipsa nondum exiuerunt & quales reuera fuerant declarauerunt. Rursus quandoquidem exierunt ex ecclesia, apertissime ostenderũt nunquam se reuera fuisse uiua & uera Christi & ecclesiæ membra, tametsi ad tempus ecclesiæ membris connumerati sint. Rationem subiungit apostolus, Verorum Christi membrorum ingenium est nuspiam Christum & ecclesiam deserere, sed perseuerare, adeoq; de die in diem magis magisq; proficere. Labuntur quidem sancti, sed non deserunt Christum prorsus. Clamat Da-
Psal.51. uid prolapsus in adulterium & parricidium, Cor mundum crea in me deus, & spiritum rectum renoua in uisceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me.
Luc.22. S. Petrus negauit dominum, uicitq; spiritum bonum caro infirma, sed continuo (domino commouente cor eius) resipuit, & exiens de consortio prauo coniunxit se sodalitio bono domini, qui & hunc lapsum grauem ei prædixerat, & hæc insuper uerba adiunxerat,

Oraui

Oraui pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Idem Petrus alicubi, pluribus à Christo deficientibus, rogatus num & ipse discessionem pararet? respondit, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Recte ergo dixit beatus Ioannes, Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Rationem suppingit, Si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Quoniam ergo non permanserunt nobiscum in societate Christi & ecclesiæ, defectione sua à nobis declarauerunt quales hactenus fuerint: nos pro mẽbris ecclesiæ numerauimus, ipsi uero defectione illa sua ostendũt se fuisse paleas in frumento dominico. Sicut enim palea nondum commota aut uentilata uidetur grano tritici grauis, uentilata autem uacua & leuis apparet separaturq; à frumento: ita hypocritæ leui sua defectione approbant se nunquam fuisse semine uerbi dei graues & uerum Christi frumentum. *Ioan. 6.*

Ex his colligitur doctrina generalis & orthodoxa, non omnes qui dicuntur ecclesia & ornant se titulo ecclesiæ protinus esse ecclesiam. Differte enim subiungit Ioannes, Sed ut manifesti fiant, quod non omnes sint ex nobis. Vnde & Paulus ad Rom. dixisse legitur, Non omnes qui sunt ex Israel sunt Israel: neq; quia sunt semen Abrahæ, mox omnes filij sunt: sed in Isaac uocabitur tibi semen. Proinde fideles uera & uiua sunt Christi & sanctorum membra. Interim uero quandiu hypocritæ uel mali, necdum detersо fuco, quales sint dictis uel factis produnt, ut iure excindi queant ex ecclesia, necdum ipsi sua sponte erumpentes Christi castra deserunt, & in antichristi uel diaboli tabernacula refugiunt, agnoscuntur utiq; pro inquilinis ecclesiæ, appellanturq; ecclesia & ecclesiæ membra, aliud interim de ipsis iudicante omnium corda inspiciente deo. Exemplo rursus hæc illustrabo, Quandiu Iudas Christi proditor & parricida subdolum, imò coniceratissimum suum ingenium nullo facto aut dicto publico prodebat, nec congregationem Christi & apostolorũ deserebat, sed concionabatur & rem Christi familiarem curabat, habebatur utiq; pro apostolo & œconomo Christi, pro membro ecclesiæ apostolicæ. Eundem tamen dominus & diabolũ appellabat, & excludebat manifestissime cum loqueretur de electis & ueris ac uiuis suis membris: ut iam nihil addubitare possimus Iudam non fuisse membrum internæ & sanctæ dei ecclesiæ, licet esset membrum exterioris ecclesiæ in numero recensitus sanctorũ. Ideoq; non fine causa graui dixerunt alij, Ecclesiam dei aliam quidem esse uisibilem & externam, aliam uero inuisibilem & inter- *Non omnes qui sunt in ecclesia sunt ecclesia. Rom. 9. Ioan. 13. Ioan. 6. Ioan. 15.*

Visibilis & inuisibilis, Externa & interna ecclesia.

nam. Visibilis & externa ecclesia illa est, quæ foris ab hominibus ex auscultatione uerbi domini, & sacramentorum eiusdem participatione, publicaq; fidei confessione, pro ecclesia agnoscitur. Inuisibilis & interna dicitur, non quod homines sint inuisibiles, sed quod hominum oculis non appareat, soliusq; dei oculis pateat qui uere uel ficte credant. Vere enim credentes, membra uera & uiua sunt huius interioris ecclesiæ: quam superius appellaui ecclesiam militantem strictius consideratam, aliam uero uisibilem illam bonos & malos comprehendentem latius consideratam.

De externis ecclesiæ dei notis.

Nunc quoniam dixi ecclesiam in terris militantem, à deo notis insigniri, ex quibus agnosci possit in hoc sæculo, consequenter de his ecclesiæ dei externis notis dicam. Sunt autem primariæ ac potissimæ duæ, Prædicatio syncera uerbi dei, & legitima sacramentorum Christi participatio. Quod alij adijciunt studium pietatis & unitatis, patientiam in cruce, & inuocationem nominis dei per Christum, ea in his duobus nostris comprehendimus. Paulus ad

Ephes. 5.

Ephesios, Christus semetipsum exposuit, inquit, pro ecclesia, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ, per uerbum. Habetis in hoc apostoli testimonio notas ecclesiæ Verbum & sacramentum, per quæ sibi Christus parat ecclesiam. Nam gratia sua uocat, sanguine Christi purificat: id quod uerbo annunciat ut fide recipiatur, sacramentisq; obsignat, ne quid ambigãt fideles de salute per Christum parta. Et fidelibus quidẽ sanctisq; membris hæc proprie conueniunt. Quod hypocritæ non purgantur, culpa in ipsis, nõ in deo aut in ministerio sacro, hæret: uisibiliter certè sanctificantur, unde & pro sanctis habentur ab hominibus, istaq; eis improprie cõpetunt.

Actio. 2.

Non dissidet à Paulo Petrus, qui cum prædicasset Hierosolymitanis uerbum dei, atq; hi quid facerent rogarent, respondit Petrus, Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Baptismum ergo coniunxit doctrinæ Petrus, sacramentum uerbo. Id quod didicerat ab ipso saluatore

Matt. 28.

in euangelio, secundum Matthæum, dicente, Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti. Vnde non alia quàm hæc ipsa uerbi & sacramentorum symbola ecclesiæ

Actio. 2.

recensita legis in Actis hisce uerbis, Erant perseuerantes in doctrina apostolorum, & beneficentia, & fractione panis, ac precationibus. Vbi cœnam domini alterum sacramentũ, baptismi sacramento adiectum uidetis, unitatis quoq; & charitatis studium, item inuocationem nominis diuini. His apertis alioqui & firmis satis, adijciam nihilo minus & alia ex scripturis sanctis testimonia. De symbolo

bolo uerbi dei uel prædicationis euangelij, ipſe apud Iſaiam dominus dicit, Fœdus meum pangam cum eis. Spiritus meus qui ſuper te eſt (eccleſia) & uerba mea quæ inſerui ori tuo, nunquam excident de ore tuo, neq; de ore ſeminis tui, neque de ore nepotum & pronepotum tuorum, dicit dominus à modo & uſq; in ſempiternum. Nam in euãgelio quoq; dicit dominus Ieſus, Qui ex deo eſt, uerba dei audit. Item, Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitam æternam do eis: nec peribunt in æternum. Et iterum, Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Rurſus, Omnis qui eſt ex ueritate audit uocem meam. Iam quod attinet ſacramentorum notas, S. Paulus loquens de baptiſmo ſancto, dicit, Per unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus. Ac idem ille de Cœna domini, Vnus panis, inquit, unum corpus multi ſumus. Nam omnes de eodem pane participamus. Sed & poculum quo benedicimus, an non eſt communio ſanguinis Chriſti? Certiſſimum eſt itaq;, quia diuinis traditum teſtimonijs, externas eccleſiæ notas eſſe Verbum & Sacramentum. Hæc enim colligunt nos in ſocietatem unius corporis eccleſiaſtici, & in eadẽ nos retinent.

Iſa. 59. *Ioan. 8.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.* *Ioan. 18.* *1. Cor. 12.* *1. Cor. 10.*

Hæc teſtimonia omnia proprie quidem (quod & paulò ante monui) electis dei membris fide & iuſta obedientia donatis, hypocritis fide & iuſta obedientia deſtitutis, improprie congruunt: quia tamen & hi uocem paſtoris externe audiunt, uirtuti operam dant, & palàm uel foris conglutinantur ſacramentorum participatione electis & uere credentibus, corpori inquam Chriſti uero, propter externa illa ſigna numerantur in eccleſia quandiu ex ipſa non recedunt. Vbi & hoc declarandi gratia diſputatis de Eccleſiæ notis adjcere oportet, lege communi has membra eccleſiæ inſignire. Sunt enim ſingularia quædam membra, quæ licet his careant notis, communione tamen ueræ Chriſti eccleſiæ non excluduntur. Certiſſimum eſt enim plurimos in orbe terrarum non audire prædicationem uerbi dei ordinariam, nec ingredi cœtum inuocantium deum, aut participare ſacramentis: non quod ea contemnant, aut à concione abeſſe uolupe ſit, ſed quod neceſſitate aliqua, ueluti uinculorum, morborum, aut aliorum malorum ui impliciti, quod alioqui deſiderant, conſequi non poſſunt, & tamẽ illos ipſos nihilo minus uera & uiua eſſe Chriſti & catholicæ eccleſiæ mẽbra. Olim inſtituerat dominus in populo Iſraelis uiſibilẽ eccleſiam, quã lege certa colligarat, ſignisq; uiſibilibus inſigniuerat. Eam ſi quis ſpre-

Quomodo notæ hæc eccleſiam inſigniant.

uisset, aut cum potuisset audire doctrinam ecclesiasticam, & ingredi sacrum cœtum sacrificareq; , subterfugisset, aut etiam conuitijs proscidisset, aut pro diuinitus tradito cultu, alienum fuisset amplexus, profecto minime fuisset recensitus in ordine & numero populi dei. At erant interim apud gentes per orbem terræ dispersi homines innumeri, qui non communicabant, neque communicare poterant cum hoc uisibili cœtu populi dei, ac nihilo minus tamen erant & huius cœtus sancti membra & amici dei omnipotentis. Erant cum rege Ioachim Iechonia plures filij dei in Babylonem captiui per Nabuchodonosorem abducti, quibus tamen nihil nocuit separatio à populo dei, Hierosolymis sub rege Sedechia templum & cultum uisibilem retinente: sicut multis non profuit uisibilis cõgregatio cum populo dei in templo domini, quando ipsorum mentes non essent integræ. Reperias hodie quoque innumeros per maria dispersos fideles, ad triremes propter confessionem ueræ fidei damnatos: reperias multos antichristiana captiuitate impeditos, de quibus dicemus sermone sequente: reperias item innumeros in Græcia, Natolia, Persia, Arabia, uel in Africa Iesu Christi seruos, præstantissima catholicæ ecclesiæ Christi membra, exclusos quidem Machometana impietate & crudelitate à Christianorum sacris, nihilo minus tamen coniunctissimos eodem spiritu & eadem fide cum omnibus ecclesiæ membris, uisibilibus etiam signis insignitis. Proinde uerbum & sacramentum notæ sunt ecclesiæ ex lege communi, non submouentes à communione fidelium fideles, necessitate aliqua excluſos uisibili cœtu fidelium.

4. Re. 24. Daniel. 1

Quale oporteat esse uerbum dei quod nota sit ecclesiæ.

Porrò ad plenam signorum ecclesiæ cognitionem pertinet & illud, & quidem in primis, non satis esse Verbum dei uel scripturam iactare, nisi sensum quoq; natiuum & fidei articulis congruum simul amplectamur, retineamus & tueamur. Etenim si corrumpas sensum scripturæ, & hunc urgeas in ecclesia, iam non ipsam profers scripturam synceram, sed tuam opinionem, & tua figmenta, quæ tuo ipsius arbitrio excogitasti. Non repudiabat uerbum domini Arianorum ecclesia, imò blasphemos errores suos scripturarum testimonijs & ornare & tueri contendebat. Negabat dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem esse deo patri: quod cum scripturæ & orthodoxæ fidei sensus inter prima fidei capita & asserat & urgeat, profecto non uerbum dei synceru, utcunq; id iactaret, sed adulteratum, adeoq; hæreticam suam opinionem pro orthodoxa scripturæ diuinæ sententia subijciebat & tuebatur:

& tuebatur: ideoq; non habebat uerum ecclesiæ signum, nec erat uera dei ecclesia. Ex unico hoc exemplo infelici æstimare licet omnium aliorum hæreticorum ecclesias: quæ tametsi uerbi dei testimonio non uideantur destitui, reuera tamen uerbi dei puri nihil habent reliquum.

Qualis esse debeat sacramentorum usus &c.

Quod de uerbo dei diximus, etiam de Sacramentorum usu intelligere necesse est: nisi enim usurpentur legitime, eo inquam modo, quo instituit ipse dominus, non sunt ecclesiæ dei signa. Sacrificabat quidem Ieroboam, & deo quidem sacrificabat, sed quia non legitime sacrificabat, alienus & defector à uera dei ecclesia appellatur. Quid quod ipse Dauid arcam domini exercituum summa cum deuotione & maximo cum iubilo deducebat, quoniam uero non legitime portabatur in humeris sacerdotum, protinus pro lætitia magna ingens luctus obortus, coarguit non satis esse usurpare sacramenta & instituta domini, nisi usurpes legitime. Hoc enim si fiat, agnoscit te deus pro suo. Porrò baptisatos quondam ab hæreticis, ea de causa non rebaptizarunt ueteres catholici, quod hæretici non in nomen hominis alicuius, aut in consortium suæ ignorantiæ uel hæreseos, sed in nomen patris & filij & spiritus sancti tinxerunt, nec suum uel hæresiarcharum, sed nomen Christi Iesu inuocarunt. Ergo baptismum non hæreticorum quidem, sed ecclesiæ baptismum, collatum autem ab hæreticis, nõ reprobantes, ecclesias hæreticorum non approbauerunt, ueluti ex uero signo ueras declaratas: sed agnouerunt hæreticos rebus peculiariter ad ecclesiam ueram pertinentibus uti: neq; rei bonæ derogari tantillum, si ipsam malus aliquis administret. Non agnoscimus hodie ecclesiam papæ Romanensem neotericam (de ueteri illa apostolica nihil iam dicimus) ueram esse Christi ecclesiam, attamen non retingimus baptisatos à sacerdotibus Romana imbutis corruptione. Scimus enim illos baptismo ecclesiæ Christi, non papæ, in nomen sanctæ trinitatis, ad articulos fidei catholicæ, non ad errores, non ad superstitiones & impietates papisticas esse tinctos. Deniq; fatemur ne hodie quidem rei diuinæ derogare quicquam indignitatem ministri. Ita non repudiamus Orationem dominicam, aut symbolum apostolorum, aut ipsam deniq; scripturam Canonicam, quod his quoq; utatur Romana ecclesia. Habet enim illa non ex semetipsa, sed accepit à uera dei ecclesia. Vnde cum illis in commune utimur cum ipsa, non propter ipsam Romanam ecclesiam, sed quia profecta sunt ab ipsa uera Christi ecclesia, utimur.

Baptisati ab hæreticis, non rebaptisati.

3. Reg. 12.
2. Reg. 6.

De notis ecclesiæ dei internis.

Præter illas exteriores ecclesiæ notas, quas uere credentes communes habent cum hypocritis, sunt interiores quædam singulares'q; pijs duntaxat; siue illas uincula & dona peculiaria appellare malis. Hæc exteriores notas frugiferas reddunt, & sine externis notis, necessitate aliqua absentibus, acceptos uel gratos deo efficiunt. Nam sine his nemo placet deo: in his ergo est uerus typus filiorum dei. Sunt autem communio spiritus domini, fides syncera, & charitas gemina. His enim fideles uera & uiua Christi membra, primũ quidem capiti Christo, deinde omnibus membris corporis ecclesiastici coniunguntur. Ac pertinet hæc consideratio in primis ad cognitionem ueræ dei ecclesiæ, quæ licet putrida toleret membra, ab his tamen per coniunctionem externam non polluitur. Perpetuo enim studio se incontaminatam deo seruare contendit. Ac principio Christum nobis coniungi spiritu suo, nos illi connecti animo uel spiritu per fidem, ut ipse uiuat in nobis, nos in ipso, docet nos euangelica & apostolica doctrina. In euangelio enim clamat dominus, *Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.* Quibus mox subiungit euangelista, *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum.* Rursus in euangelio spiritum suum promittens discipulis, imò omnibus fidelibus suis, qui semper cum ipsis maneat, *In illo die cognoscetis, inquit, quod ego sum in patre, & uos in me, & ego in uobis,* nimirum per spiritum sanctum: Ioanne apostolo interpretante & dicente, *Per hoc scimus quod manet in nobis, per spiritum quem dedit nobis.* Et iterum, *Ex hoc cognoscimus quod in eo manemus & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Non discrepat à beato Ioanne uas electionis Paulus, Romanis scribens & dicens, *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et quicunq; spiritu dei ducuntur, hi sunt filij dei. Iam quod adtinet ad fidem ueram connectentem nos domino, Paulus, *Viuo iam non ego, inquit, sed uiuit in me Christus. Vitam autem quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei: qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Et iterum idem, *Christus, inquit, inhabitat per fidem in cordibus nostris.* Cum quibus sententijs consentiens rursus apostolus Ioannes, *Quisquis, inquit, confessus fuerit quod Iesus est filius dei, deus in eo manet & ipse in deo.* Nam ipse dominus prior in euangelio dixit, *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Edit autem & bibit sanguinem Christi qui credit.* Proinde spiritu coniungitur nobis Christus dominus, nos animo & fide ei connecti-

Ioan. 7.

Ioan. 14.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Rom. 8.

Galat. 2.

Ephes. 3.

2. Ioan. 4.

Ioan. 6.

mur,

mur, ueluti corpus capiti: quo nexu & uinculo carentes, id est non habentes spiritum Christi neque ueram in Christum fidem, uera & uiua Christi membra non sunt: ipso rursus domino in euangelio testante & dicente, Si quis in me non manserit, eiectus est foras si- *Ioan.15.* cut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Quæ uerba saluatoris imitatus apostolus (quod & modo adduximus) dixit, Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Cæterum non destituti Christi spiritu, dilectione dei ardent. Neq; enim à fide separamus dilectionem, ipso nos iterum Ioanne do- cente & dicente, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo 1. *Ioan.4.* manet, & deus in eo. Etenim in euangelio dixit dominus, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Tametsi uero fides proprie Christo capiti nos coniungat, eadem tamen connectit nos omnibus etiam mẽbris Christi in terris. Cum enim omnium eadem sit fides, & iccirco spiritus idem, non potest non idem os, eadem mens atque sententia esse omnibus: quamuis fides nunc non usurpetur pro fiducia tantum in misericordiam dei per Iesum Christum, sed & pro confessione fidei externa. Eandem enim fidem, & unum atq; idem caput, uno spiritu & ore confiten- tes uniuersi, simul etiam profitemur nos omnes unius atq; eiusdem corporis esse membra. Nec est in mundo ulla res alia, quæ animos hominum dissociet implacabilius, quàm fidei uel religionis diuer- sitas: iccirco nihil est quod nos compingat arctius, quàm fidei uni- tas. Descendimus modo ad charitatem, quam dixi membra corpo- ris ecclesiastici mutuo inter se connectere. Dicit in euangelio domi nus, Præceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi *Ioan.13.* uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam. Indu bitatum ergo est, unicam post fidem ecclesiæ tesseram, esse charita- tem, uinculum omnia membra quàm arctissime connectens. Na- scitur ipsa ex communione Christi unitate q; spiritus. Quia enim Christus rex caput & pontifex ecclesiæ catholicæ, omnes nos uno & eodem spiritu donans, omnes sibi adaptauit in membra, filios dei, fratres & cohæredes, quos haud dubie diligit impensissime, nõ potest non fidelis quilibet summo amore complecti regis capitis & pontificis summi membra & cohæredes. Ioannes enim apostolus, Omnis, inquit, qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui 1. *Ioan.4.* natus est ex eo. Si quis dixerit, diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, deum

quem non uidet quomodo poteſt diligere? Paulus ut hanc unitatem & conſenſionem membrorum, quàm proprijſſime exprimeret & oculis noſtris ceu contemplandam proponeret, parabola utitur, ſumpta à membris humani corporis, & dicit, Quemadmodum in uno corpore membra multa habemus, membra uero omnia non eundem actum habent: ſic multi unum corpus in Chriſto ſumus, ſigillatim autem alij aliorum membra. Idem in 12. prioris ad Corinthios capite copioſius ſignificantiuſq; eandem capitis ac membrorum & horum præcipue parabolam exponens elegantiſſimeq; expoliens, teſtificatur inter ima & ſumma eccleſiæ membra ſummum & congruentiſſimum eſſe conſenſum, præterea ſedulam ſolicitudinem & auxilium tum perpetuum tum fidiſſimum. Ex quibus quidem omnibus conſit notas ueræ & uiuæ Chriſti eccleſiæ eſſe communionem ſpiritus Chriſti, ſynceram fidem & charitatem Chriſtianam: ſine quibus nemo communicat hoc ſpirituali corpore. Ex his quoq; facillimum erit iudicare, ſis ne in conſortio eccleſiæ an non ſis.

Rom. 12.

De origine eccleſiæ.

Præterea colligimus ex illis quæ diſſeruimus hucuſq; de ſignis eccleſiæ Chriſti, unde ſit origo eius, quomodo item plantetur, propagetur & cõſeruetur eccleſia. Origo eius cœleſtis eſt. Paulus enim, Quæ ſurſum eſt Hieruſalem (inquit loquens de eccleſia) libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Ergo cœleſtem uocat eccleſiam, non quod uniuerſa habitet in cœlis, ſed quod agens adhuc in terris originem habeat cœleſtem. Etenim filij dei non naſcuntur ex carne & ſanguine, ſed ex cœlo, per renouationem ſancti ſpiritus, qui per prædicationem uerbi diuini plantat fidem in cordibus noſtris, per quam fidem efficimur uera Chriſti et eccleſię membra. Petrus enim dicit, Renati eſtis non ex ſemine mortali, ſed immortali, per ſermonem uiuentis dei & manentis in æternum. Et Paulus, In Chriſto Ieſu per euangelium, inquit, ego uos genui. Idem enim apoſtolus alibi dicit, Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbum dei.

Galat. 4.

1. Pet. 1.

2. Cor. 4.

Rom. 10.

Doctrinis hominũ eccleſia non ædificatur

Cum autem fides ex auditu ſit, auditus autem per uerbum dei, & ſignificanter quidem per uerbum dei, nequit profecto eccleſia oriri aut ædificari decretis & doctrinis hominum. Ergo ſolum dei uerbum ad ædificationem eccleſiæ congruere aſſeueramus. Doctrinæ humanæ humanam excitant eccleſiam: uerbum Chriſti Chriſtianam extruit. Nam ex carne & ſanguine ſunt doctrinæ humanæ. Petrus autem uera fide Chriſtum confitens, ideoq; impoſitus fundamento eccleſiæ Chriſto, ab ipſo audit Chriſto, Caro & ſanguis nõ reuelauit ubi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Ergo & Paul.

Matth. 16

Vbi

Vbi deo uisum est, inquit, ut prædicarem filium eius inter gentes, non contuli cum carne & sanguine. Et reliqua. Idem ab ædificatione fidei ac ecclesiæ quàm manifestissime remouens humanas doctrinas, & solum dei uerbum cõmendans, dicit ad Corinthios, Prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei. Huc iam pertinent hæc Christi testimonia, Qui ex deo est, uerbum dei audit. Item, Omnis qui ex ueritate est, audit uocem meam. Et adhuc clarius, Oues pastorem sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo: quia non nouerunt uocem alienorum. Atqui sub uocem alienorum referimus omnia decreta hominum aliena à doctrina Christi: quibus apostolus Paulus tribuit quidem sapientiæ speciem, sed adimit ueritatem, superstitiosaq; appellat. Nam ipse dominus noster in euangelio ex propheta Isaia irrefragabile illud profert in medium, Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Teneamus ergo ueram dei ecclesiam non extrui humanis decretis, sed eam solo Christi uerbo fundari, plantari, colligi & extrui.

Galat.1.
1.Cor.2.
Ioan.8.
Ioan.18.
Ioan.10.
Colosſ.2.
Titum 1.
Matth.15.

Addimus indubitatum esse, eodem dei uerbo ecclesiam dei, ne uel seducatur uel dilabatur & pereat, conseruari, nec aliter unquam ullo pacto conseruari posse, Paulo iterum testante, & dicente, Christus dedit alios quidem apostolos, alios uero prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad administrationem sanctorum in opus dispensationis (id est ad docendum & dispensandum uerbum) in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plene adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum (en damnantur iterum graui & irrefragabili authoritate hominum doctrinæ) per astutiam qua adoriuntur nos ut seducant nos: sed ueritatem sectantes in charitate, adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus si coagmentetur & compingatur per omnem commissuram administrationis, iuxta actum in mensura uniuscuiusq; partis, incrementum corporis facit, in ædificationem suiipsius per charitatem. Hæc apostoli uerba clariora sunt quàm ulla indigeant interpretatione copiosiore. Locum autem hic haberet Ordo gubernandi ecclesiam per prædicationem uerbi dei, quam plerique appellant ministerium uerbi uel ecclesiæ. De quo dicemus, deo uolente, Sermone III. Satis fuerit hic tenere, dominum

Verbo dei conseruari ecclesiam.
Ephes.4.

deum noſtrum, datis eccleſiæ doctoribus, eccleſiam ſuam per Verbum, & quidem per ſolum uerbum ſuum, fundare, extruere & conſeruare propagareq;.

Veniunt autem in præſenti conſideranda duo. Prius, eccleſiam dei propter perpetuum ac cõſtans uerbi dei ſtudium appellari Prophe-

Eccleſia prophetica & apoſtolica.

ticam & apoſtolicam, deniq; & orthodoxam. Prophetica enim & apoſtolica dicitur, quod opera prophetarum & apoſtolorũ primum ſit extructa, ac per eorundem doctrinam conſeruetur uel hodie, propagetur q; in finem uſq; ſæculi. Orthodoxa dicitur, quod re-

Orthodoxa.

ctæ ſententiæ opinionis ac fidei ſit. Extra eccleſiam enim non eſt uera fides, neq; ulla de uera uirtute & felicitate doctrina abſoluta. Eccleſiæ fides & doctrina cœlitus ab ipſo deo reuelata eſt per Adamũ & patriarchas, per Moſen & prophetas, per Chriſtũ & apoſtolos. Vnde & mater alibi dicitur. De quo dicemus Sermone proximo.

De ſucceſſione epiſcoporum continua.

Poſterius, ſucceſſionem doctorum uel paſtorũ eccleſiæ ſine uerbo dei per ſe nihil probare. Iactant Papiſticæ eccleſiæ propugnatores, ſe certiſſimum habere ſignum apoſtolicæ eccleſiæ, nimirum in perpetua illa epiſcoporum ſucceſſione, à ſancto Petro per Clementem primum, ad Clementem uſq; VII. ad Paulum item III. nuper mortuum, & ad Iulium uſq; III. non ita pridem creatum, decurrente. Adijciunt reſecta eſſe membra quotquot ab illa ſe ſeparent eccleſia, in qua ſola reperiatur ſucceſſio illa apoſtolica. Nos uero non negamus ſucceſſionem paſtorum certam in primitiua eccleſia magni fuiſſe momenti. Qui enim tunc appellabantur, erant paſtores, & munia paſtorum obibant. Quales autem fuerint paſtores à ſæculis multis, quos Romanæ eccleſiæ paſtores appellauit Cardinalium, epiſcoporum mitratorum & ſophiſtarum uulgus, nemo neſcit nifi ſenſu cõmuni carens. Audit Zacharias propheta ſibi ſugeri à domino, Adhuc ſume tibi uaſa paſtoris ſtulti. Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non uiſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſoluet. Væ paſtori idolo, qui deſerit gregem. Et cætera. Proinde nihilo plus probant iſti continua ſerie epiſcoporum, uerbum dei non docentium ſyncere, neq; fungentium paſtorum munere, quàm ſi mundo ob oculos ſtatuant magnam idolorum copiam. Quis enim negare audeat bonam, imò maximam partem Romanorum pontificũ, poſt Gregorium magnum, huiuſmodi fuiſſe idola, huiuſmodi lupos & depaſtores, quales deſcripſit propheta Zacharias? Quid ergo talium pſeudopaſtorum probaret cõtinua ſucceſſio? Quid quod poſtremi uniuerſam

Zach. 11.

uniuersam propè ecclesiam traditionibus hominum oppleuerunt, & uerbum dei partim oppresserunt, partim persecuti sunt? In ueteri Israelis ecclesia erat continuus ordo pontificum, non interrupta serie, ab ipso Aarone, ad Vriam usq; , sub Achas uiuente, & ad alios usq; impios pontifices, à uerbo dei ad traditiones hominũ, imò & ad idololatriam deficientes. At successio illa non probabat idololatras pontifices, cum ecclesia ipsis adhærente, ueros dei pontifices, ueramq; esse dei ecclesiam. Certe prophetæ dei ueri, orthodoxi & catholici uiri, solumq; dei uerbum sine traditionibus, imò contra traditiones prædicantes, non potuerunt ullam recensere antecessorum sacerdotum non interruptam seriem, in qua succederent ipsi, & tamen erant illustrissima ecclesiæ luminaria, & præclarissima ecclesiæ dei membra, credentesq; prædicationi ipsorum, nec schismatici, nec hæretici, sed uera Christi ecclesia uel hodie agnoscitur. Cum Christus dominus noster, benedictus dei filius, doceret in terris, colligeretq; ecclesiam, successio pontificum erat apud aduersarios. At illi ea de causa non præsidebant ueræ dei ecclesiæ, Christus hæreticæ. Sed & Apostoli domini nostri non potuerunt pro se & sua doctrina pontificum nõn interruptam seriem proferre. Nam ordinati erant à domino, qui & ipse extra successionem ordinis Leuitici, iuxta nouum ordinem Melchizedechicum, à deo creatus erat pontifex in æternum, & tamen ecclesia ab ipsis collecta, agnoscitur ab omnibus uera & sancta esse ecclesia. Illi ipsi apostoli pro ueris suis imitatoribus & successoribus non alios, quàm recta ambulantes in doctrina ac uia Christi, agnosci uoluerunt. Notissima est enim illa uulgaris Paulina sententia, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et quamuis hæc ad omnes fideles dicat, non ad ministros uerbi dei duntaxat, hos tamen in primis tales uult esse imitatores suos, quales reliquum Christianorum uulgus, quemlibet utiq; in sua uocatione. Idem apostolus loquens Mileti cum episcopis Asianis, inter alia, Ego noui hoc, inquit, quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Paulus apostolus non aliunde quàm ex ipsa apostolica ecclesia, imò ex cœtu uel choro episcoporum & pastorum apostolicorum, deriuat lupos & depastores ecclesiæ. An uero hi non potuissent pro se & pro caussa sua corruptissima adducere seriem apostolicã, se uidelicet ex apostolicis descendere pastoribus? Cæterum quoniam perfidi defecerunt à fide, & à doctrina apostolica, nihil pro ipsis faciebat origo & successio apostolica. Concludimus ergo,

1. Cor. 11.

Act. 20.

ſucceſſionem continuam epiſcoporum per ſe nihil probare, imò non eſſe ſucceſſionẽ iuſtam puritate doctrinæ euangelicæ & apoſtolicæ carentem.

Tertull. de ſucceſsione paſtorum continua.

Ideoq; Tertullianus magni faciens, & meritò quidem, ſucceſſionem paſtorum in eccleſia continuam, flagitat tamen ipſam doctrinæ apoſtolicæ ſynceritate approbari: imò eccleſias doctrina pura inſtructas, nec interim epiſcoporum ſucceſſionem recenſere ualentes, pro apoſtolicis agnoſcit. Verba authoris ſi quis requirat, hæc ſunt. Cæterum ſi quæ audent interſerere ſe ætati apoſtolicæ, ut ideo uideantur ab apoſtolis traditæ, quia ſub apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere, Aedant igitur origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille epiſcopus aliquem ex apoſtolis uel apoſtolicis uiris, qui tamen cum apoſtolis perſeuerarit, habuerit authorem & anteceſſorem. Hoc enim modo apoſtolicæ eccleſiæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrneorum eccleſia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert. Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum ædit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici (quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum eſt?) ſed etſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronunciabit, neq; apoſtoli alicuius authoris eſſe, neque apoſtolici. Quia ſicut apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent: ita & apoſtolici non contraria apoſtolis ædidiſſent: niſi illi qui ab apoſtolis deſciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis eccleſijs, quæ licet nullum ex apoſtolis aut apoſtolicis authorem ſuum proferant, ut multò poſteriores, quæ deniq; quotidie inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes, non minus apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.

Veteris Rom. eccleſiæ doctrina.

Idem author loquens de antiqua Romana eccleſia, ſummãq; contexens quid docuerit ac didicerit, dicit, Felix eccleſia, cui totam doctrinam apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoq; eccleſijs cõteſſerarit, Vnũ deum nouit creatorem uniuerſitatis: & Chriſtum Ieſum er uirgine Maria

filium

filium dei creatoris: & carnis resurrectionem: legem & prophetas cum euangelicis & apostolicis literis miscet: & inde potat fidem eam: aqua signat: sancto spiritu uestit: eucharistia pascit: martyrio exhortatur: & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio. Tantum Tertull. in libro quem inscripsit De præscriptionibus hæreticorum.

Postremum quod obseruemus illud est, Dominũ non tantum olim & usq; huc dedisse, sed hodie quoq; dare doctores & pastores ecclesiæ: & doctores quidem non ductores uel imperatores exercituum, non principes, non milites, nõ homines uafros, dolosis utentes artibus, quas hodie dicunt practicas. Nulla enim ratione alia, nullo modo, nullóue instrumento alio, quàm doctrina ueritatis & pietatis syncera & simplici extruitur, munitur, & conseruatur catholica & sancta dei ecclesia, quam & ab initio homines simplices & apostoli Christi prædicatione euangelij fundauerunt. Remouet ergo omnem sæcularem sapientiam Paulus, & ait, Ego per infirmitatem & cum timore ac in tremore multo apud uos (Corinthi) uersatus sum, & sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & potentiq, ut fides uestra non sit in sapientia hominum sed in potentia dei. Remouet idem apostolus omnia consilia dolosa cum omnis generis impostoris, cum ad Thessalonicen. scribens dicit, Exhortatio nostra non fuit ex impostura, neq; ex immunditia, neq; cum dolo: sed quemadmodum probati fueramus à deo, ut nobis committeretur euangelium, ita loquimur: non hominibus placentes, sed deo, qui probat corda nostra. Neq; enim unquam per sermonem adulationis uersati sumus: quemadmodum nostis: nec per occasionem auaritiæ: deus est testis: neq; quærentes ex hominibus gloriam. Et reliqua. Quapropter desipit insanitq; existimans practicis, id est uafris hominum consilijs insidijsq;, uel colligi uel collectam conseruari posse ecclesiam. Verè dicitur à uulgo, humana prudentia subuerti iterum, quod extructum sit humana prudentia. Præterea remouet uim & arma ab ædificatione ecclesiæ ipse dominus cum usum gladij discipulis suis prohibet, ac Petro pugnanti iam, dicit, Conuerte gladium in locum suum. Neq; uero ullos unquam misisse legimus milites à domino, qui armata ui mundum subigant. Quinimò scriptura testatur ipsum hostem dei magnum antichristũ spiritu oris dominici conficiendũ. Vnde dubium non est, figurate exponi oportere omnia ea quæ passim in prophetis & apud Zachariam potissimum 12. cap. leguntur de bello omnibus gentibus

Ecclesia bellis & malis artibus nõ ædificatur.

Matth. 26. Lucæ 22.

2. Thess. 2.

ab apostolis apostolicisq; uiris inferēdo. Etenim apostoli suo more pugnant ut apostoli, non hasta gladio & arcu militiæ carnalis, sed spiritualis. Gladius apostolicus est uerbum dei. Interim uero nemo negat, profuisse aliquando arma corporalis militiæ apostolicis uiris & ecclesiæ, & prodesse uel hodie: nemo negat deum usurpare opera militum & magistratus frequentissime ad defendendam ecclesiam contra impios & tyrannos. Imò fatentur omnes, bonum et pium magistratum operam suam debere dei ecclesiæ. Neque enim
Isaiæ 49. fine caussa clarissimus dei propheta Isaias, reges appellat ecclesiæ nutritios & reginas nutrices. Paulus certè oppressus à Iudæis in tem
Acto. 21. plo Hierosolymitano, propter prædicationem euangelij in gentes, armata Cl. Lysiæ tribuni Rom. manu eripitur & asseritur: mox additis eidem apostolo per eundem tribunum militibus non paucis,
Acto. 23. nempe equitum turma & cohortibus aliquot peditum, incolumis Antipatrida & Cæsaream usq; ad Iudææ Procos. Felicem deducitur. Id quod non temere tanta diligentia & copia in Actis apostolorum à Luca commemoratur. Ecclesiastica historia non pauca nobis exempla sanctissimorum principum asserentium & iuuantium ecclesiam dei recitat. Sed hæc alibi à nobis utcunq; sunt tractata, Decadis, ni fallor, secundæ, Serm. 7. & 8. Hæc autem hactenus de Origine ecclesiæ dei, deq; propagatione & conseruatione eiusdem diximus.

An ecclesia dei errare possit?

Hoc loco uideor mihi nō admodum incommode quæstionem illam celebrem tractare uel paucis explicare posse, Num ecclesia dei errare possit? Quod ut intelligatur perspicatius, excutiam breuibus ipsius quæstionis terminos. Ecclesiam dei Catholicam docui comprehendere primum quidem beatos in cœlo spiritus, deinde in terris omnes fideles Christi, quibus adhærere dixi malos uel hypocritas ad tempus fidem simulantes. Iam ergo si intelligamus ecclesiam beatorum spirituum, non errat ea unquam. Si uero intelligamus admixtos bonis malos uel hypocritas, & hos quidem solos, per se quidem nihil aliud quàm errant: quatenus uero bonis aut fidelibus coniuncti sunt ac eos sequuntur, uel errant uel non errant Bonorum enim uel fideliū ecclesia in terris errat & non errat Id quod errorum diuersitate expensa, integroq; in censum numero collecto explicabimus. Errorum alij sunt doctrinæ & fidei: alij uero uitæ & morum. Quales utriq; sint, nemo ignorat, opinor. Videamus ergo, erret ne fidelis ecclesia in terris, & si errat qua in re uel quatenus erret. Quod ad mores & uitam ecclesiæ attinet, non potest se in uniuersum liberare ab erroribus, id est à peccatis. Semper enim dum

in

in terris uiuit seriò orat, Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et deus pro sua misericordia semper expurgat in sanctis reliquias & infirmitates, quandiu in hoc sæculo uiuunt subinde recurrentes & polluentes electos. Non ignoro quid te hic impediat auditor fidelis. Si non est sancta & pura ecclesia, ais, quomodo appellatur ab apostolo sancta sine macula & ruga? Respondeo, si nolis in terris agnoscere ecclesiam, nisi quæ in uniuersum omni næuo careat, nullã omnino cogeris agnoscere. Nulla enim talis superstes erit in terris ecclesia, ubi iustissimus deus, scriptura testificante, omnia conclusit sub peccatũ, ut omnium misereatur. Paulus ergo appellat ecclesiam puram, macula & ruga carentem, propter Christi beneficiũ & sanctificationem: non quod per se, dum in carne agit, nullas habeat maculas, sed quod illæ maculæ reuera alioqui adhærentes, propter Christi innocentiam, fide Christum amplexãtibus, non imputentur: denicq; quod illa eadem in futuro sæculo nullas sit habitura maculas uel rugas. Nam exuta carne, omnibus abiectis miserijs, tãdem perficietur, ut ei desit nihil. Præterea dicitur ecclesiam esse sine macula, propter assiduum studium ecclesiæ, quo contendit & annititur modis omnibus, ut quantum possibile est, quàm minimũ habeat macularum. Et ea quidem ratione, & maxime imputationis beneficio, non errat & uelut impeccabilis & purgatissima est ecclesia. Porrò quod ad doctrinam & & fidem attinet, non errat ecclesia Christi. Nam solius pastoris uocem audit, alienorum autem nõ agnoscit: Christum enim unicum pastorem suum sequitur, dicentem, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Paulus quoque ad Timotheum, Hæc ad te hactenus dedi, inquit, ut noris quomodo oporteat te in domo dei uersari, quæ est ecclesia dei uiuentis, columna & basis ueritatis. Est autem Ecclesia columna & basis ueritatis, quod imposita fundamento prophetarum & apostolorum, ipsi Christo, qui est æterna dei ueritas & robur ecclesiæ unicum, ab ipsius communione accipiat, ut & ipsa sit columna & basis ueritatis. Est enim ueritas dei in ecclesia, eademq; per ministeriũ ecclesiæ propagatur, impetitaq; ab hostibus & oppugnata, firma manens, non expugnatur: quatenus scilicet cum Christo concorporata in communione Christi perseuerat, sine quo nihil potest. Rursus autem errat eadem illa ecclesia in doctrina & fide, quoties uidelicet à Christo & à uerbo eius auersa, homines carnisq; consilia & decreta sectatur. Illud enim deserit, quod obstitit hactenus ne aberraret, uerbum dei & Christum. Nemo negat, opinor, eximiam dei

Ioã. 13. 15.
Rom. 7.
Quomodo ecclesia sancta & ruga?
ecclesia sancta sine macula & ruga.
Ioan. 8.
1. Tim. 2.
Ecclesia columna et basis ueritatis.
Exod. 32.

fuisse ecclesiam, cœtum illum magnum populi Israelitici in deserto, cum quo fœdus pepigerat sacramentisq; & institutis ipsum sibi deuinxerat dominus. At quàm turpiter illa errauerit, dum uerbo dei præterito, nec constanter & serio religionis antistite resistente Aarone, uitulum & fudit & diuinis prosequutus est honoribus, nemo ignorat. Vbi certe opportunum erit totum quoq; ecclesiæ numerũ diligentius inspicere atq; censere. Pluribus enim in ecclesia errantibus, non consequens est neminem ab errore excipi prorsus. Nam ut in Israelis ecclesia reliquias sibi reseruauit dominus, ipsum inquã Mosen, Iosue, & haud dubie nonnullos alios, & in hocipso cœtu, & extra hunc cœtum alicubi, uitulum non adorantes: ita dubium non est, errantibus pluribus in ecclesia, deum sibi misericordia sua certum præseruare numerum, qui & recte sapiat, & quorum fide & diligentia errores destruantur, & errans domini grex reducatur in ouile sanctum. Errare ergo dicitur ecclesia, quando pars eius, relicto uerbo dei, errat: eadem non errat in uniuersum tota, quatenus gratia dei reseruãtur reliquiæ, ex quibus ueritas reflorcat & iterum quàm latissime propagetur. S. Paulus appellauit ecclesias Corinthiorum & Galatarum sanctas dei ecclesias. Cæterum aberrauerũt hæ grauiter in doctrina, in fide, & in moribus. Quis autem dubitet plurimos in ijs fuisse syncerissimos puræ doctrinæ à Paulo traditæ cultores? Errauit ergo sancta illa ecclesia, quatenus non perstitit in uera doctrina: non errauit, quatenus non recessit à ueritate per apostolum tradita. Hinc toti mundo inclaresc it, uanissimos mendacissimosq; esse homines, laudantes nobis ecclesias non prophetarum et apostolorum fundamento impositas, sed super hominum decreta collocatas, quas nõ uerentur cõmendare nobis pro uerissimis, quæ errare non possint. Clamat Dauid, Solus deus uerax: omnis homo mendax. Clamat Ieremias, Verbum domini reprobarunt, quę ergo sapientia illis reliqua esse poterit? Proinde errant illæ ecclesiæ, nec sunt ueræ dei ecclesiæ. Vera ecclesia innititur Christo Iesu, & huius solius uerbo regitur.

Iere. 8.

De potestate ecclesiæ.

Huic tractationi de uerbo dei unica omnium in ecclesia gerendarum rerum regula, affinis est disputatio de potestate ecclesiæ dei in terris, & de studijs eius quæ & ipsa diriguntur ad præscriptum uerbi dei. Priusquam tamen nostram, id est scripturis traditam sententiam proferam, recitabo paucis summam eorum quæ pontificij de hac ipsa re scripta reliquerunt ac tuentur haud dubie pro orthodoxa doctrina. Ioan. Gerson (non admodum inepte, nisi accedat malignus interpres) finiuit potestatem ecclesiasticam, facultatem

tem esse supernaturaliter & spiritualiter collatam à domino discipu
lis,eorumq; successoribus legitimis,usq; in finem sæculi,ad ædifica
tionem ecclesiæ militantis,secundum leges euangelicas,pro conse-
cutione felicitatis æternæ. Petrus autẽ De Aliaco Card. hanc po-
testatem dixit esse sextuplicem, nempe potestatẽ consecrationis: sa-
cramentorum administrationis: dispositionis ministrorũ ecclesiæ:
prædicationis:iudiciariæ correctionis,accipiendiq; uitæ necessaria.

Potestatem consecrationis illam dicunt, qua sacerdos rite ordina *Potestas*
tus conficere potest corpus & sanguinem Christi in ara. Eam col- *consecra-*
latam aiunt discipulis à domino,hisce uerbis, Hoc facite in mei me *tionis.*
moriam. Cæterum sacerdotibus hodie conferri arbitrantur ab epi-
scopo,offerente cum pane calicem,& dicente,Accipite potestatẽ of-
ferendi & conficiendi corpus Christi,p uiuis & mortuis. Hanc præ
terea appellant potestatẽ ordinis & characterem indelebilem. Po- *Potestas*
testatem administrationis sacramentorũ, & maxime sacramentum *clauium.*
pœnitentiæ, nuncupant Potestatem clauium. Claues faciunt dupli
ces,claues scientiæ,authoritatem scilicet cognoscendi in caussa pec
catoris confitentis: & claues sententionandi, siue aperiendi & clau
dendi cœlum,remittendi uel retinendi peccata. Hanc promissam di
cunt Petro potestatem,in Matthæo, dicente domino, Tibi dabo cla
ues regni cœlorum: collatam autem discipulis omnibus,apud Ioan
nem,Christo dicente,Quorumcunq; remiseritis peccata, remittun-
tur eis. Sacerdotibus porrò hodie conferri ab episcopo in consecra-
tione impositis manibus in sacerdotum ordinandorum capita, di-
cente,Accipite spiritum sanctum: quorumcunq; remiseritis peccata,
remittuntur eis. Potestatem dispositionis ministrorum ecclesiæ *Potestas in*
uocant Iurisdictionem ecclesiasticam,& consistere in quadam præ- *risdictio-*
latione,adeoq; in sua plenitudine residere in summo pontifice,quo *nis.*
ad totam ecclesiam uniuersalẽ. Solius enim pontificis esse instituere
rectores & prælatos in ecclesiastica hierarchia: eò quod ipsi dictum
sit,Pasce oues meas. Addunt à pontifice omnem iurisdictionem ec
clesiasticã descendere,uel mediate uel immediate,in inferiores præ-
sidentes: in quibus limitata sit potestas, pro arbitrio eius qui pleni-
tudinem habeat potestatis. Nam episcopum duntaxat potestatem
habere in sua diocœsi,curatum autẽ in sua parochia,&c. Potesta- *Potestas*
tem apostolatus uel prædicationis uerbi dei dicunt esse authorita- *prædica-*
tem prædicandi, quam tradiderit dominus discipulis suis, dicen- *tionis.*
do, Exeuntes in orbem uniuersum, prædicate euangelium omni
creaturæ. Asseuerant autem doctores hodie mitti oportere ad præ-
dicandum, non aliunde quàm ab ipso Petro, id est, eius succes-

Potestas iudiciaria.

sore, uel mediate uel immediate, &c. Potestatem iudiciariæ correctionis collatam aiunt à domino ipsi Petro, cui ille dixerit, Si peccarit in te frater tuus. Et cætera. Nam notissima sunt uerba domini apud Math. in capite 18. Aiunt ergo dominũ sacerdotibus contulisse potestatem, non tantum excommunicandi, sed etiam definiendi, discernendi, & statuendi præcepta, leges & canones: eò quod ibidem dictum sit, Quæcunq; ligaueritis super terram, ligata erũt & in cœlo.

Potestas accipiendi.

Porrò potestatẽ accipiendi uitæ necessaria pro laboribus spiritualibus, exhibitam aiunt hisce domini uerbis, Edentes & bibentes quæ apud illos sunt.

Hæc isti docent de potestate ecclasiastica, nõ modo inepte, sed & falsè. De potestate consecrationis & sacrificandi quàm uana & inanis sit, diximus aliàs sæpe, & dicemus fortè amplius, si uitam prorogarit dominus, suo loco & tempore. De potestate clauium disputabimus, deo uolente, sub finẽ consequentis Sermonis. Attulimus quædam deniq; cum differeremus de Pœnitentia & Confessione auriculari. Nugæ autem sunt putidæ & impudentes, quæ garriunt de Iurisdictione ecclesiastica, de plenitudine potestatis summi, id est, Romani pontificis. Id quod dudũ toti mundo innotuisse arbitror: ac sequentur nonnulla in hisce nostris Sermonibus confutationis argumenta. Quod sibi usurpant docendi munus, nec ullos legitime prædicare posse, nisi ab ipsis ordinatos, clamitant, oppressionem uerbi dei suorumq; errorum patrocinium & assertionem quærunt. Id quod etiam suo loco tractabitur. Potestate excõmunicandi tam fœdè & impudenter abusi sunt, ut non modo ueram disciplinam per eorum negligentiam & impiam audaciam amiserit ecclesia, uerum etiam ipsa excommunicatio sæculis aliquot nihil aliud fuerit in manibus pontificum, quàm ignis & gladius, quibus contra ueros Christi confessores ferè sæuierunt, ac innoxios Christi cultores persecuti sunt. Porrò nullam potestatem ministris ecclesiæ datam esse à domino nouas condendi leges, demonstrabimus suo loco. Potestatem accipiendi necessaria uitæ exercuerunt quidẽ strenue, sed spiritualia interim (in recompensationem temporalis messis) non seminarunt, imò dormitantes permiserunt inimico homini zizania serere in agrum dominicum, idq; non aliena, sed sua ipsorũ opera. Quid quod uitæ necessariis non contenti, regna quoq; subdole inuaserunt, & impudenter ac truculenter obtinuerunt? Qui ergo non uidet ecclesiasticã potestatem, ita ut apud istos homines de ea differitur, & ab ipsis usurpatur, meram esse in miseras animas tyrannidem, nihil planè uidet.

Subium-

Subiungemus iam ueram, puram, simplicem & perspicuam de potestate ecclesiastica doctrinã. Potestas definitur esse ius aliquid faciendi. Græce appellatur & ἐξουσία, & δύναμις, quorum prius ius & potestatem, posterius iuris uel potestatis exequendi facultatẽ significat. Sæpe enim fit, ut aliquis habeat potestatẽ faciendi rem aliquã, destituatur autem perficiendi facultate. Deus utrũq; potest, & utrũq; concessit apostolis contra dæmonia, Luca testante & dicente, ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν, dedit eis facultatem & potestatem super omnia dæmonia, &c. Est autem potestas alia quidem libera & absoluta, alia uero limitata, quam & ministerialẽ uocant. Absoluta est, quę libera prorsus nullius alterius arbitrio uel lege regitur aut constringitur. Qualis est potestas Christi dicentis in euãgelio, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos, &c. De hac potestate loquens iterum in reuelatione sua beato Ioanni apostolo facta, Noli timere, inquit, ego sum primus & nouissimus, ego uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuẽs in sæcula sæculorum: & habeo claues inferorum & mortis. Et iterum, Hęc dicit sanctus & uerax, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Limitata potestas non est libera, sed absolutæ uel alterius maiori potestati subiecta, quæ non quidnis, sed illud dũraxat potest, quod potestas absoluta uel maiore præditus potestate permisit, & certa quidẽ cum cõditione permisit. Qualis certe est ecclesiastica potestas, recte appellata ministerialis. Exercet enim ecclesia dei potestatem suam sibi ab hoc traditam, per ministros suos. Augustinus distinctionem hanc agnoscens, & de baptismo loquens, Tractatu in Ioan. 5. Baptizauit Paulus, tanquã minister, inquit, non tanquam ipsa potestas: baptizauit autem dominus tanquam potestas. Intendite, potuisset hanc potestatẽ seruis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, ut & ipsorum esset quod domini erat, tot essent baptismata quot serui, &c. In ecclesia absolutam potestatẽ ipse sibi Christus retinet. Nam manet caput, rex & pontifex ecclesiæ in æternum, nec separatur à corpore suo unquã caput illud uiuificum. Potestatẽ autem limitatam ecclesiæ dedit. Id quod agnoscere oportet: potestatem, inquã, ecclesiasticã certis legibus circũscriptã proficisci à deo, ac ea de caussa effi cacem esse, ideoq; deum in omnibus in primis respici oportere: item in hoc esse datam ecclesiæ potestatẽ, ut exerceatur in ecclesiæ salutẽ. Etenim S. Paulus, Dedit nobis dominus potestatem, inquit, in ædificationem, & non in destructionem ecclesiæ. Ergo quæ in detrimentum & perditionem uergit, tyrannis est sathanica, nõ potestas

Potestas quid.

Lucæ 9.

Duplex potestas.

Apocal. 1.

Apoc. 3.

2. Cor. 13.

à deo proficiſcens eccleſiaſtica. Ac præſtat hunc finem poteſtatis ecclesiaſticæ diligenter tenere.

In quibus conſiſtat poteſtas ecclesiaſtica.

Cæterũ poteſtas illa limitata eccleſiæ ferè in hiſce uerſatur capitibus, in ordinandis eccleſiarũ miniſtris, in doctrina, & in dijudicatione doctrinarum, deniq; in diſpoſitione rerum eccleſiaſticarum. De ſingulis ordine paucula dicemus, explicantes qualis ſit eccleſiæ poteſtas, et quomodo limitetur in ſingulis capitibus. Dominus ipſe quidẽ primos eccleſiæ doctores apoſtolos ordinauit, ut omnes homines intelligerent miniſterium eccleſiaſticum ipſius dei diuinam eſſe inſtitutionẽ, & non ab hominibus inuẽtam traditionem. Ergo poſtquã aſſumptus eſſet in cœlos dominus, S. Petrus conuocata eccleſia loquitur ex ſcripturis de alio ſurrogando apoſtolo, in locum proditoris Iudæ, eo ipſo facto declarans eccleſiæ à deo datã eſſe eligendi miniſtros uel doctores poteſtatẽ. Eadem eccleſia mox & diaconos ſeptem, ita ſuadente Petro & apoſtolis, nimirũ ſpiritu ſancto inſpiratis, elegit. Antiochena eccleſia manifeſte inſtructa à ſpiritu ſancto, Paulũ & Barnabam, licet iam olim ad miniſteriũ deſignatos, ordinat & mittit. Leguntur præterea in Actis apoſtolorũ eccleſiæ, apoſtolis ita iubentibus, doctores ad miniſterium ſacrum quoties res poſtulabat ordinaſſe. At non ordinabant interim quoslibet, ſed idoneos, id eſt tales, quales legibus expreſſis poſtea deſcripſerũt, Si quis eſſet inculpabilis, unius uxoris maritus, uigilans, ſobrius, &c. Notus eſt enim Canon apoſtolicus æditus 1. Timoth. 3. ca. Sed dicemus, deo uolente, de Ordinatione miniſtrorũ Sermone huius Decad. 3. Si uero accepit eccleſia poteſtatẽ ponendi miniſtros eccleſiarum idoneos, certe nemo negabit eccleſiam facultate deſtituram eſſe deponendi indignos & impios ſeductores: corrigendi deniq; ea quæ huic uidentur deſſe ordini neceſſaria.

Ordinare miniſtros eccleſiæ.

Act. 1.

Act. 6.

Act. 13.

1. Timot. 3

Docere.

Quoniam uero miniſtri præcipue ad docendum deliguntur, eccleſia poteſtatem habet docendi, adhortandi, conſolandi, &c. per miniſtros ſuos legitimos: docendi autem non quidlibet, ſed quod traditum accepit à domino, per doctrinam prophetarum & apoſtolorum. Docete eos, ait dominus, quæ ego præcepi uobis. Ite, prædicate euangelium omni creaturæ. Et Paulus, Segregatus ſum ad prædicandum euangelium, quod ante promiſit per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. Eſt autem hoc docendi miniſterium aliud nihil quàm poteſtas clauium, quas accepit eccleſia: officium, inquam, ligandi & ſoluendi, aperiendi atq; claudendi cœlũ. Acceperunt alibi quoq; à domino apoſtoli poteſtatẽ ſuper omnia: ſuper omnia, inquam, non abſolute, ſed ſuper omnia dæmonia, & nõ ſuper omnes angelos

Matth. 28. Marci 16. Rom. 1.

Poteſtas clauium.

Matth. 10. Lucæ 9.

angelos & homines: & quam in dæmones potestatem acceperunt, ne ipsam quidem absolutam acceperunt. Additur enim, Vt expellerent eos. Proinde nõ potuerũt ,p suo arbitrio cũ dæmonibus agere quod uoluerunt, sed quod & quantum ille uoluit cui absoluta est in dæmonas potestas. Et ut dæmonas expellere ex hominibus nõ immittere, etsi uoluissent maxime, potuerunt: ita de morbis non potuerunt agere quod uoluerunt. Alioqui enim non reliquisset S. Paulus Trophimum Mileti languentem, tantopere ipsi in ministerio sacro utilem. Euocassent, si quiduis potuissent duo in Samaria discipuli, ignem cœlitus, atq; ita supplicium sumpsissent de Samaritanis inhumanis & barbaris hominibus Christo domino negantibus hospitium. Pari modo illi ipsi apostoli claues, id est potestatem acceperunt ligandi & soluendi, aperiendi & claudendi cœlum, remittendi & retinendi peccata, sed limitatam planè. Non enim potuerunt soluere quæ erant ligata apud inferos, neq; ligare eos qui uiuebant in cœlis. Neq; enim dixit, Quæ ligaueritis in cœlo, sed quæcunq; ligaueritis super terram. Nec dixit, Quæcũq; solueritis in inferno, sed quæcunq; solueritis super terram. Rursus super ipsam quoq; terram non potuerunt quos ipsi uoluerunt uel ligare uel soluere. Nam fide destitutum hominem non potuerunt soluere, id est à peccatis liberatum denunciare. Rursus illuminatum fide & serio pœnitentem, nequaquam ligare, id est damnationi adiudicare, potuerunt. Decipiunt totum terræ orbem qui aliter docent homines de potestate clauium. Id quod copiosius suo loco tractabimus. Similiter accepit ecclesia à Christo potestatem administrandi sacramenta per ministros, sed non pro suo arbitrio, sed secundum uoluntatem dei & ritum ac rationem ab ipso domino traditam. Non potest ecclesia sacramenta instituere neq; immutare fines & usum sacramentorum.

2. Tim. 4.
Luc. 9.
Sacramẽta administrare.

Porrò Ecclesiam dijudicare posse doctrinas, uel ex una hac Pauli apostoli sententia claret, Prophetæ duo aut tres loquantur in ecclesia, & cæteri dijudicent. Alibi idem, Omnia probate, inquit, quod bonum est tenete. Nam & beatus Ioannes dixit, Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex deo sint. Cæterum est certa huius quoq; dijudicationis ratio. Non enim pro suo arbitrio iudicat ecclesia, sed ex spiritus sancti sententia ad normam regulamq; sacri canonis. Seruatur hic quoq; ordo moderatio & charitas. Ergo si quando ecclesia dei pro potestate accepta à domino synodum conuocat, sicuti apostolos domini conuocasse legimus in Actis apostolorum, grauissimam ob caussam, non indulget hic rur

Dijudicare doctrinas.
1 Cor. 14.
1. Thess. 5.
1. Ioan. 4.
Synodum conuocare.

ſum carnali ingenio, ſpiritui ſeſe regendam exhibet, omniaq; ſua ad regulam uerbi dei & charitatis geminæ probat. Ergo nouas le-
Acto.15. ges non condit: ſicuti & Hieroſolymitana imò apoſtolica eccleſia dicit & ſpiritui ſancto & eccleſiæ placere ne quid oneris impona-
tur Chriſtifidelibus, niſi paucula quædam eaq; neceſſaria, nec citra
Res eccleſiæ diſponere. nec contra ſcripturas ſanctas. Iam ſunt res eccleſiaſticæ multiplices, quas bene ordinandi diſponendiq; pro hominum utilitate facultatē habet eccleſia: cuius generis ea ſunt quæ uerſantur circa externum cultum in loco & in tempore: qualis eſt prophetia uel linguarum interpretatio & ſcholæ. Habet item eccleſia quod iudicet in cauſſis matrimonij: in primis uero cenſuram habet morum, admonitiones, ſupplicia, denique & excommunicationem uel exci-
2. Cor. 13. dium ex corpore eccleſiaſtico. Nam & hanc ſibi datam ait apoſtolus, in extructionem tamen, non in deſtructionem. Omnia enim hæc quæ commemorauimus & ſimilia limitata ſunt regula uerbi & charitatis, exēplis item ſacris & rationibus deductis ex ſcriptura ſacra. De quibus omnibus forte dicam ſuo loco copioſius.

Hæc dixi hactenus de Eccleſiaſtica poteſtate, de qua oſtendi aduerſarios contraria his largo quidem ore prædicare, ſed tam craſſe proponere, ut uel pueris appareat quid quærant quidue tueantur, non eccleſiaſticam poteſtatem, ſed ſuam auaritiam, libidinem & tyrannidem. Veritas canonica docet Chriſtum in eccleſia abſolutam uel plenariam obtinere & exercere poteſtatē, miniſterialem dediſſe eccleſiæ, quæ ipſam ferè per miniſtros exercet & religioſe quidem ac ad normam uerbi dei exercet.

De ſtudijs eccleſiæ dei. His ad hunc modum expenſis minime laborioſum erit ſtudia ſanctæ dei eccleſiæ agnoſcere. Exercet enim ſicut iam iam commemoraui poteſtatem à domino acceptam religioſiſſime & fideliſſime, in hoc ut deo ſeruiat, ſancta ſit, & ipſi placeat: & ut per enumerationem ſaltem aliquid ſtudiorum eius ſingulariter commemorem, Ante omnia deum unum & trinum adorat, inuocat, amat & colit: incōſulto huius dei ueri uerbo nihil agit. Etenim ad normam uerbi dei omnia ſua componit, ex uerbo dei iudicat, eodem omnia ua ædificia extruit, extra ea conſeruat, collapſaq; reparat ſiue reſtaurat. Cœtus & congregationes ſanctorum in locis ardenter proſequit & diligit. In his diligenter auſcultat prædicationi uerbi dei, ſacramentis religioſe & cum gaudio quidem magnoq; rerum cœleſtium deſiderio participat. Orat deum per interceſſorem unicum Chriſtum, firma cum fide, ardenter, aſſidue & intentiſſime. Laudat dei bonitatem & maieſtatem perpetuo, ſummoq; cum iubilo diuinis

nis beneficijs gratias agit. Inſtituta Chriſti omnia & ſingula plurimi facit, neq; negligit ulla. Agnoſcit autem in primis omnia uitę, ſalutis, iuſtitię & felicitatis ſuæ ab unico ſe habere dei filio domino noſtro Ieſu Chriſto: utpote qui unus ipſam elegerit, deinde & per ſpiritum & ſanguinem ſuum ſanctificarit, feceritq; eccleſiam, id eſt populum dilectum, cuius ipſe ſit unicus rex, redemptor, pontifex & conſeruator, extra quem nulla ſit ſalus. Ergo in ſolo deo per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tota acquieſcit, hunc unice deſiderat & diligit, propter hunc omnia huius mundi amittere adeoq; & uitam cum ſanguine profundere, gaudet. Indiuulſe ergo per fidem Chriſto inhęret, neq; aliud odit acerbius, quàm defectionem à Chriſto ac deſperationem. Nam ſine Chriſto nihil in uniuerſa uita iucũdum uidetur. Cum ſathana ueluti cum hoſte capitali inimicitias exercet implacabiles. Hæreſibus & erroribus conſtanter & prudenter repugnat. Simplicitatẽ fidei Chriſtianæ, & doctrinæ apoſtolicæ ſynceritatem diligentiſſime cuſtodit. Illibaram ſe quantum fieri poteſt, à mundo & carne omniq; carnali & ſpirituali cõtagione ſe ſeruat. Ergo cœtus illegitimos & prophana ſacra cum nepharijs hominibus fugit & modis omnibus execratur. Chriſtum ſponte & diſerte etiam in uitæ periculo dictis & factis confitetur. Afflictionibus quidem exercetur, ſed non frangitur. Vnitatem & concordiam ſedulo cuſtodit. Omnia & ſingula corporis ſui membra, charitate ſumma proſequitur. Benefacit omnibus, quantum permittũt uires & facultates. Nemini nocet. Condonat libenter. Tolerat infirmos fraterne, donec prouehantur ad perfectiora. Per ſuperbiam non effertur, ſed humilitate retinetur in obedientia, in moderatione & in omnibus officijs pietatis. Sed quis obſecro uel copioſiſſima alioqui, nedum breui hac enumeratione omnia & ſingula ſanctæ eccleſiæ ſtudia reciret? Quis uero non cupiat membrum eſſe congregationis tam diuinæ & plane cœleſtis?

Subiungerem his protinus quæ reſidua ſunt de unitate eccleſiæ catholicæ, de diuiſione eiuſdem, alijsq; ad hanc conſiderationẽ pertinentibus, niſi cernerem uos audiendo feſſos, finem ſermonis cupide expectare. Differemus ergo reliqua in craſtinũ. Iam uero ſublatis in cœlum mentibus noſtris, domino deo noſtro gratias agamus, qui per dilectum filium ſuum purificauit & aggregauit nos in populum ſibi ſelectiſſimum, & omnium cœleſtium bonorũ hæredem. Ipſi ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Vnam esse ecclesiam catholicam. Extra ecclesiam non esse lucem uel salutem. Contra schismaticos. Quare discessum sit à nupera Romana ecclesia. Dei ecclesiam esse domum, uineam, & regnum dei: item corpus, ouile, & sponsam Christi, matrem & uirginem. SERMO II.

Vna est sancta dei ecclesia.

IDEO adesse uos fratres animis intentis ad expositionem eorum quæ restant dicenda de Ecclesia dei catholica, quam unam & indiuisam esse asserimus, iuxta sancta sanctæ scripturæ oracula. Solomon enim in Canticis suis dicit, Vna est columba mea & perfecta mea. Quo haud dubie respexit doctor gẽtium, cum dixit, Vnũ corpus & unus spiritus: quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus & pater omnium: qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. Diuinis testimonijs consentiunt humana. Cyprianus enim episcopus & martyr de Simplicitate clericorum, Ecclesia una est, inquit, quæ in latitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radij, sed unum lumen: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa uideatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præscide riuum, præsciſus aresset. Sic & ecclesia domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubiq; diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos suos in uniuersam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: unum tamen caput est & origo una, & una mater fœcũditatis successibus copiosa. Et reliqua.

Cant. 4. Ephes. 4.

Proinde cum uaria ecclesiæ nomina leguntur indita, minime imaginandum est plures in orbe esse ecclesias, neq; discerpendum corpus, quod non recipit aut patitur ullam diuisionem. Scriptores ecclesiam catholicam dicunt, uniuersalem haud dubie, quod una sit, nec plures esse possint. Tametsi enim hæc distinguatur in triumphantem & militantem, in ueterum patrum ecclesiam, & noui populi cœtum, manent tamen perpetuo omnia hæc membra in uno corpore unita sub uno capite Christo. Et quemadmodum seruorum & liberorum discretæ conditiones regnum uel rempublicam non dissecant in partes: ita neq; sabatismus uel felicitas beatorum spiri-

ſpirituum in cœlis triumphantium, & labores ac ærumnæ quibus militantes adhuc in hoc ſæculo ſub ſignis Chriſti exercemur, duas efficiunt eccleſias. Dicit beatus angelus ad ſanctum Ioannem in Apocalypſi, Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarũ. *Apoc.22.* Agnoſcit ergo & prophetas & apoſtolos unius dei filios & domeſticos eſſe. Vnde legimus in euangelio unam tantum uineam, non *Matth.21.* duas aut diuerſas collocari colonis, licet aliis atq; aliis. Sic enim una duntaxat eſt eccleſia ueterum Chriſti aduentum præcedentium, & noſtra ſiue noui poſt Chriſti aduentum populi aſſumpti ex gentibus. Dictum eſt autem quid illi à nobis, uel nos ab illis diſcrepemus Decad.3.Serm.8. Rurſus admixti ſunt eccleſiæ ſanctæ mali & hypocritæ, uerũ non diſcinditur propter malos eccleſia. Sicuti enim proditores ciuibus permixti, necdum reuelati, non cõſtituunt duas reſpub. ita tametſi bonis mali cohæreant, in una tamen eccleſia aggregantur. Cumq; hypocritæ ab eccleſiæ unitate deficiunt, nõ ſcinditur in partes eccleſia, ſed redditur purgatior. Eleganter enim dicit beatus Auguſtinus, malos uel hypocritas id eſſe in eccleſia, quod ſunt paleæ in tritico, zizania in ſegete, proditores in ciuitate, & profugi inter milites. Manifeſtum eſt autem frumentum reddi purius, ſegetem lætiorem, ciues tutiores, fortioresq; milites cum ab eis recedunt profugi, proditores, zizania & paleæ. Imò niſi reſecentur nonnunquam putrida eccleſiæ membra à corpore eccleſiaſtico, nõ poteſt incolumis eſſe eccleſia. Porrò particulares uel ſingulares eccleſiæ ſunt uelut oppida uel urbes in regno aliquo. Copia urbium non ſcindit regnum. Ex particularibus per totum orbem diſperſis eccleſijs, ceu ex pluribus membris corpus, catholica uel uniuerſalis colligitur ac compingitur eccleſia, quæ eſt omnium ſanctorũ communio. Proinde certiſſimum eſt, unam eſſe duntaxat eccleſiam dei, nõ plures, cui unicus monarcha præſidet Ieſus Chriſtus. Cui gloria.

Huius eccleſiæ dei unitas, unitaq; ſocietas tanta eſt, ut extra eius conſortium non inueniatur ullus deo gratus populus, ulla uera ſalus & incolumitas, ulla lux & ueritas. Nam extra eccleſiæ dei ſepta nulla inueniuntur ſalubria paſcua, omnia ueneno ſunt infecta. Nullus extra dei eccleſiam cultus deo placet. Si quis olim ſacrificaſſet ipſi etiam deo, extra tabernaculum uel templũ in excelſis, is omnino diabolis ſacrificaſſe, & innoxium ſanguinem effudiſſe uidebatur. Recte ergo ſcriptum reliquit beatus martyr & epiſcopus Carthaginenſis Cyprianus, Quiſquis ab eccleſia ſegregatus, *De ſimplici* iungitur adulteræ, à promiſſis eccleſiæ ſeparatur: nec pertinet ad *tate prælatorum.* Chriſti præmia qui reliquerit eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, propha

Extra eccleſiam non eſt ulla lux uel ſalus.

nus est, hostis est. Habere iam non potest deum patrem, qui ecclesiã non habet matrem. Si potuit euadere qui extra arcam Noë fuit, & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadit. Sceleratissimus sit oportet, quisquis patriam suam optimoruḿq; uirorum consortium deserit, ac ad hostes deficit. Lactantius ergo uerissime dixit, Sola catholica ecclesia est, quæ uerum cultum retinet. Hic est fons ueritatis: hoc domicilium fidei: hoc templum dei: quo si quis non intrauerit, uel à quo si quis exiuerit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est. Saluator enim noster prior dixit extra ouile non inueniri uitam.

Instit. lib. 5. cap. 30.

In schismaticos quosdam.

Quocirca satis mirari nõ possum corruptos & schismaticos quorundam mores, separantiũ se qualibet leui de caussa à saluberrima iucundissimáq; illa sanctæ ecclesiæ cõgregatione uel societate. Inuenias enim hodie capitosos & phanaticos homines non paucos, qui annis multis cum nulla communicarunt ecclesia, necdum cum ulla communicant. In omnibus enim desiderant aliquid, in semetipsis solis nihil prorsus quod accusent inueniunt. Ergo mirificam ecclesiæ formam apud se concipiunt, quam nisi alicubi ad eum modum, quem ipsi conceperunt, cõstitutam cernunt, nullam adhuc in orbe ueram Christi ecclesiam (proh pudor) esse contendunt. Digni profecto qui architectonicam illam suam exerceant in Vtopia aut Cyribiria, ubi se dignum collocent ædificium. Sed uidentur sibi iustas habere caussas schismatis. Nolunt enim cum nostra communicare ecclesia, quod doctrina ministrorum in ecclesia nondum uideatur satis esse exersa, polita, sublimis (ut ipsi aiunt, hoch gnůg gericht) subtilis & spiritualis. Alicubi queruntur in ecclesijs nostris diuersissimos usurpari ritus. Præterea desiderant disciplinæ rigorem & seueritatem, denićq; uitæ puritatem exactissimam. Etenim impuro se quorundam consortio polluendos metuunt. Multi propter ministrorum quorundam delicta & uitia congregationem ecclesiæ uel deserunt uel fugiunt: quales hodie sunt Anabaptistæ. Cæterum nulla adhuc caussa idonea ab istis est recensita, propter quam iure uel nobis coniungi non debeant, uel à nobis disiungi possint. Agnoscimus iustas esse caussas, ob quas pij se possint & debeant seiungere ab impijs cœtibus: in quibus non tantum corruptus est sacramentorum usus legitimus & conuersus in idololatriam, sed & syncera doctrina prorsus est adulterata, doctoreśq; uel pastores iam non sunt prophetæ, sed pseudoprophetæ, qui uidelicet ueritatem dei persequuntur, denićq; pro cibo uitæ administrant sedentibus uenenũ. Nihil aũt huius isti (deo gratia) nobis obijcere possunt.

Quod enim attinet ad doctrinã, uersatur hæc partim in dogmatis certis

tis certis, & quasi numeratis, fixis, immutabilibusq; cuius quidem generis sunt articuli fidei, & hi quidem citra additionem & corruptionem legitime & syncere intellecti: eiusdem generis sunt & illa, Homines omnes esse peccatores, in peccato conceptos & natos. Homines non nisi regenitos ingredi regnum dei. Homines non suis meritis, sed gratia dei per Christi solius meritum in fide iustificari. Christum semel immolatum pro peccatis, amplius non immolari, & esse sacerdotem unicum & perpetuum. Opera bona fieri à iustificatis: & ea quidem uere bona esse, quæ præparauit dominus ut in eis ambulemus. Sacramenta domini & ecclesiæ recipienda, nõ aspernanda esse. Orandum esse iugiter, & ad eum modũ quem tradidit nobis dominus. Et si quæ alia sunt huius generis. Cæterũ satis est, si hæc & alia similia capita concorditer, pure & simpliciter docentur in ecclesia, secundum scripturas, licet nulla accedant emblemata, nullaue audiatur leptologia. Eleganter enim beatus martyr Irenæus, post expositam fidei regulam, libro contra hæreses 1. Cum una & eadem fides sit, inquit, neq; is qui multum de ipsa dicere potest, plus quàm oportet dicit: neq; qui parũ, ipsam imminuit. Proinde cum ministrorum doctrina in ecclesia ea exponit, quæ ueræ & synceræ sunt fidei, quam & minime corrumpit, quid habent isti capitosuli rhetorculi & erudituli quod requirant, etsi eloquentia & uaria desideretur in docentibus eruditio? An nõ fuit simplicissima, & ab omni subtilitate alienissima apostolorum & prophetarum doctrina? ut recte hoc tutior quo simplicior esse uideatur. Interim uero iustam eloquentiam (utpote eximium dei donum) nõ aspernor: id quod aliàs sæpe testatus sum. Partim uero uersatur doctrina in expositione scripturarum quotidiana, & in accommodatione eius ad nostra tempora, loca & negotia. In ea semper fuit mira uarietas diuersitasq;, ob quam tamen nemo cordatus se abdicauit consortio ecclesiæ. Fit enim frequentissime, ut eundem locum duo uel tres, aut etiam plures non eadem ratione, sed longe diuersissimis modis exponant. Est qui reddit obscurius, alius apertius uertit. Attingit hic quidem scopum: ille non attingit. Et hic quidem accõmodat locũ quem tractat appositissime: alius aliquis non eadem utitur applicandi felicitate: interim tamen nihil dicit ueritati fidei & dilectioni dei & proximi contrarium, omnia autem profert ad ædificationẽ. Ex hac, inquam, diuersitate nemo sumit occasionẽ diuertendi ab ecclesia. Omnes enim pij omnia probant, quod bonum est retinent: & in omnibus concionibus aut auscultationibus sacris, omne studium suum unice ad ædificationem referunt. Quinimò doctores

Propter doctrinæ diuersitatem non faciendum schisma.

ipſi pulchre inter ſe conſentiunt, & huc quoq; omnia dirigunt, ut meliores reddantur, cum ipſi tum auditores: non ut ipſi uideantur doctiores, aut protuliſſe quod nemo uidit hactenus. Doctiores nõ faſtidiunt indoctiorum conciones. Quanquã enim hi ſcopũ non omnino attigiſſe uideantur, quia tamen ſalutaria dixerunt, laudantur, non condemnantur: etſi alicubi in loco & tempore amicè admoneantur. Imperitiores rurſus non inuident eruditioribus ſua dona, nec perfectiora diſcere recuſant, nec faſtidiunt & damnant eruditas peritiorum conciones: ſed deum laudant, & admoniti, imitari contendunt perfectiora. Prudenter enim S. Aurel. Auguſt. lib. de Doct. Chriſt. 2. cap. 36. Quiſquis, inquit, ſcripturas diuinas uel quãlibet earum partem intellexiſſe ſibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet geminã charitatẽ, dei & proximi, nondũ intellexit. Quiſquis uero talem inde ſententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati ſit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco ſenſiſſe probabitur, non pernicioſe fallitur, nec omnino mẽtitur. Idem mox, Corrigendus eſt tamen, & quàm ſit utilius uiam nõ deſerere, demonſtrandum eſt, ne conſuetudine deuiandi, etiã in tranſuerſum aut peruerſum ire cogatur. Hæc ille. Ergo ſi cubi craſſius fuerit ab eccleſiaſtico interprete aberratum, errantẽ peritiori fraternè admonere licet, ſchiſma autem facere minime licet. Schiſmatũ authores ferè ſuperbuli & arrogantes ſunt, tabeſcuntq; inuidia, ideoq; omni charitate & moderatione deſtituti, nihil niſi ex ſeipſis natum approbãt, nec quicquam cum alijs commune ſuſtinent habere, perpetuò ſublime aliquid & nihil uulgare aut ſimplex meditantes. In hos ipſos quadrat illud apoſtoli Pauli dictũ, Scientia inflat, charitas ædificat. Religioſi ergo in eccleſia doctores & diſcipuli, propter doctrinam nõ ineptã, licet craſſiorẽ, piam tamẽ & ædificantẽ, neq; eccleſiæ conſortium deſerunt aut fugiunt, neq; altercantur aut contendunt, charitatem potius colunt in omnibus.

1. Cor. 8.

Propter uitia miniſtrorum non faciendum ſchiſma.

Porrò ſi miniſtri uitijs aut morbis laborant fœdis, interim uero in docendo, admonendo, adhortando, accuſando & conſolando fideles ſunt, ſi legitima ſacramenta diſpenſant legitime, nemo habet iuſtam deferendæ eccleſiæ occaſionem. Dominus in euangelio diſerte dicit, In cathedra Moſis ſedent ſcribę & phariſæi. Omnia ergo quæcunq; iuſſerint uos ſeruare, ſeruate & facite: ſecundum opera uero eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. En dicunt & non faciunt, dicit dominus: ergo doctrinæ non reſpondebat doctrinæ uita: quia tamen ſtabant in cathedra Moſis, ideſt, quoniam legitime & ſyncere uerbum dei prædicabant, doctrinam ſynceram recipere,

Matth. 22.

recipere, uitam uero doctrinæ non respondentem respuere iubet: ideoq; schisma facere propter doctoris uitia, phibet dominus. Certe pseudoprophetas fugere præcepit. At pseudoprophetam non facit mala uita, sed praua doctrina. Magnum hac in re certamen fuit beato patri Augustino cum Donatistis, contendentibus ministerium propter ministrorum imperfectionem minus esse efficax. Id quod alterius est considerationis.

Propter rituũ diuersitatem nõ faciendum schisma.

Iam uero quid attinet nostras ecclesias propter rituũ dissimilitudinem uel uarietatem auersari & relinquere? In Baptismo, inquiũt, paruulorum non eadem utimini forma: ita & in celebratione eucharistiæ. Quidam sedentes panem dominicum sumunt in manus: quidam accedentes de manibus sumũt præsidentium, qui & in ora inserunt percipientium. Quidam celebrant Cœnã domini frequentius: quidam uero rarius, nec nisi diebus statis. Sed & precibus ijsdem non utimini. Cœtus quoq; uestri nec eandem omnes formam habent, nec eodem tempore coeunt. Quomodo uero credemus in uobis esse spiritum unionis & pacis, in quibus tanta inuenitur diuersitas? Iustis ergo de caussis uobiscum non communicamus. Cæterum de ritibus istis suo loco dicetur opportunius. Mirum est autem uiros non prorsus rudes & imperitos rerum ecclesiasticarum, nulla alia pro nephãdo suo schismate tuendo argumenta proferre. An ignorant miseri, quanta semper fuerit in ritibus diuersitas, nihilo minus tamen semper permanente indiuisa unitate in ecclesia Christi catholica. Socrates historiæ ecclesiasticæ scriptor illustris lib. historiarum 5. cap. 22. multis exponit rituum in ecclesia dei diuersitatem. Inter alia, Nulla religio, inquit, eosdem ritus custodit: etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui eiusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt. Et iterum, Operosum & molestum fuerit, imò impossibile, omnium ecclesiarum quę per ciuitates & regiones sunt ritus omnes conscribere. Beatus martyr Irenæus ad Victorem Romanæ urbis episcopum scribens, cõmemorat magnam ecclesiarum in Ieiunio, deniq; in celebrando paschate diuersitatem: deinde subiungit, Et tamen nihilo minus omnes isti, etiam cum in obseruantia uariarent, inter semetipsos & pacifici fuerunt semper nobiscum, & sunt, nec dissonantia ieiunij, fidei consonantiam rupit. Et iterum, Beatus, inquit, Polycarpus cum ad urbem Romam uenisset sub Aniceto, cumq; de alijs nonnullis parum quid habuissent inter se contrauersiæ, mox reconciliati sunt: de hoc uero capite nihil inter se contenderunt. Neq; enim Anicetus Polycarpo persuadere poterat ne seruaret quæ cum Ioanne discipulo domini

nostri ac reliquis apostolis, quibus cum fuerat conuersatus, semper seruarat: nec Polycarpus Aniceto suasit ut seruaret, qui sibi presbyterorum, quibus successerat, consuetudinem seruãdam esse dicebat. Et cum ista sic haberent, communionem inter se habuerunt. Hæc ille. Proinde uetus illa ecclesia usa est libertate magna in ritibus usui pandis, ut tamen non dissolueret uinculum unitatis. Sed & S. Augustinus, Ianuario quid in hac rituum diuersitate sequeretur aut faceret præscribens, non iubet schisma facere, sed moderate & prudenter iudicans, Nulla disciplina est in his melior, inquit, graui prudentiq; Christiano, qui eo modo agat quo agere uiderit ecclesiam ad quam cunq; forte deuenerit. Quod enim neq; contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum: & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum. Rursus ne huius canonis & consilij prætextu aliquis quosuis ritus quibuslibet obtruderet, subiungit, Ecclesia dei inter multam paleam multaq; zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem & bonam uitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Hæc hactenus.

Propter imperiorem uitam hominum in ecclesia conuersantium non faciendũ schisma.

Postremo, cum isti arbitrantur nullam ibi esse ecclesiam ueram, ubi adhuc morum uitia in hominibus in ecclesia conuersantibus apparent, quorum se cõsortio pollui, nisi uel non accedant ad eam, uel protinus ab ea recedant, in Catharorum incidũt insaniam, qui & ipsi falsa exactissimæ sanctimoniæ imaginatione decepti, seueram q; exercentes rigiditatem fugiebant ecclesias, in quibus fructus euangelicæ doctrinæ liquide non apparebat. His opponimus & propheticas & apostolicas, nimirum sanctissimas ecclesias. Etenim Isaias & Ieremias sui sæculi mores accusantes, grauiter inuehuntur in corruptionem doctrinæ & morum. Nec leuia aut uulgaria illis impingunt scelera, sed capitalia. Clamat Isaias, à uertice capitis ad calcaneum usq; pedis, non esse sani quidpiam: & tamen non deficiebat ab ecclesia & nouam sibi constituebat, licet ab omni impietate & corruptione sibi caueret quàm diligentissime. Quot obsecro erant in ipsorum Christi apostolorum choro uitia, quot errores? Nũquid uero ab eis deficiebat dominus? Ecclesiam Corinthiacam occuparat corruptio non morum tantum, sed & doctrinæ. Erant in ea contentiones, factiones & iurgia. Scortatio, & coniugij prophanatio nimium erat uulgaris. Quid quod multi sacris communicabant prophanis? Baptismum certè non uulgari errore referebant ad homines. Cœnam domini priuatis adeoq; luxuriosis suis conuiuijs polluerant: sed et de mortuorum resurrectione non bene sentiebant. An uero ea de causa uel ipse ab illa recessit apostolus,

uel

uel alios ab ea recedere iubet? Imò talem ecclesiam sanctam esse prę dicat, dissidiaq; grauiter obiurgans, omnes hortatur ad unitatem ecclesiæ in syncera ueritate colendam. Indubitatum est ergo, grauiter peccare abstinentes à consortio nostræ imò catholicę ecclesiæ, in qua etsi sint non uulgares corruptæ uitæ errores, doctrina tamen syncera & sacramentorum celebratio pura est.

At obijciunt isti, Omnes promiscue ad dominicæ cœnæ commu nionem admittitis, impuros, ebrios, auaros, milites, & alios huius notę homines, cũ quibus diuinus apostolus uel cõmunẽ uetat edere panem, tantum abest ut cõcedat cum talibus dominicum frangere panem. Nisi ergo pollui libeat prauorum cõmertio, necesse est uel non accedere ad hanc societatem, uel protinus ab ipsa refugere. At qui de Cœna domini & participatiõe eius, si uixerimus, alio ac suo quidem loco dicemus. In præsenti hoc tantum contra illos proferimus, Paulum seruum Iesu Christi fidelissimum domino suo non fuisse rigidiorem. Hunc autem constat ad mensam sacram admisisse Iudam, quem cognoscebat intus, quod dici solet, & in cute, nec tamen repellebat. Repulisset autem, si sciuisset discipulos reliquos eius consortio polluendos. Ipse quidem Iudas pollutus erat. Corrupta enim fuit mens eius ac conscientia: at non potuerant per alienam perfidiã contaminari apostoli cæteri, quorum animi erant per fidẽ ueram synceri. Proinde Paulus apostolus, Probet seipsum homo, ait, & sic de pane edat & de poculo bibat. Semetipsum iubet probare quemlibet, nõ alienum iudicare famulum, qui suo stat uel cadit domino. Si fide instructus sis, et legitime participes mensæ domini, non commacularis aliena malitia. Proinde non est quod pollutionis uitandæ gratia, seiungaris ab ecclesia, in qua cernis malos bonis commixtos de Cœna domini participare. Si autem seiungeris, liquido declaras te arrogãtia fractum participare cum illis quos S. Augustinus libro contra Parmenianum 3. cap. 1. hisce pingit certè uiuis proprijsq; coloribus. Illi filij mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionũ suarum, infirmas plebes iactantia sui nominis irretitas uel totas trahere uel certe diuidere affectãt, superbia tumidi, peruicatia uçsani, calumnijs infidiosi, seditionibus turbulenti: ne luce ueritatis carere ostendantur, umbram rigidæ seueritatis obtendunt: & quæ in scripturis sanctis salua dilectionis syncritate & custodita pacis unitate ad corrigenda fraterna uitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis & occasionem præcisionis usurpant. Idem author inter alia pie & prudenter disputata, consequentibus 2. cap. hoc consilij placidis

Propter indignos cœna domini participantes, non faciendum schisma.

1. Cor. 11.

dat ingenijs, ut moderate quod possunt corrigant, quod non possunt patienter ferãt, et cum dilectione ingemiscant, donec ipse deus uel corrigat uel in die iudicij paleas uentilet.

Vnitas seruanda, fugiendũ esse schisma.

Proinde concludentes hũc locum, uerba beati martyris Cypriani uobis recitabimus. Is lib. 3. epist. 3. epist. sic reliquit scriptũ, Si uidẽtur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania in ecclesia esse cernimus, ipsi de ecclesia recedamus: nobis potius laborãdum est, ut frumentum esse possimus, ut cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit, In domo autem magna non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem honorata, quædam autem inhonorata: nos operam demus, & quãtum possumus laboremus, ut uas aureum uel argenteum simus. Cæterum fictilia uasa confringere domino soli cõcessum est, cui & uirga ferrea data est. Esse non potest maior domino suo seruus. Nec quisquam sibi quod soli filio pater tribuit uendicare se putet, ut ad aream uentilandam & purgandam paleam iam ferre se posse, aut à frumento uniuersa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dũ dominium sibi semper quidam plus quàm mitis iustitia deposcit assumunt, de ecclesia pereunt: & dum se extollunt insolenter, ipso suo tumore excęcati ueritatis lumen amittunt. Dominus Iesus errantes oues in unitatem catholicæ reducat ecclesiæ, & uiuentes in unitate, seruet & prouehat. Amen.

De secessione à Romana ecclesia.

His autem aduersarijs nostris repressis, exurgunt hostes noui & acres, Romanæ uidelicet monarchiæ sedisq; ut uocant apostolicæ, ecclesiæ uetustissimæ propugnatores. Ad rauim enim usq; clamitant eodem nos crimine cõuictos teneri, quo Anabaptistas & phanaticos quosdam condemnauimus. Nos enim sacrilego quodam schismate, & nulla adactos necessitate, ueterẽ deseruisse Romanam ecclesiam, & nouas atq; hæreticas nobis extruxisse synagogas. Etenim in Romana ecclesia habere adhuc suam authoritatem diuinam scripturam, recitari illam adhuc in omnibus templis, disputari deniq; ex ea in omnibus scholis, sed & suum locum habere atq; ualere sacramentorum usum: ideoq; schismaticos esse nepharios, qui defectione non necessaria desciuerimus ab ecclesia catholica, maxime propter uitia quædam cleri & episcoporum. Video ergo mihi digrediendum paululum, & certandum esse cum papisticæ ecclesiæ defensoribus, demonstrandumq; nunquam nos recessisse ab ecclesia

ecclesia Christi catholica. Ac quoniam in primis in hac caussa scire refert, quis hęreticus, quisue schismaticus uere dicatur, de his paucula hæc prælibo. S. Augustinus hoc interesse putat inter hæreticum & schismaticum, quod ille prauis doctrinis synceritatem fidei & apostolicæ doctrinæ adulterat: hic uero tametsi in doctrinam puram & fidem synceram nihil peccet, ab ecclesia tamen temere se separat, uinculum unitatis dissocians. Et certe hæreticus est proprie, quisquis contra scripturam, quæ uerbum dei est, contra fidei articulos, uel contra ecclesiæ uerbo dei natæ dogmata sana, spe temporalis alicuius commodi, ex suo arbitrio humanaq; electione, aliena deligit, recipit, tradit, sectatur, pertinaciterq; retinens, tuetur & propagat. Edicto imperatorio August. Cæs. Gratiani, Valentiniani, & Theodosij definiuntur Catholici uel Christiani esse, in ea uersantes religione, quam beatus Petrus Romanæ ecclesiæ tradidit, quamq; doceant beatus Damasus, & S. Petrus Alexandrinus episc. confitentes uidelicet secundum apostolicam disciplinam, & euangelicam doctrinam, patris, & filij, & spiritus sancti, unam deitatem sub pari maiestate, & sub pia trinitate. Rursus, Hæretici declarantur ab ijsdem, contraria sequentes, quos & dementes, & infames, supplicijsq; dignos iudicant. Porrò Schismaticus est, quisquis ab unitate ecclesiæ dei ueræ se separat, nouosq; cœtus uel ipse instituit, uel ab alijs institutis adhæret, licet in doctrina parum aberret. Non arbitror autem quenquam quicquam in his desiderare aut oppugnare descriptionibus. Proinde grauiter in nos peccant monarchiæ Romanæ propugnatores, nunquam non in ore contra nos habentes hæreseos & schismatis crimina atrocissima. Etenim nihil docemus contra sanctarum scripturarum synceritatem & ueritatem, uel contra fidei articulos, aut contra sana & scripturis canonicis stabilita dogmata ecclesiæ catholicæ. Si commoda terrena quærere libuisset, mansissemus utiq; in Papistica doctrina, in qua omnia sunt lucrosa. At propter Christi doctrinam receptam direptioni patemus omnium. Id quod non ignorauimus, cum à Papæ doctrina recederemus. Nulla ergo spe temporalis commodi doctrinam Christi sectamur. Præterea nihil asserimus pertinaciter. Si quis enim ex uerbo dei meliora docuerit, non refragabimur meliora amplecti. Quinimò libera uoce & syncero corde damnamus omnes hæreses & hæreticos, quoscunq; tandem uetus illa ecclesia, uel synodis, uel extra synodos gladio uerbi dei iugulauit. Oppugnamus autem falsam Papæ doctrinam, noua eius decreta cum uerbo dei pugnantia, abusus & corruptionem in ecclesia lon-

Quis hæreticus, quis schismaticus.

ge fœdissimam. Sumpserunt sibi Romani episcopi, cum coniuratis suis, tyrannidem in ecclesiam, exercentes uerum in templo dei antichristianismum: tyrannidem ergo & antichristianismum fugimus & recusamus, Christum & iugum eius non recusamus, societatem sanctorum non fugimus: imò ut in hac manere, uerae̅q̅ Christi & sanctorum membra esse possimus, ex Papistica ecclesia refugientes, in unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam recolligimur. Hanc enim agnoscimus ueram esse dei domum, & ipsissimum seruatoris Christi domini ouile, cuius ipse pastor est.

Libera defectionis confessio.

Libere enim fatemur, & magno cum gaudio gratias deo liberatori agentes, prædicamus nos recessisse à Romana ecclesia, eandem̅q̅ etiam hodie abominari. Cæterum distinguimus ante omnia inter Romanam ecclesiam ueterē̅ & nuperam. Fuit enim quondam Romæ sancta & fidelis ecclesia, quam uiri apostolici, & ipsi apostoli Christi uerbo dei fundarunt atq̅ conseruarunt. Ea nō modo caruit ritibus hodie receptis & usitatis, sed si uidisset eos, anathemate percussisset. Caruit decretis, quibus innititur hodie Romana ecclesia. Ignorauit monarchiā & totā illam curiā. Igitur ab antiqua illa Romana & apostolica ecclesia nec recessimus, nec recedemus unquā. Agnoscimus præterea oēs Romæ hodie Christum adorantes, & seruantes se ab omni Papistica pollutione, quales nō paucos Romā habere non dubitamus, p̄ dilectis fratribus. Porrò ecclesiā nuperam Romanā illam, Papā Christi uicarium in terris agnoscentem, & adorantē̅, obedientē̅q̅ legibus eius, ecclesiā Christi ueram esse non agnoscimus. Vnde schismatici esse non possumus, qui Romanam ecclesiam relinquentes, à uera dei ecclesia non recessimus.

Nuperam Rom. ecclesiam non esse ecclesiam.

Ecclesia enim sancta catholica Christo unico pastori adhæret, illius uerbo credit, & sancte uiuit. Contraria omnia inuenias in Romana ecclesia, ut uenire non possit, neq̅ in externæ & uisibilis, neq̅ in internæ & inuisibilis ecclesiæ dei censum. Tolerant multa p̄ij in ecclesia, in membris, inquā, & ministris eius (quod modo cū contra schismaticos agerem, ostendi) uerum in nupera illa Romana ecclesia non inuenias leuia & tolerabilia uel doctrinæ uel uitæ uel errorum uitia: enormia, desperata & abominabilia in ipsa sunt omnia. Quæ ergo dilectio de pertinacissimis deploratissimis̅q̅ rebus meliora sperer̄. Adnumerantur ecclesiæ dei externæ & tolerantur hypocritæ & mali. Romanenses autem illi nec mali sunt, nec hypocritæ, sed pessimi prorsus & atrocissimi ueritatis Christi hostes, palàm blasphemantes euangelium, & persequentes credentes in Christū. Ideoq̅ ecclesiæ dei notas non habent, neq̅ internas, neq̅ externas.

Spiritus

Spiritus domini requieſcit ſuper eos qui contremiſcunt ad ſermonem dei: iſti incandeſcunt, ſi quis ſerio reuereatur uerbum dei. Vera fides omnia uitæ uni tribuit Chriſto: iſti fideles perſequuntur quod uni Chriſto omnia tribuunt uitæ, nec figmentis Papiſticis ſalutem partiuntur. Pro charitate exercent truculentiã contra fratres & proximos. Quid quod publicis eccleſiæ bonis ipſi abutuntur ad priuatas ſuas libidines? Quod enim fideles olim ex charitate cõtulerunt ad uſum eccleſiaſticum, & ad ſubuentionem pauperum, iſti prodigunt uiuendo luxurioſiſſime ac ſceleratiſſime. Id quod de eis ante annũciauerũt eccleſiæ dei electi apoſtoli dñi Petrus atq; Thaddæus.

Internas ecclesiæ dei notas Romana ecclesia non habet.

1. Pet. 2. & in Iudæ Epistola.

Ac de externis eccleſiæ notis quid dicã? Aiunt iſti ſcripturã canonicam ſuam habere authoritatẽ in Romana eccleſia, illã & in templis & in ſcholis recitari, ac ſacramenta ſuum locũ habere, & efficacia eſſe. Ego uero diuerſum oſtendere poſſum. Principio ſubijciunt ſcripturarum interpretationẽ ſedi ſuæ, & ius iudicandi de omnibus attribuũt ſuo idolo Pontifici Romano. Notiſſimus eſt enim canon ille, Ab omnibus quicquid ſtatuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſeruandũ eſt. Item, Cuncta per mundum nouit eccleſia, quod ſacroſancta Romana eccleſia plias de omnibus habeat iudicandi, neq; cuiquã de eius liceat iudicare iudicio. Ergo & ſcripturas iudicat, exponit, ac, p ſuo arbitrio flectit & reflectit. Iam non cõmemorabo, quod diſertis uerbis ſedis illius promachi ſcribunt, ſcripturã canonicam authoritatẽ ſuam accipere ab eccleſia, hac Auguſtini abutentes ſententia, Euangelio non crederẽ, niſi me cõmoueret ſanctæ eccleſiæ authoritas. Hoc dicam quod nemini nõ perſpicuũ eſſe poteſt, Romanam eccleſiã aut huius prçſides eccleſiæ, natiuum ſcripturæ ſenſum tollere è medio, ſubſtituere autẽ alienũ, quem, ut ſit plauſibilior, ſenſum appellant ſanctæ matris eccleſiæ, quem & tanta urgent improbitate, ut ſi opponas ſenſum natiuum, auditurus ſis hæretici probrum. Breuiter, niſi totam ſcripturam ad ipſorum ſententiam & cõmodum detortam, hoc eſt, ipſorum decretis ſeu ueneno temperatam proferas, non ipſas ſcripturas protuliſſe, ſed hæreſim docuiſſe diceris. Exemplis res fiet illuſtrior. Scriptura docet Ieſum Chriſtum eſſe unicũ caput eccleſiæ: uerum niſi adiungas etiã Papam in terris eſſe caput militantis eccleſiæ, hæreticus appellaberis. Scriptura docet Ieſum Chriſtum unicũ eſſe interceſſorem uel mediatorem, ſacerdotem, & unicam hoſtiam expiatoriam fidelium: uerum niſi adiungas Chriſtũ mediatorem quidẽ eſſe redemptionis, diuos autem cum Chriſto mediatores eſſe interceſſionis, ſacrificos item quotidie incruentam offerre hoſtiam, ita ut cum Chri-

Externas ecclesiæ dei notas Romana ecclesia non habet.

ſto ſimul etiam ſancti agnoſcantur eſſe in cœlis interceſſores, & ſacerdotes in terris quotidie offerre in Miſſa pro uiuis & mortuis, hæreticus appellaberis. Scriptura docet, Ieſum Chriſtum eſſe iuſtitiam fidelium, quæ fide recipiatur à nobis: uerum niſi iuſtitiam operibus & meritis hominum partiaris, appellaberis hæreticus. Scriptura docet, Chriſtum aſcendiſſe in cœlos, miſiſſe uicariam uirtutem ſpiritum ſanctum, neq; uenturum porrò in mundum corporaliter, niſi ad diem iudicij: uerum niſi agnoſcas eundem Chriſtum corporaliter quoq; præſentem eſſe in pane euchariſtiæ, ac eundē ibidem adores, hæreticus appellaberis. Chriſtus dominus dixit in ultima cœna, poculum exhibens diſcipulis, Bibite ex hoc omnes: cæterum ſi tu contendas utrāq; ſacramenti ſpeciem dari oportere fidelibus omnibus, appellaberis hæreticus. Dixit in lege ſua dominus, Non facies idolum, non adorabis, non coles: uerum niſi tu intelligas per idolum gentilitium idolum, Saturni aut Mercurij, non dei ueri, aut diui alicuius, hæreticus appellaberis. Plura huius generis alia proferre poſſem, ſi loqueretur ignorantibus. Quam itaq; authoritatem, quem locum dicemus uerbum dei obtinuiſſe in ſede illa? Quis non uideat fœdiſſimos iſtos homines captiuum conculcare ſanctiſſimū dei uerbum, figere atq; refigere leges dei pro ſua gygantea audacia? Deſtitui ergo Romanam eccleſiam uerbo dei ſancto, tam clarū eſt, quàm quod clariſſimum. Demonſtraui huius Decadis Sermone 1. ſatis non eſſe uerba iactare ſcripturæ ſanctæ, niſi eadem ſenſum natiuum retineant incorruptū. Eccleſia Romana corrupit ſenſum, & dogmata ſcripturis contraria ſimplicioribus obtrudit. Proinde non eſt uera Chriſti eccleſia.

Baptiſmi ſacramentum à Papiſticis miniſtris collatum, tametſi non iteremus: baptizarunt enim in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti: ſicuti Sermone 1. huius Decadis expoſui: fractionem tamen panis ſeu Cœnam dominicam, ita contaminarunt, fideiq; orthodoxæ contrarijs doctrinis corruperunt, & in tam fœdam conuerterunt nundinationem, ut nemo ſanæ mentis religione ſalua & ſana conſcientia cum eis communicare poſſit. De longe corruptiſſima miniſtrorum Romanæ eccleſiæ uita moribusq; ſceleſtiſſimis, nihil nunc dico. Iam enim uel cæcis apparere puto Romanam illam ſedem nō habere externas ueræ dei eccleſiæ notas, cum uerbo dei ſyncero, ſanaq; euangelij prædicatione, miniſterio inquam diuino, & miniſtris eccleſiæ legitimis, nec non ſalubri uſu Cœnæ domini careat: ideoq; non eſſe ueram dei eccleſiam, à qua nemo citra ſchiſmatis crimen deficere poſſit.

Hac

Hac ratione, inquis, nulla relinquetur in terris Christo ecclesia. Ecclesiæ enim gubernatoribus aberrantibus et uerbum dei corrumpentibus deserentibusq́, quæ obsecro spes reliqua est de ecclesia? aut signis non comparentibus ecclesiæ, ubi quæso est ecclesia? Respondemus deum optimum maximum in calamitatibus ecclesiæ, in quibus gubernatores à uerbo & uero cultu dei deficiunt, ac nouas leges & nouos ritus amplectuntur & in ecclesiam inducunt, ueris ecclesiæ notis externis ad tempus obscuratis aut obsoletis, nihilominus sibi in terris reseruare ecclesiam, quam & ueris doctoribus submissis fulcit & reparat, licet hi ab illis qui ueri & ordinarij ecclesiæ gubernatores uideri uolunt non agnoscantur pro ueris dei ecclesiæ ministris aut doctoribus, sed condemnentur pro seditiosis ecclesiæ turbatoribus & hæreticis execrabilibus. Exemplis è scriptura petitis res fiet illustrior. Temporibus Achaz regis Iuda, Vria Pont. summo conniuente, nec resistentibus regni principibus & sacerdotibus, rex templum domini clausit, & cathedram sacram sustulit: id quod scriptura diserte testatur: ideoq́, cessauerat & ministerium uerbi & sacrificiorum legitimum seu ordinarium: sed nihilo minus erat sancta in regno Iudæ ecclesia: in qua Isaiam docuisse cum alijs quibusdam ueluti extraordinarie (ut sic dicam) nulli est dubium. Sub Manasse Achaz regis nepote exulabat syncera doctrina & sacramentorum celebratio (circũcisione dempta:) ac durauit ea defectio donec reformaretur à Iosia pijssimo rege ecclesia: interea uero missi sunt prophetæ & fuit in Iuda dei ecclesia, licet maior pars populi cum gubernatoribus sequeretur & tueretur impietatem & defectionem Manasseam. In regno Israelis Ieroboam rex Leuitas doctores legis domini & prædicatores ueritatis synceræ officio suo deturbauit, & prophanos & indoctos populo sacerdotes uel gubernatores dedit, noua insuper templa, eaq́, cathedralia, fundauit, idola uel uitulos, nouum cultum, nouas aras & festa noua instituit, atque hoc modo uerum dei cultum abrogauit, ita ut in Israele porrò nulla apparerent ecclesiæ dei externa symbola, & tamen dubium nõ est insignem in Israele dei ecclesiã fuisse, ad quam conseruandam & reparandam subinde à domino mittebantur prophetæ, licet à pseudo ecclesia & pseudo prophetis pro ueris dei prophetis minime agnoscerentur. Docuit sub Ieroboamo, eius nominis II. Amos propheta, pastor uel armentarius de Tecoa, ueramq́ dei doctrinam tradidit: sed audit ab Amasia summo pontifice regni, Vade protinus, & recipe te in terram Iuda, illicq́ propheta uel prędica. In Bethel autem ne posthac prædicaueris: quoniam fundatio & templum regium est.

Deus reseruat sibi ecclesiã, etiã aberrantibus gubernatoribus.

4. *Reg.* 16 2. *Par.* 28.

4. *Reg.* 21. & 22. 2. *Par.* 33. & 34.

3. *Reg.* 12. 2. *Par.* 11.

Amos 1. & 7. *cap.*

Quinimò cum Achab impietate omnes ante se reges uicisset, insuper & abominandum Baalis cultum impietati defectionique Ieroboamicæ superaddidisset, omniaque in regno Israelis oppleuisset superstitionibus, idololatria, augurijs & sacrilegijs, præterea et dei syceram doctrinam persequeretur in prophetis atrocissime, inuenta est tamen in Israele præclarissima dei ecclesia. Helias quidem ille magnus & excellentissimus dei propheta, ob fœdam illã defectionem à deo, fastidioque populi longe miserrimi, in quo nulla apparebant ueræ dei ecclesiæ signa, fugiens in desertum abstrusit se in latebras, ac rogatus à domino quid ibi ageret, respondit, Zelo quodam zelatus sum pro domino deo exercituum, quod filij Israel fœdus tuũ dereliquerunt, aras tuas diruerunt, & prophetas tuos gladio occiderunt, & ego solus relictus sum, quæruntque animam meam, ut tollant eam. Verum protinus remittitur in terram Israelis unde profugerat, his insuper uerbis additis: Dereliqui mihi in Israele septem milia uirorum, quorum omnium nec genua curuata sunt ante Baal, nec os osculatũ est eum. En propheta tantus putauit se solum in Israele è fidelium numero esse relictum: sed audit septem milia à deo reseruata hominum sanctorum, qui genua sua non flexerint, id est ne externo quidem cultu unquam inseruierint Baal. Quis autem nesciat prophetam per septenarium numerum intellexisse uerorum dei cultorum turbam numerosissimam: qui haud dubie circuncisi fuerunt, non in Baalis, sed in æterni dei fœdus. Illi ipsi non caruerunt fide, ergo nec doctrina, licet hæc non ita uulgaris esset, neque ordinaria & catholica uideretur apud Baalitas. Caruerunt autem sacrificijs proculdubio: quia cum legitima non exhiberentur, illegitimis participare nolebant: rebus interim per symbola uel sacramẽta significatis, minime destituebantur, fide communicantes omnibus dei donis.

3. Reg. 19.

Rom. 11.

Romana ecclesia non existente ecclesia, deus nihilominus ecclesiam in terris habet.

Dan. 9. 2. Thess. 2.

Ad eundem omnino modum postquam pontifex Romanus instar Ieroboami regis, deserta euangelij pura prædicatione, corrupta item prima & simplici institutione Cœnæ dominicæ alijsque dei institutis deprauatis & ad suum commodum detortis, sese collocauit in solium, imò in ipsum dei templum uel ecclesiam, ostentans seipsum deum terrestrem, graui sanè tyrannide oppressa dei ecclesia, notis externis haud facile hucusque interstingui potuit. Pro synceram enim prædicatione euangelij, mixtum & corruptum humanis decretis doctrinæ genus propositum, ac pro Cœna domini Missa papalis celebrata est: in locum aliorum institutorum dei, subijt immensa ineptissimarum & superstitiosarum ceremoniarum turba,

quibus

quibus bona pars hominum obnoxia, sedi sese subdidit Romanæ. Interea uero non fuit in toto terrarum orbe extincta dei ecclesia, neque cecidit apud omnes sanctum uerbi ministerium & cultus dei uerus. Vbiq; enim terrarum dispersi, reperti sunt non pauci homines, qui nec Papam & coniuratos eius, nec corruptionem eius in rebus ecclesiæ approbauerunt. Adorauerunt autem Christum dominum, quem agnouerunt unicum esse salutis authorem, atq; iccirco mundos se seruauerunt à Papisticis contaminationibus. Ac misit deus singulis propè sæculis iam inde à Papismi exordio uiros graues pios & doctos, qui Papę regnum tyrannidemq; (sicut olim prophetæ Ieroboami corruptelam idololatricam) grauiter accusarunt, postulantes constanter ecclesiæ repurgationem à corruptelis papisticis, docentes etiam ueram salutis doctrinam, uerumq; usum sacramentorum. Vbi uero repurgatio pura puta impetrari non potuit per antichristi tyrannidem, ibi tamen repertum est indefessum puritatis studium, piumq; legitimi sacramentorum usus desiderium: quale diximus fuisse in electis ueræ dei ecclesiæ membris, temporibus Ieroboami, Achabi, Achas, Manassis & Captiuitatis Babylonicæ. Sicut autem his quoq; temporibus ueri prophetæ dei pro ueris à Baalitis sacerdotibus minime agnoscebantur, sed damnabantur pro schismaticis & hæreticis: ita sęculis aliquot Romani pont. cum suis coniuratis, uiros pios & doctos, uerbum dei prædicantes & reformationem ecclesiæ postulantes, excommunicarunt, persequuti sunt, plurimosq; eorum ferro & igne exciderunt. Id quod ipse dominus noster cum prophetis & apostolis futurum prædixit.

Præterea potuit sibi haud dubie copiosam retinere ecclesiam dominus sub Papismo: sicuti non dubitamus sub Machometismo seruatam esse maximam. Quis enim existimet nulla superesse ecclesiæ dei membra uera per totam Asiam & Aphricam? An nõ potuit sibi deus misericors potenti manu sua, in illa postrema ecclesiæ dei calamitate & ruina, rursus retinere septem (ut quondam) uirorum milia, quorum nullus adorauerit bestiam aut bestiæ characterem acceperit? Quid factum sit in Turcia, aut quid hodie fiat, dicant qui rectius & melius possunt. Quid apud nos factum sit sæculis iam ultimis, negare nemo potest. Insigni bonitate dei uidemus accidisse, ut quemadmodum Circuncisio signum fœderis dei quondam in media defectione dabatur populo dei, ita hodie quoq; in profundissimis antichristi tenebris, sacrosanctum baptismã datũ esse Christianis in obsignationem remissionis peccatorum hæreditatisq; filiorum dei. Sanè doctrinæ puritas infinitis & crassissimis traditio-

nibus à coniuratis Papæ est prophanata, interim tamen nõ fuit nulla prorsus. Vt enim nihil eorum repetam quæ modo dixi de missis à deo uiris pijs & doctis reformationem ecclesiæ postulantibus, & plurimum proficientibus apud omnes dei filios, an non consensu quodam uniuersali pro certissimo indubitatoq; receptum fuit, Decalogo omnium præceptorum dei absolutissimum compendium suppeditari? Oratione dominica plenissimam tradi precãdi deum formulam? Symbolo autem apostolico contineri perfectissimam credendorum uel fidei regulam? Certè excedentibus ex hoc sæculo fermè omnibus, ac in ipso agone iam laborantibus, recitari consueuit symbolum uelut perfectissima saluantis fidei regula. Nec dubitamus misericordem deum & patrem misericordiarum (qui & Latronem illum in cruce sub extremo uitæ exitu seruauit) oppressorũ tyrannide Antichristi misertum, immensa sua gratia retigisse & uiuentium & morientium corda, ac per spiritum sanctum docuisse, confitentesq; unum deum patrem conditorem omnium, & unum Iesum Christum dei filium mundi redemptorem passum & resuscitatum, & unum spiritum sanctum, denicq; sanctam ecclesiam catholicam, sanctificasse condonatis peccatis omnibus, animasq; fidelium in uitam æternam (sicuti crediderunt) trãstulisse, quo & in fine sæculi resuscitandam carnem nostram credimus transferendam. Habent hic quoq; responsionem interrogantes, An ne omnes maiores nostri ante hæc ultima reuelati euangelij tempora mortui, sint damnati? Dispiciant uiuentes potius, ne propter uerbi dei contemptum, atq; propter contentiones cõtra uerbum dei susceptas, dispa-rem à maioribus suis finem sortiãtur. Quanquam ergo papisticam ecclesiam non agnoscamus ueram esse ecclesiam, inde tamen non sequitur nullam omnino esse aut fuisse in terris dei ecclesiam. Illam enim ueram dei ecclesiam esse dicimus, quæ in Christum credidit, & uerbum eius non deseruit, quam & fuse satis descripsimus. Scimus præterea, nos ipsos qui hodie Christo credimus, ueram esse Christi domini ecclesiam. Nam ut fide unico capiti Christo omnibusq; catholicæ ecclesiæ membris cohæremus, ita ueris ueræ dei ecclesiæ signis non destituimur.

Cæterum non legimus, inquiunt, sub Iudaicæ ecclesiæ pontificibus, sacerdotibus & principibus, uel prophetas, id est fidelium ductores, uel ipsos fideles desciuisse à pontifice, à rege uel ab uniuersali ecclesia, ac noua sibi separataq; sacrificia instituisse, sicuti uos hodie facitis. Deficientes enim à Romano pontifice, à regibus, principibus, & ab uniuersali ecclesia, ecclesiam uobis ipsis congregatis,

&

& prædicatione & sacramentorum celebratione ab illa diuersissimam. Respondeo, ueteres ante Christi domini aduentum præscripta de caussa templo idololatria occupato & prophanato, non noua sacrificijs quæsiuisse loca. Nephas enim erat extra templi septa immolare. Id quod uidere est Leuit. 17. & Deut. 12. cap. Nec alia de caussa populus Babylonica captiuitate per annos 70. detentus, nulla obtulit sacrificia. Certissimum est tamē & prophetas dei, sanctos & ueros dei cultores separasse se à cultu & sacrificijs, contra uerbū dei usurpatis. Certe sermonibus prophetarum omnibus, & sacrificia illa & ecclesiam legimus esse damnatam. Quo nomine & ipsi uicissim damnabantur à pontificibus & sacerdotibus Baal, tanquā hæretici & schismatici execrabiles: quemadmodum hodie quoque anathematis telo confodimur, quod cum Papistica ecclesia & sacris eius cōmunicare nolumus, sacraq; ipsa reijcimus. His accedit quod impletis per dominum & iam abrogatis legalibus, apostoli manifesta defectione desciuerunt non modo à pontificibus & Hierosolymitana ecclesia, sed insuper nouam Christo per prædicationem euangelij, & sacramentorum contesserationem collegerunt ecclesiam: quam in Actis apostolorū habemus descriptam: & ad cuius formam meritò reformari debent omnes ecclesiæ, quotquot Apostolicæ uolunt appellari. Quid ergo hodie peccauimus reformantes ecclesias ad apostolicæ imaginē ecclesiæ, prophanatas iam olim à sede illa Romana ac membris eius? Sæpe legimus ecclesiam dei ante aduentum Christi in carnem deturpatam fœdis pollutionibus à corruptis hominibus, eandemq; repurgatā renouatamq; esse ad ueteris ecclesiæ imaginem, secundum uerbum dei. Cur autem illud ipsum eadem in caussa nostro sæculo non imitaremur? *Apostolicæ ecclesiæ.*

Extant præterea uaticinia Christi seruatoris, sanctorum apostolorum & prophetarum, graphice depingentia grauem hanc ecclesiæ Christi sub antichristi tyrannide, extremo hoc nostro sæculo sæuientis, oppressionem: extant præcepta grauissima, iubentia fugere antichristum, idololatriā, & pseudoprophetas. Dominus enim dixit in euangelio secundū Matthæū, Surgent pseudochristi & pseudopropheræ, & dabūt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire, Ecce in penetralibus, nolite credere. Et iterum, Cauete uobis à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Item, Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt? S. Petrus magna cum grauitate, Seruemi- *Defectio à Romana ecclesia præcipitatur.* *Matth. 24.* *Matth. 7.* *Luc. 6.*

Acto.2. ni,ait,à generatione ista praua. Copiosissima idem hac de re tradit in secunda sua epistola, capite 2. & 3. Sed & S. Paulus per omnia cum sancto euangelio, & beato Petro congruens, & antichristum & postrema illa antichristi tempora,hominesq; corruptissimos, nõ lumina,sed faces ecclesiæ,depingens, iubet sanctos ab his recedere, & ad Christum ac ueritatem eius synceram aggregari. Loca si quis requirat,inueniet 2.Thes. 2. 1.Timoth. 4. 2.Timoth.3. & 4. cap.

2.Cor. 10. Idem alibi, quemadmodum & beatus apostolus Ioannes dixit, Fu-

1. Ioan. 5. gite idololatriam.Et in 2.ad Corinth.6.cap.disertis uerbis,& luce-

2.Cor.6. lentissima oppositione demonstrat,non posse constare ullum consensum inter Christum & Belial,inter tenebras & lucem,inter idola & templum dei. Ac subiungit mox, Quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit dominus, & immundum ne

Apoc.18. tetigeritis: & ego suscipiam uos. Huc pertinet quod beatus Ioannes apostolus reuelatione sibi à domino Christo facta, uidens fatam Babylonis, simul etiam uocem cœlo delatam, audit in hanc sententiam præcipientem, Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius,& de plagis eius ne accipiatis. Idem non semel minatur æternum exitium bestiam adorantibus: uitam autem & gloriam aspernantibus fugientibusq; bestiam, adhærentibus autem unice unico mundi seruatori Iesu Christo. Proinde discessus ille noster à sede uel ab ecclesia Romana non modo licitus,sed & necessarius est, quippe mandatus nobis ab ipso domino per sanctos apostolos,quibus nisi obediamus,saluari nequaquam poterimus.

Defectionũ genera. Alioqui non ignoramus abominandas ac culpabiles prorsus esse defectiones, inter quas tamen nisi distinguamus,non apparebit luculenter quid uel probemus uel improbemus, quidue sequamur aut fugiamus. Est defectio apostasiæ, qua fidei uel religionis odio,ex mera impietate & contemptu numinis,athei cum Luciano suo impio, ac Iuliano apostata, à fide orthodoxa & catholica, deniq; à communione fidelium deficiunt,& ueritatem præterea Christianam conuitijs blasphemijsq; impetunt, ac ipsam dei ecclesiam uel irrident uel persequuntur. Est rursus defectio hæretica, qua uidelicet cum Valentino,Marcione, Ario, Manichæo, Artemone, similibusq; monstris superbi & confidentes pertinacesq; nequam, uel ipsam scripturam repudiantes uel interpolantes contemnunt & calcant, uel certos fidei articulos, sanaq; ecclesiæ dei dogmata negant,subuertunt ac oppugnant,contraria astruunt, atq; ita ecclesias sibi hæreticas construunt, à uera autem orthodoxa & catholica recedunt. Est præterea discessus schismaticus, qualis erat Donatistarum

rum ſeparantium ſe ab eccleſia dei uera, prætextu abſolutioris conſequendæ ſanctificationis. De quo abunde ſatis diximus paulò ante hæc. Et ſuperiores quidem defectiones duæ prorſus ſunt abominabiles & nephariæ: quemadmodũ & tertia nullo modo defendi poteſt. At nulla quidem iſtarum nobis hodie à Romana eccleſia deficientibus imputari poteſt. Vacat enim omni crimine illa ſeceſſio, quæ fit non à uera, ſed falſa eccleſia: non à populo dei, ſed à perſecutoribus populi dei: non ab articulis fidei & ſanis dogmatibus eccleſiæ, ſed ab erroribus fidei articulos obſcurantibus, & à prauis hominum traditionibus & corruptelis: quæ deniq; fit non leuitate aliqua, ſed neceſſitate: non nouandi, ſed ueræ religionis ſtudio, propter ueram fidem recuperandam, ſecundum teſtimonia æternæ ueritatis, ut relicto tenebrarum cõſortio recolligamur cum Chriſto uera luce, & omnibus membris eius. Ita uero hodie deſeruimus Romanam illam ſedem, falſa doctrina, idololatria, & innoxio martyrum ſanguine redundantem: amplexi ſumus autem doctrinam euangelicam & apoſtolicam, ideoq; Chriſtum ipſum caput eccleſiæ, quæ eſt communio omnium ſanctorum Chriſto credentium. Et hæc quidem per digreſſionem hactenus dixi, redeo ad tractationem Eccleſiæ catholicæ, ut abſoluam quæ dicenda ſuperſunt.

Etenim quo plus lucis roborisq; his accedat, quæ diximus hucuſq; de eccleſia, proferam nunc parabolas aliquot ex ſcripturis ſanctis, quibus illa nobis ueluti depicta ob oculos ſtatuitur. Ac facile erit cuilibet interſtinguere inter internam & externam eccleſiam, agnoſcereq; quæ cuiq; ſint uel propria, uel minus propria. Primũ depingitur nobis eccleſia ſub ſpecie & imagine domus. Domus conſtruitur in hunc finem, ut inhabitetur ab hominibus: & conſtruitur quidem ab architectis, ex omnigena materia, ex lignis, lapidibus, cœmento, fundamento primum collocato: cui deinde imponuntur muri uel parietes, qui angulari compinguntur lapide: poſtremo additur uel ſuperinducitur tectum, ſine quo totum ædificium paulatim corruptum collaberetur atq; periret. Domum dei diximus eſſe eccleſiam, cuius architectus ſummus ipſe deus eſt, qui in typo, nempe in Tabernaculo Moſis, & templo Solomonis, & Moſi & Dauidi formam templi exhibuit, ad quam ipſum extruãt. Deus enim ab initio angelos ne laberentur, retinuit, hominem uero in peccatum & mortem prolapſum, reparauit, ab ipſo rerũ exordio protinus eccleſiam ſibi ſanctificans, quam & uerbo ſuo circũſcribens, deſignauit. Hanc autem formam eccleſiæ omnino oportet

Eccleſia eſt domus dei.

tenere, non recipere aliam, uel ab Imperatore, uel à Papa, aut ab alio quouis homine traditam. Verus hic ueri domus dei architectus in
Matth. 16. euangelio dicit, Super hanc petram ædificabo ecclesiã meam. Ipse enim dei filius facit nos regno suo dignos, ipse fidem inspirat, per quam fiamus ecclesiæ dei uera membra. Quamuis autẽ ipse dominus sit unicus & summus ecclesiæ suæ architectus, operam tamen hominũ in extruendo non aspernatur, imò adiungit sibi in extruenda ecclesia homines, quos & architectos appellare dignatur. Pau-
1. Cor. 3. lus enim, Vt sapiens architectus, inquit, fundamẽtum posui. Et iterum, Quis est Paulus, quis Apollos, nisi ministri, per quos credidistis: & ut cuiq; dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incremẽtum deus. Rursus, Dei sumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio estis. Exemplo rem proponemus. Cũ
Act. 10. deus inter gentes sibi domũ excitare uellet, primum gratia sua perfudit Cornelium legionis Italicæ apud Cæsaream præsidem, uel ducem ac centurionem, mox misso apostolo Petro, domum illã sibi præparat & adoptat. Petrus enim docet & baptizat, Cornelius cum suis auscultat, credit, baptizatur, & fit domus dei, ecclesia uera, quã & dominus per spiritum suum inhabitat. Sicut enim domus inhabitatur ab hominibus, ita ecclesiam inhabitat deus, Paulo testãte et dicente, Templum dei sanctum est, quod estis uos. Item, An nescitis quod corpora uestra sint templum eius qui est in uobis spiritus sancti? &c. Huius domus fundamentũ est Christus. Dominus enim apud Isaiam dicit, Ecce ego fundo, seu mitto in Zion (nimirum in ecclesia) lapidem, lapidẽ probatũ, angularẽ, precioſum, solidissimũ fundamentum. Qui crediderit non festinabit. Id uaticinij exponẽs
Matth. 16. in euangelio secundum Matth. dominus, & sibijpsi ceu ecclesiç fundamento applicans, ad Petrum confitentem Iesum esse uerum ueri dei filium, Messiam expectatum, dicit, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. Accedit his & beati Petri apostoli expositio, qui citans
Psal. 117. hæc ipsa Isaiæ prophetæ uerba, & alludens ad illa Dauidis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput an-
2. Pet. 2. guli, diserte dicit, Christum Iesum esse lapidem illum uiuum, ab ho-
Act. 4. minibus quidem reprobatum, à deo uero electum, fundamentũ firmum, cui qui innitãtur, minime confundantur. Cõsentit Petro etiã
1. Cor. 10. Paulus apostolus. Dicit enim, Petra autem erat Christus. Et iterum,
2. Cor. 3. Fundamentum aliud poni non potest, quàm quod positũ est, quod
Ephes. 2. est Iesus Christus. Ergo cum idem ille alibi hoc ipsum fundamentum

tum nominat fundamentum apostolorum & prophetarum, nõ ita accipiendum est, quasi apostoli & prophetæ sint fundamentum ecclesię, sed quod hi Iesum Christũ ꝓ fundamẽto ecclesię collocarũt, et totam structuram huic fundamento imposuerũt, etiam semetipsos. Nequeunt enim homines mortales obiectum esse fidei, & fundamentum ecclesiæ, cui innitantur fideles. Clamat Dauid, Dei uia im maculata est, & eloquium domini est examinatũ, protector est ipse omnium in se sperantium. Quis enim est deus præter dominum, aut quis PETRA præter deum nostrum? Nam & Ieremias, Sic dicit dominus, inquit, Maledictus uir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & cuius cor recedit à domino. Benedictus uir qui confidit in domino, & cuius fiducia est dominus. Ita scriptura prophetica & apostolica concorditer ostendit nobis petram, id est fundamentum ecclesiæ Christum, & hunc quidem solum.

Psal. 18.

Iere. 17.

Turpiter ergo errant, quicũq; diuinæ hoc laudis, uirtutis, ac prærogatiuę, quod soli dei filio competit, tribuunt Romano pontifici. Quod si obiecerint, complures ex Græcis & Latinis interpretibus per petram ipsum Petrum intellexisse, repudiamus humanam authoritatem, prę ferimus & asserimus diuinam. Christus non dixit, Ædificabo ecclesiam meam super te, sed super Petram, & hanc quidem petram, quam confessus es. Sed & Petrus nomẽ habet à petra: sicut Christianus à Christo. Quid quod ipse Petrus per petram intellexit Christum? Accedit his Pauli authoritas dicentis, Petra erat Christus. Et, Fundamentum aliud nemo potest ponere, prę ter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Nam Dauid prior dixit, Quis est deus præter dominum, aut quis est petra præter deum nostrum? Hæc testimonia non temere repeto: his enim longe clarissimis solum Christum petram & fundamentũ ecclesiæ attestantibus & collocantibus magis credendum fatebuntur omnes non omnino insani, quàm docentibus cum Christo & Petrum et Romanum pontificem petras & fundamina esse ecclesiæ. Nihil nunc contra hos dicam atrocius, quod omnibus notissimum sit, quales sint, indignissimi qui Petro accensẽatur, dignissimi autem qui Simoniacis annumerentur. Præuidit Petrus quales isti erant futuri, ergo ne cui imponerent depinxit eos suis coloribus 2. Pet. 2. Nos illis relictis, redimus ad expositionem assumptæ parabolæ.

Petrus uel Rom. Põt. non est fundamentum ecclesiæ.

Matth. 16

1. Cor. 10.

Materia domus, parietes & reliquæ partes sunt ipsi fideles homines, extructi super fundamento Christo. Id quod admirandi & præcipui huius structuræ artifices Petrus & Paulus hisce testantur

Domus dei qui sint.

1. Pet. 2. & illustrant uerbis. Petrus, Ad Christum accedentes, inquit, qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud deum uero electus ac precios⁹, ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendū spirituales hostias, acceptabiles deo, per Iesum Christum. Paulus uero, Iam non estis hospites & incolæ, ait, sed conciues sanctorum & domestici dei, superstructi super fundamentum apostolorum & prophetarū, summo angulari lapidi ipso Iesu Christo, in quo totum ædificium coagmentatum crescit in templum sanctum domino, in quo et uos superædificamini in habitaculum dei in spiritu. Authoritate ergo apostolica discimus Christum esse angularem in domo dei lapidem, qui ne dilabantur parietes, eos compingit & retinet totā structuram. Idem est tectum ecclesiæ, defensor utiq; & princeps, sub cuius præsidio tuta, felix & beata uiuit ecclesia. Huc pertinet consideratio Tabernaculi Mosis & Templi Solomonis. Nam utrunq; appellatur Domus dei. Distinguebatur hæc in Sanctum sanctorum, in Sanctum, & in Atrium: & quamuis distinctæ hę partes commorentur, una tamen domus domini nūcupatur, quia est una duntaxat ecclesia uniuersalis, quæ interim suas ueluti partes habet. Sanctum sanctorum figurat ecclesiam triumphantem in cœlis, ubi sunt conserui dei & fratres nostri patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres & omnes spiritus beati. Ibi apparet semper in conspectu dei Christus dominus noster, arca nostra, in quo thesauri ecclesiæ, qui est perfectio legis, fœderis firmitudo, et propiciatio nostra. Inde redduntur nobis oracula. In hac parte templi omnia sunt magnifica, aurea & gemmea. Absolutum enim in cœlis gaudium percipitur. Sūt in templo formæ angelicæ, palmæ & flores. Quia in futura uita electi erunt sicuti angeli dei. Hic uictores perpetuo uirent. Vincenti, inquit dominus, dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradysi dei. Hic omnia splēdida sunt: quia in Christo & in futura uita clarificabimur. Sanctum repræsentat nobis militantem ecclesiam, & interiorem quidem, sanctificatam sanguine Christi, quæ non habet speciem pietatis, sed ipsam pietatem. Fide enim adhærent deo, charitate connectuntur inter se mutuo, seruiunt deo spiritu, auscultantes uerbo dei & participantes sacramentis. In sancto ergo collocauit Solomon decem candelabra, decem mensas, & lutheres decem. In ecclesia enim sanctorum est illuminatio, alimentum & purgatio quotidiana per pœnitentiam. Porrò Atrium recipiebat totum cœtum populi. Ecclesia enim cœtus est omnium fidem profitentium, admixtos habens hypocritas. Inter sanctum & atriū

Ephes. 2.

Angularis lapis Christus.

Tabernaculum & Templū typus ecclesiæ.

Apoc. 3.

sive

siue uestibulum occurrunt duæ columnæ in templo Solomonis, in scriptæ Dauidico generi. Christus enim est qui sustinet ecclesiam, per quem patet ingressus in ecclesiam. Ex Christi beneficio & uirtute habet ecclesia, si in Christo maneat, ut & ipsa sit columna & basis ueritatis. Non est autem ullus extra tabernaculum & templum domini locus, in quo deus cultum sibi exhibitum, quàm in ecclesia, recipiat. In sola ecclesia sanctorum propitius est dominus. Faciant ergo Iudæi, Turcæ & Saraceni præstantissima in speciem licet opera, extra Christum eiusq; consortium nemo deo placet.

Ecclesia est uinea domini.

Rursus confertur ecclesia dei Vineæ præstantissimæ apud Isaiam, qui disertis uerbis dicit, Vinea domini exercituum est domus Israel, & palmes eius delectabilis uir Iuda. Nam & in euangelio dominus noster in parabola uineæ clare exponit homines esse huius uineæ palmites. Imò apud Ioannem idem, Ego sum uitis illa uera, *Ioan. 15.* inquit, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorem proferat. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manserit in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras, sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt & ardent. Vna itaq; est ecclesia, quia uitis una est. Ex illa existunt propagines frugiferæ partim, partim infrugiferæ. Etenim boni siue pij ueri dei cultores & mali, siue hypocritæ recensentur in ecclesia. Hypocritæ tamen suo tempore resecantur & in æternum conijciuntur incendium. Quod boni manent in uite, nec resecantur, sed fructum proferunt, id quidem Christo ecclesiæ fundamento, capiti & conseruatori debent, qui succo suo spiritali & uitali eos reddit bonorum operum feraces. Apparet hic illustrissime capitis & membrorum, Christi & fidelium connexio: de qua prius diximus, de qua item in euangelio dominus subijcit, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis.

Ecclesia regnum dei.

Præterea appellatur ecclesia fidelium Regnũ dei. Rex enim ecclesiæ, id est omnium fidelium, est ipse dei filius Christus Iesus, qui spiritu & uerbo suo gubernat ecclesiam, & hæc se ipsi gubernandã sponte subijcit. Nec plura inueniuntur regna in orbe: quia unus duntaxat est rex gloriæ Christus. De hoc rege & regno differui Decadis 4. Sermone 7.

Ecclesia celebratur per Corpus humanum.

Iam & Corpori humano assimilari ecclesiam sæpe diximus. In corpore primas tenet caput, quod nusquam abest à corpore. Decusum, relinquit exanime & sine sensu corpus. Huic licet sint membra plurima, omnium tamen est inter ipsa consensio pulcherrima. Congruunt & conspirant inter se omnia, condolent sibi inuicem, iuuãt se mutuo. Hoc uidelicet sibi inuicem præstant omnes fideles, quod membris membra. Vniuntur capiti Christo per fidem, ipsum caput coniungitur membris per gratiam & spiritum. Nunquam separatur ab ecclesia Christus: neque hæc aliunde uiuit quàm ex Christo. Qui tametsi corpore absens sit ecclesiæ militanti, præsentissimus adest tamen ei spiritu & operatione, atq; gubernatione: ita ut nullo indigeat in terris uicario, cum solus præsideat, & unicum caput, unicus rex, unicus pontifex & saluator ecclesiæ suæ maneat in æternũ.

Ezech.34. Dominus enim apud Ezechielem dicit, Suscitabo super oues meas pastorem unum, qui pascat eas, scilicet seruum meum Dauid: ipse pascet eas, atq; ipse erit eis in pastorem. Ego autem dominus ero eis in deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Ego dominus loquutus sum. Hoc postremum adiecit, ne quis dubitaret de fide & certitudine eorum, quæ dicta sunt. Deus est æterna ueritas: et is loquutus est: quod ergo loquutus est, non potest non esse uerissimum. Quid autem loquutus est? Vnum fore & esse ecclesiæ pastorem & principẽ. En Vnum dixit significanter. Quis uero ille unus? Id exponit & ait, Seruus meus Dauid, nimirum Christus Iesus (germen illud Dauidicum) quem euangelica authoritas ubiq; appellitat filium Dauidis. Hic non erit pastor nomine duntaxat seu titulo,

Matth.18. sed reipsa. Pascet enim oues, adeoq; erit in medio eorum. Nam in euangelio diserte dixit, Vbicunq; duo uel tres fuerint congregati

Matth.28. in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et iterum, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationẽ sæculi. Iam si præsens adest suæ ecclesiæ, nullo hæc indiget Vicario. Vicarius enim absentis uicem gerit. Vbicunq; ergo uicarius Christi agnoscitur, ibi nullus est Christus, ibidem ergo regnat antichristus. Id fiet multo adhuc clarius & firmius, si expenderimus quid illud sit quod Christus dicitur esse caput ecclesiæ. Caput est, uita, salus, & lux, siue illuminatio ecclesiæ, princeps supremus fidelium, qui toti sanctorum cœtui, omnium temporum, & per totum orbem dispersi, possit & uelit semper adesse, preces et uota eius audire, auxilium denicq; ferre in rebus quibus liber: breuiter, qui uniuersam ecclesiam perfectissime gubernare, & omnia eius sarcire, & in omnibus perficere possit. Hanc autem prærogatiuam non tribues ulli, opinor, creaturę

Ecclesia dei nullum habet uicarium.

Caput ecclesiæ.

citrà

citra blasphemiam & sacrilegiũ: solus ergo Christus deus & homo uerus, est & manet caput ecclesiæ unicũ. Qui Papã Romanũ agnoscunt caput esse militantis ecclesiæ, uel quid agant & dicãt nesciũt, uel scientes & uolentes filium dei blasphemant, quem nolunt solum regnare super ecclesiam suam. Sed audiamus modo diui apostoli Pauli de hac re testimonia. Deus, inquit, excitauit Christum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, tam in præsenti quàm in futuro sæculo: & omnia subiecit sub pedes eius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius: complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. En caput est Christus, quia omnibus in cœlo & in terra præsidet, omnia gubernat, omnia sibi subiecta habet, ipsamq; perficit ecclesiam corpus suum, complens ea quæ ipsi desunt, omniaq; adimplens desideria eius. Rursus idem apostolus, Christus caput est ecclesiæ, inquit, & idem dat corpori salutem. Capitis est incolumitatem dare corpori, & præsidere. Id nemo præstat nisi solus Christus, solus ergo ecclesiæ suæ caput manet: præsertim cum ecclesia corpus sit Christi spirituale, & ea de caussa non possit habere caput carnale, nisi libeat ex ecclesia monstrum facere pœticum. Etenim Christus ecclesiæ caput est, non quia homo est, sed quia deus & homo est. Cæterum si Romani idoli defensores, propugnatoresq; Romanæ monarchiæ, per caput intelligunt principem in terris, sicut Saul nuncupatur in scriptura caput Israelis, adeoq; intelligunt primum episcopum in prima sede præsidentem, audiant rursus ipsam scripturam, fœdissimũ ipsorum errorem confutantem atq; dicentem, Facta est autem contentio inter apostolos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis Iesus, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur: uos autem non sic. Sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum, ut qui ministrat.

Papa non est caput ecclesiæ.

Ephes. 1.

Ephes. 5.

Luc. 22.

Primatus ergo ille Romanæ ecclesiæ ex hominibus est, non ex doctrina aut ex traditione Christi, imò pugnat ex diametro cũ institutione, cum doctrina, & cum exemplo Christi: qui non uult apostolos & apostolicos uiros regnare instar principum huius sæculi. Ministros instituit ecclesiæ, qui seruiant ecclesiæ. Hæc accumbit ad mensam, ministri cibum à domino acceptum apponunt, & recte secant uerbum domini. Quid quod ipse Christus coronam in

terris fugit, ipſeq́, qui dominus omnium eſt, miniſtrauit? Quid quod non uult miniſtros uel propter ſenium prærogatiuam ſibi ſumere? Qui maior eſt in uobis, inquit, fiat ſicut iunior. Iubet ergo omnes eſſe æquales. Proinde recte iudicat beatus Hieronymus, di-
Hierony. in Cõment. ad Titum, & in epiſt. ad Euagrium.
cens, humana conſuetudine, non authoritate diuina, unum aliquẽ presbyteris eſſe prælatum, qui dicatur epiſcopus, cum ab antiquo presbyter & epiſcopus eiuſdem fuerint honoris, dignitatis & poteſtatis. Obſeruandum eſt autem beatum Hieronymum non loqui de Romana monarchia, ſed de epiſcopis ſingulis, in urbibus ſingulis ſuper presbyteros cõſtitutis. Id quod nõ ideo proferimus, ut humanç authoritati innitamur, ſed ut oſtẽdamus uel humano teſtimonio euinci poſſe maioritatem illã, ut uocãt, non ab ipſo dei filio & ex uerbo dei oriri, ſed ex arbitrio hominum: ideoq́ & Chriſtum manere unicum eccleſiæ ſuæ caput, & Romanum epiſcopum nihil minus eſſe quàm caput militantis eccleſiæ. Simul autem firmiſſime inhæremus ſacroſancto euangelio & indubitatæ apoſtolorum doctrinæ, quæ tollit omnem primatus ſuperbiam, fideleq́ nobis miniſterium & miniſterij æqualitatem humilitatemq́ cõmen-
2. Cor. 4.
dat: apoſtolo rurſus atteſtante, ac dicente, Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum dei.

Eccleſia ouile eſt Chriſti.

Huc pertinet totum ferè caput Ioan. 10. in quo dominus ſe ſtatuit uerum uniuerſalis eccleſiæ paſtorem, & unicum quidem. Ouile huius paſtoris unicum eſt, ipſa eccleſia catholica, collecta per uerbum ex Iudæis & Gentibus. Proinde oues huius caulæ ſunt omnes in toto orbe fideles, audientes & ſeſe totos regendos præbentes ſummo paſtori Chriſto: qui tametſi miniſtris ad miniſterium eccleſiæ deputatis, nomen quoq́ paſtoris cõmunicet, ipſe tamen ſoli ſibi curam paſtoralem ſummam, poteſtatemq́ & dignitatem primam retinet. Paſtores eccleſiarum homines, omnes ſunt æquales & miniſtri: Chriſtus dominus uniuerſalis paſtor, paſtorũq́ princeps ac dominus eſt. Paſtores diligentia & fides præſtantior excellentiores facit.
Ioan. 21.
Ergo cum Petro dixit dominus, Paſce oues meas: nõ cõmiſit Petro imperium, uel in orbem, uel in eccleſiam, ſed miniſteriũ in eius redemptos. Doce, inquit, et guberna uerbo meo meas oues, meas in-
Acto. 20.
quam, quas ſanguine meo redemi. Paulus enim, Attendite uobis, inquit, & cuncto gregi, in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, ad regendum eccleſiam dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Fallitur itaq́ Rom. pontifex, qui uerbis domini ad Petrum dictis, arbitratur ſibi plenam omnium in eccleſia poteſtatem eſſe traditam. Au-
1. Pet. 5.
diatur ipſe apoſtolus Petrus cum presbyteris colloquens, & ueluti

enarrans

enarrans illa domini ad se dicta uerba, Presbyteros qui inter uos sunt obsecro, ait, qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionũ Christi, atq; idem consors gloriæ quæ reuelabitur, pascite quantũ in uobis est gregem Christi, curam illius agentes, non coacte, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neq; ceu dominiũ exercentes aduersus cleros, sed fic ut sitis exemplaria gregis. Non meminit Petrus ullius imperij & dominij, imò disertis uerbis prohibet dominium. Sicut enim ipse à domino constitutus est minister ac presbyter, non princeps & summus pontifex: ita ipse nullos principes constituit in ecclesia, sed ministros & presbyteros, qui uerbo Christi pascant gregem Christi, idq; sponte & legitime, artibus prauis semel sepositis omnibus. Huc pertinet integrum caput Ezech. 34. quod paulò ante citauimus. Nisi autem incrassatum esset cor, oculiq; obriguissent Rom. Pont. & suis, uidissent iam dudum se nulla in parte, aut modo ullo inter pastores ecclesiæ Petriq; discipulos numerari posse: obseruassent saltem illam sui illius Gregorij sententiam, quam hisce propemodum uerbis recitat apud Imp. Mauricium, Ego fidenter dico, quia quisquis se uniuersalem sacerdotem uocat, antichristum præcurrit. Et mox, Sed quoniam uetitas dicit, Omnis qui se exaltat, humiliabitur, scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur quo inflatur amplius. Hæc ille. *Pastorale munus non est dominium.*

Postremo adumbratur negotium Christi & ecclesiæ per parabolam Coniugij mariti & uxoris. Christus enim ecclesiæ sponsus: ecclesia Christi sponsa appellatur. Beatus Ioannes ad discipulos suos dicit, Ipsi uos testes estis quod dixerim, non sum ego Christus: sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est: illum oportet crescere, me uero minui. Et in prophetis frequentissima est hæc allegoria. Alicubi fingitur puella neglecta & fœda iacere in sordibus: apparatamq; à sordibus, nec non splendide ornatam, sibi in uxorem delegerit. Quanquam uero hæc allegoria explicet diuinum illud beneficium, quod deus populo suo in Aegypto capto, per mirabilem liberationem & adoptionem in populum peculiarem, exhibuit: quis interim non uideat totum genus humanum ex prima sua origine peccatis sceleribusq; esse defœdatum, cœnoq; infixum inferni? Quis ignoret filium dei cœlo descendisse, totumq; genus humanum lauisse sanguine suo, purgatamq; sibi adiunxisse ecclesiam gloriosam, nec maculam, nec rugam, nec tale quippiam habentem. *Ecclesia est sponsa Christi.* *Ioan. 3.* *Ezech. 16.*

Certe per connubium fit mutua inter contrahentes omnium bonorum communicatio, & quædam ueluti concorporatio indissolubilis. Ergo cum Christus nostram assumpsit carnem, & noster factus est per omnia, & nos quoque sumus membra corporis eius. *Ephes. 5.* dem, ex carne eius, & ex ossibus eius. In nobis est infirmitas, peccatum & mors: ea in se quoque recepit sponsus noster, ut ipsa nobis redderet innoxia. In Christo sponso nostro est iustificatio, sanctificatio & uita, eadem nobis sponsæ suæ communicat, ut in ipso simus iusti & sancti, uiuamusq; per ipsum.

Ecclesia mater generat filios. Ex coniunctione illa domini & ecclesiæ legitima, nascuntur legitimi filij deo. Vnde ecclesia mater & libera, id est, matrona & domina appellatur. Nam beatus Paulus, Quę sursum est Hierusalem, *Galat. 4.* inquit, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Etenim sicuti ex coniunctione uiri & mulieris, per seminis propagationem, nascuntur liberi Ita adiunxit sibi Christus ecclesiam, in quam deposuit semen uerbi sui. Per uerbum generat mater ecclesia liberos (quod & supra monui, cum de origine dicerem ecclesiæ) dum uidelicet ipsa semen uerbi retinens, per uerbi prædicationem nos formar & fo- *2. Cor. 3.* uet in utero, deinde & in lucem edit, quos postea lacte nutrit, & ci- *Ephes. 4.* bo solidiore alit, donec crescamus in uirum perfectum. Quemadmodum uero sine sponso, sine fide & semine, nulla mater est: ita ecclesia sine Christo, sine syncera fide & semine uerbi dei, non est mater libera & domina illa nostra. Didicimus autem ex his obiter, cur ecclesia dei, mater dicatur. Eadē nihilominus & Virgo appellatur.

Ecclesia uirgo. Ab hac enim sancta matre ecclesia requirit dominus ante omnia fidem & integritatem. Nam apostolus Paulus, Adiunxi uos uni uiro, inquit, ad exhibendam uirginem castam Christo. Ergo sponsæ *2. Cor. 11.* est uirginitatem in dotem afferre sponso, eandemq; seruare illibatam. Qualis uero illa uirginitas? syncera in Christum fides, quæ uni integra uel tota mente æternum adhæreat: quod fit cum solum sponsum audimus, neq; alium quàm ipsum solum amamus, breuiter cum in simplicitate euangelij perseueramus. Sequitur enim in uerbis apostoli, Sed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ est in Christo. Simplicitas illa Christum agnoscit compendium salutis, recapitulationem uitæ, omniumq; bonorum cœlestium: extra quem nulla sit salus, nullum bonum. Quis uero castā dicat matronam, quæ lenonibus aures præbeat, & cor suum alijs quoq; adamandis dispertiatur, nec in unico marito suo acquiescat? An non omnes scortum & adulteram esse clamabunt, concumben-

tem

tem cum alieno, parientemq; ex alieno semine liberos? Et multus quidem usus est in scripturis sanctis adulterij & fornicationis spiritualis. Omnes prophetarum sermones huiusmodi scatent allegoriis. Adulteros, scorta, et fornicarios appellant isti ecclesias, uel homines alienum semen, id est alienam à dei uerbo doctrinam suscipientes. Tales enim fornicantes à deo, non soli deo adhærent, nõ solum ex toto corde amant, non solum adorant, colunt & inuocant: imò alios sibi deligunt, quos uel pro deo, uel cum deo uenerentur & inuocent. Huc pertinet bona pars cap. 5. Ieremiæ, & integrum cap. 2. Osee. Inter alia dicit dominus, Filiorum eius non miserebor, quoniam filij sunt ex scortatione susceptí. Siquidem mater eorum scortata est: quia dixit, Ibo, sequar amatores meos. Et reliqua. *Adulteriũ & fornicatio.*

Hæc cum ita habeant, fratres, non est quod hodie quisquam Romanam ecclesiam, sanctæ matris ecclesiæ titulo & decore ornantis se, reuereatur. Etenim hæc sancta mater ecclesia non est, hæc matrona & incorrupta uirgo nõ est. Vbi enim est sponsus, qui sit huic matronæ castæ omnia solus? Vbi est fides seruata sponso & integritas? An non alieno se commaculauit semine? An non nouam & alienã à uerbo dei doctrinam recepit & tradit? atq; eo modo non Christo, sed antichristo generat liberos plurimos? Beatus Ioãnes iusto titulo hanc ornans ecclesiam, appellauit Babylonem magnam, matrem scortationum & abominationum terræ: item mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu Christi. Sãcta mater ecclesia incorrupta uirgo est, solius unice adamati sponsi sui uocem uel doctrinam audiens, in ipso solo omnia uitæ & salutis collocans, & ab hoc uno duntaxat dependens in omnibus. Multis quidem allegorijs alijs depingit scriptura mysterium Christi & ecclesiæ: sed de ea hęc hactenus dixisse sufficiat. Dominus Iesus uerus & unicus ecclesiæ suæ pastor, errantes ouiculas placide in caulam suam reducat, & in ecclesia congregatas æternũ conseruet. Amen. *Rom. ecclesia non est sancta mater ecclesia* *Apoc. 17.*

De ministerio & ministris uerbi dei: quare et in quem finem à deo sint instituti. Ordines à Christo ecclesiæ traditos, olim fuisse æquales. Vnde & quomodo exorta sit ministrorum prærogatiua, ac de Rom. Pont. primatu. SERMO III.

EXPOSITIO de Ecclesia dei rectius intelligetur, fratres, ex his quæ de ministerio & ministris ecclesiæ, ex uerbo domini, dicenda restant. Dixi enim ecclesiam dei uerbo dei extrui atq; conseruari, idq; per ministros, ad hoc per dominum deputatos: unde consequens est, ut nunc dicamus de ministris ecclesiæ eorumq; ministerio, id est de ordine quo suam ecclesiam deus gubernat.

Et ministerium quidem ecclesiasticum extenditur ad preces publicas & excitandas & fouendas, & ad sacramentorum administrationem, præcipue autẽ uersatur in prædicatione uerbi dei. De prioribus dicetur suo loco et tempore: de ministerio uerbi differemus in præsenti. In eius consideratione in primis inspicere conuenit, quare deus in erudiendis hominibus opera uel ministerio hominum utatur, & quid in ipso ministerio homines præstent & efficiant, quid deus. Hic certe pro immensa sua in nos bonitate & misericordia cupit se totum effundere in nos (id quod sæpe repetendũ censeo, quo altius nostris infigatur animis, & nos quoq; quid deo debeamus cogitemus) ut & ipso firmemur beatiq; simus, & uoluntatem eius erga nos, deniq; officium nostrum, quo ipsi sumus obstricti, plenissime intelligamus. Sicut ergo in omnibus diligentissime salutẽ nostram promouet, ita ne quid doctrinæ ueræ desit, ipse ad erudiendum homines prodit. Cæterum quæ nostra est imbecillitas & corruptio ex peccato, non sustinemus congressum æternæ et immensæ illius maiestatis. Id quod ex multis quidem colloquijs dei cum patribus nostris habitis, tum maxime ex congressu eius cum uniuersa Israelis ecclesia in Sina monte apparet. Cum enim non sine gloria & maiestate diuina descendisset in montem, & ore proprio recitasset totius religionis omniumq; legum compendium (quod Decalogum appellamus) territus diuina maiestate populus, dixit ad Mosen, Loquere tu nobiscum, & audiemus: & ne loquatur nobiscum deus, ne forte moriamur. Deus autem conditionem hanc recipiens, dixit, Audiui uocem uerborũ populi huius, quæ sunt ad te loquuti, recte & probe loquuti sunt, quæ dixerunt. Vtinam sit tale cor in eis, quod me timeat &c. Porrò hunc modum docendi per homines, quem sibi ipsimet homines elegerunt, deus quoque perpetuum &

Quare deus ministerio hominũ utatur in extruenda ecclesia.

Exod. 19. 20. Deut. 5.

inuio-

inuiolabilem esse uoluit: adeo, ut cum filium in orbem mitteret, carne indueret, & sic loqueretur nobis per ipsum.

Posset sanè deus per spiritus sui arcanam illuminationem absq; hominum opera (sicuti eius potestas nulli creaturæ alligata est) totum mundum regenerare, & ipsam gubernare ecclesiam: sed sicut creaturas suas nõ reijcit, nec opus suum destruit, atq; ordine omnia agit, ita à rerum initio protinus loquutus est mũdo per patriarchas, deinde per prophetas, hinc per apostolos, nec hodie cessat dare mũdo doctores & pastores. Ita uero decet nos non tentare deum, id est non expectare occultam inspirationem cum Enthusiastis, sed agnoscere iustum ordinem, ipsumq; nobis dominum loqui per homines, à quibus nos uult discere religionem. Scripturas sacras legebat Candaces reginæ Aethiopum eunuchus, ac potuisset ipsum occulta inspiratione docere dominus fidei negotium, sed datur ei doctor & interpres Philippus. Similiter Paulus doctor gentium, raptus in cœlum tertium, & ab ipso Christo, non ab hominibus institutus de omnibus religionis nostrę capitibus, nihilo minus reijcitur ad Ananiam hominem. Mittitur ad Cornelium legionis Italicæ centurionem & Cæsareæ agentem angelus domini, qui potuisset de omnibus religionis ueræ negotijs ipsum erudire, sed iubet accersire Petrum apostolum. Is, inquit, dicet tibi quid te oporteat facere. Ea de caussa appellantur ministri saluatores: dicuntur conuertere homines: uerbum ipsorum non hominum, sed dei uerbum nuncupatur: qui hos contempsit, deum ipsum cõtempsisse uidetur: illi ipsi ligare & soluere, peccata itẽ tenere & remittere prædicantur. Abdias enim prophera commemorat seruatores ascensuros in montem Zion: id quod de apostolis nemo non interpretatur. Paulus apud regem Agrippam uerba faciens, uerbaq; dei ad ipsum delata recitans, dicit, Mitto te ad gentes, ut apperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem &c. Etenim archangelus Gabriel prior dixit, loquens de Ioanne, Præcedet dominum in spiritu Heliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & inobediẽtes ad prudentiam iustorum. Præterea apostolus ad Thessal. Gratias agimus deo, inquit, quod cum acciperetis sermonem à nobis, quo deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uere, sermonem dei, qui & agit in uobis credentibus. Item, Qui reijcit nos, non hominem reijcit, sed deum qui dedit spiritum suum sanctum in nos. Nam & in euãgelio dixit dominus, Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit, me spernit. Et iterum, Quicquid solueritis in terra, erit solutum in cœlis: & quicquid alligaueritis in terra, erit alligatum & in cœlis.

Per ministerium uerbi agit deus minus in ecclesia salutem.

Acto. 8.

Acto. 9.

Galat. 1.

Acto. 10.

Acto. 26.

Lucæ 1.

1. Thes. 2.

1. Thes. 4.

Lucæ 10.

Matth. 16.

Ioan. 20. Item, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

Suũ cuiq; deo inquã et ministro, tribuatur.

Detorquentes autem hæc scripturæ sanctæ loca contra natiuum sensum, ministris propemodum æquam cum Christo potestatem partiuntur, ac quod huius solius est, etiam illis communicant. Addunt autem, Ita ornari oportere ministerium, ne inter prophanos uilescat homines. Alij rursus sic loquuntur de occulto spiritus tractu, ut externum illud ministerium ueluti euacuare aut abolere ac ei prorsus nihil tribuere uideantur. Circumscribi itaq; suis oportet terminis ministerium, ne hominum affectibus cupiditatibúsue huc aut illuc rapiatur, eiq; uel nimium uel minimum tribuatur. Ornetur sanè ministerium & retineatur in authoritate, sed citra dei ignominiam. Neque enim decet ministerij prætextu operi humano tribuere quod solius dei est, à quo solo dependere, & in quem solum respicere ceu unicum omnis boni fontem & datorem, omnes debent homines Fideles ergo ministri domini Iesu id unice curant, ut Christo suam gloriam & authoritatem illibatam, suum sacerdotiũ omni parte integrum conseruent. Ipse enim dominus Iesus sedens ad dexteram patris, in tabernaculo uero, quod deus fixit & non homo, manet sacerdos, imò summus pontifex ecclesiæ suæ unicus in æternum, obiens adhuc in ecclesia omnia sacerdotis munia. Docet enim unicus in ecclesia doctor & magister discipulos suos, hoc est fidelium ecclesiam, donans ipsam spiritu sancto, regenerans & trahens, sanctificans & absoluens. Id quod scriptura diserte ubiq; docet. Hanc gloriam, hanc potestatem nemini contulit, nec quisquam ministrorum, nisi diabolica cęcatus superbia, illã sibi arrogat, quasi ipse pro Christo, aut Christi loco, aut simul cum Christo, Christi propria operetur opera. Apostoli Christi fidelissimi ministri & organa dei selectissima, non contulerunt spiritum sanctum, non attraxerunt corda, non inunxerunt mentes, non regenerarunt animas, non ipsi à peccato, morte, diabolo & inferis liberauerunt. Hęc enim omnia dei sunt opera incommunicabilia. Vnde sanctissimus baptista diserris uerbis negauit se Christum esse, negauit se spiritu baptizare, Ego, inquit, baptizo aqua, ille baptizat spiritu sancto. Ego sum uox clamans in deserto, parate uiam domino: et Paulus coràm Agrippa caussam suam agens, optat à deo, ut talis fit Agrippa rex, qualis erat ipse Paulus uinculis exceptis. At huiusmodi uoto nihil fuisset opus, si ipse potuisset trahere, sanctificare & absoluere. Infinita sunt alia huius generis in scripturis obuia.

Ad ministerium pertinet locus 2. Cor. 5.

Ioan. 1.

Actor. 26.

Interim

Interim tamen non est inane ministerium ecclesiæ. Senatores & ministri regis non habent æquam cum rege potestatem, neq; cum rege aut pro rege reges sunt, sed ea de caussa non est inane ipsorum ministerium. Ergo quod Christus dei filius summus, optimus & maximus ecclesiæ suæ pontifex, in ecclesia catholica intus ac in animis, utpote unicus cordium scrutator, operatur, id foris annunciat ac testificatur per suos ministros, quos scriptura ideo testes, præcones, siue nuncios appellat. Vos, inquit dominus ad apostolos, eritis testes, quia ab initio mecum estis. Et Paulus, Positus sum ego præco euangelij, ait, & apostolus & doctor gentium. Ergo idem alibi ipsum euangelium, & testimonium & præconium appellat domini nostri Iesu Christi. Et Ioannes apostolus asseuerat se relegatum esse in Pathmos insulam propter uerbum dei & testimoniū Iesu Christi. Ideoq; cum ministri testimonium reddunt dei filio, & ex ipsius uerbo promittunt uitam æternam, sermo eorum non hominum, sed dei sermo appellatur, ipsiq; seruare, & à peccatis soluere dicuntur. Sunt enim nuncij & præcones regis liberatoris ueri, qui ipsos misit nunciatum remissionem: unde etiam omnia uitæ salutis & liberationis unico attribuunt liberatori Christo. Paulus alibi ministros dicit esse cooperarios dei: & mox, dispensatores mysteriorum dei. Nam salutem quam operatus est dei filius, quam & largitur solus, ministri prædicant siue dispensant, atq; ita cooperarij sunt. Idē apostolus ex doctrina euangelica, quæ doctorem ecclesiasticum assimilat seminanti, ministros confert hortulanis & arborum plantatoribus, quibus cultum tribuit externum, Christo domino referuans operationem interiorem. Quis, inquit, est Paulus? Quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incremētum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementū, deus. Quo scripturæ testimonio instructus Augustinus de ministerio ecclesiæ sic loqui & scribere didicit, ut nihil decederet gloriæ intus commonentis & docentis dei, interim & ministerium non tolleretur aut contemni posset tanquam inutile. Ad Circenses enim epistola, quæ ordine numeratur 150. loquens de tractu numinis occulto ac externo hominum ministerio, Non sunt hæc opera nostra, sed dei (inquit) non hæc humanis operibus omnino tribuerem, nec si cum apud uos essemus, tanta conuersio multitudinis nobis loquentibus & hortantibus proueniret. Hoc agit ille & efficit, qui per ministros suos rerū signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per seipsum intrinsecus docet. Hæc ille. Porrò ne cui uideretur nie

Non inane ministeriū.

Ioan. 15. et Act. 1.

2. Tim. 1.

Apoc. 1.

1. Cor. 3. & 4.

Matth. 13.

mis acciſe & parce, nec ſatis digne loquutus eſſe de miniſterio eccle ſiæ, ſubijcit mox idē ille, & ait, Nec ideo pigrius nos moueri opor tet ad uiſendos uos, quoniā quicquid in uobis laudabile eſt factū, non à nobis, ſed ab illo factum eſt, qui facit mirabilia ſolus. Multò enim alacrius debemus accurrere ad ſpectanda opera diuina quàm noſtra. Quia & nos, ſi quid boni ſumus, opus illius non hominum ſumus. Vnde apoſtolus dixit, Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat deus. Idem ſcriptor de eadem re lo quens Tractatu in Ioā. 26. Omnes regni illius homines, inquit, do cibiles dei erunt, non ab hominibus audient: etſi ab hominibus au diunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruſcat, intus re uelatur. Quid faciunt homines forinſecus annunciantes? Quid fa cio ego modo cum loquor? Strepitum uerborum ingero auribus ueſtris: niſi ergo reuelet ille qui intus eſt, quid dico, aut quid lo quor? Exterior cultor arboris, interior eſt creator. Qui plantat & qui rigat, exterius operatur: hoc facimus nos. Sed neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat deus. Hoc eſt, Erunt omnes docti à deo. Hæc Auguſt.

2. Cor. 3. Proinde cum alibi S. Paulus dicit, Eſtis epiſtola Chriſti, ſubmini niſtrata à nobis, inſcripta non atramento, ſed ſpiritu dei uiuentis, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis, &c. diligenter diſcriminare oportet inter opus ſpiritus & opus hominis uel mini ſtri. Hic non arrogat ſibi honorem dei & opus ſpiritus, ſed opus ſuum, id eſt, miniſterium. Prædicat Paulus, ſcribit atramento, ſed ſpi ritus dei commouet cor, & ſcribit in ipſum cor gratia uel unctione ſua: ita cooperatur deo, Paulo ſuū, ſpiritu quoq; ſuū opus agente. Miniſtri ſunt apoſtoli, & prædicatores euangelij, non literæ, ſed ſpi ritus: non quod ipſi dent ſpiritum ſanctum, ſed quod prædicatores ſint euangelij, id eſt, Chriſti ſpiritū conferentis, imò effundentis in credentes: non autem prædicatores literæ legis, non conferentis gra tiam & peccatorum remiſſionem, ſed operantis iram & proferen tis peccata. De clauibus & poteſtate clauium alibi erit opportunior dicendi locus. Præterea uidentur hic quoq; locum habere congruū ea quæ diſputata ſunt primo huius Decadis ſermone de poteſtate et miniſterio eccleſiæ.

Ru. ſus cum hominum utitur opera dominus in docenda eccle ſia, nobiſq; cooperarijs in perficienda ſalute, luculentiſſime oſten dit quàm amet & quanti nos faciat, qui tantum theſaurum in argil lacea deponit uaſcula, ac in nobiſipſis præſtantiſſima quæq; opera tur, ac uincit omnem mundi potentem excellentiā. Vnde iterum di

ſcimus

scimus omnem Christo tribuere gloriã, Paulo rursus docente nos, & dicente, Non nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum domi- 2. Cor. 4.
num, nos aũt seruos uestros propter Iesum. Quoniam deus est qui iussit è tenebris lucẽ illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illu minationem cognitionis gloriæ dei, in facie Iesu Christi. Habe mus autẽ thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non an xij reddimur, &c.

Præterea cõglutinantur mirifice omnia corporis ecclesiastici mẽbra ministerio ecclesiastico. Nam ad concordiam faciendam unitatemq; retinendã, hoc in primis conducit, quod mutua egemus institutione, & ecclesiæ cuiq; peculiaris & unus præsidet pastor, uelu ti fidus aliquis paterfamiliãs, uniuersam regens & conseruans familiam. Certe negari non potest, quondã totũ illum tabernaculi & templi instructissimũ cultum, & tribum Leui consecratã sacerdotio, in hunc finem esse à deo institutu: quæ simul atq; deseruisset per nephariam audaciã Ieroboam rex impius, regnũ in partes discerpsit, ac domũ suam atq; uniuersum regnũ funditus demũ euertit. Sed & S. Paulus de finibus sacri ministerij à deo instituti loquens, non tacet unitatem corporis ecclesiastici, cui & alia præclara coniungit bo *Finis ministerij.*
na. Verba eius si quis requirat, hæc sunt, Instituit ministros ad in staurationem sanctorum, in opus dispensationis, in ædificationem *Ephes. 4.*
corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatẽ fidei & agnitionis filij dei, in uirũ perfectum, in mensurã ætatis plene adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominũ, per astutiam, qua nos adoriuntur ut imponant nobis, sed ueritatem sectantes in charitate adolescamus in illũ per omnia, qui est caput, nempe Christus. Et reliqua. Perspicui sunt hi fines ministerij ecclesiastici in uerbi dei prædicatione. Instituit deus ministerium in ecclesia, ut omnia membra reducantur ad unitatem corporis, & subijciantur adhærantq; capiti Christo, ut in hoc adolescamus, euadamusq; in uiros perfectos, ne semper simus pueri, ne pateamus omniũ imposturis & hæreticorum fascinationibus, sed in uera fide & charitate cõglutinati ueritatẽ retineamus Christianã, puram & simplicẽ, Christoq; seruientes syncere in hoc sæculo, mortui regnemus cũ ipso in cœlis.

Ex his illud quoq; deriuamus, ministeriũ ecclesiasticum, licet ad- *Origo ministerij, & dignitas.*
ministretur ab hominibus, humanũ tamen, id est ab hominibus inuentum, non esse. Origo enim eius è cœlo est, ac authorem seu institutorem habet ipsum deum: ideoq; dignitas eius maxime excellit.

Primus concionator in paradyso fuit ipse deus, imò ipse dei filius, qui intercedente spiritu sancto semper locutus est patribus, sicuti & incarnatus postea toti mundo à patre magister & doctor datus est. Hic Adæ & Euæ parentibus nostris prædicauit peccatorũ remissionem & pœnitentiã, instituit & reuelauit sacrificium sacramenti uice, in quo repræsentaretur ac obsignaretur ipsis pretium redemptionis per semen promissum, aliquando exoluendum, &c. Successit in ministerio Adam cum filijs & nepotibus Seth, Enos, Enoch, Noẽ, Sem, Abraham cum suis filijs & nepotibus, usq; ad Mosen: quo gubernante ecclesiã & post ipsum dati sunt prophetæ & sacerdotes ad tempora usq; Ioan. Baptistę & Iesu seminis promissi, Christi inquã, regis & põtificis nostri. Hic rursus misit in mundũ discipulos suos, apostolos uidelicet, qui successores ordinarunt episcopos & doctores. De qua re aliàs dictum est prolixius. Deus ergo ipse auditur in uoce uel doctrina ministrorũ suorum. Vnde & iubemur ministros euangeliũ prędicãtes tanquã ipsos dei angelos, adeoq; ueluti ipsum dominũ audire. Laudantur enim Galatę hoc nomine, Paulo dicẽte, Non respuistis infirmitatẽ meam in carne, sed me ueluti angelum suscepistis, uelut Christũ Iesum. Vnde & S. Augustꝰ Tract. in Ioan. 5. Nos audiamus, inquit, euangelium tanquã præsentem dominũ, nec dicamus, O felices qui illum audire potuerunt. Quia multi in eis qui uiderunt & etiã occiderunt, multi etiam in nobis qui non uiderunt, & tamen crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore domini, & propter nos scriptũ est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, donec sæculũ finiatur. Sursum est dominus, sed etiam hic est ueritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit, uno loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est. Dominũ ergo audiamus & quod ipse donauerit de uerbis eius. Hæc Augustꝰ. Loquitur ergo nobis etiam hodie dominus noster pontifex summus per ministros uerbũ ipsius prædicantes. Imò habemus omnia quæcunq; locutus est deus per patriarchas, prophetas & apostolos in sacris literis exposita, quæ nobis prælegunt & enarrant ecclesiarum ministri. Quis ergo spernat posthac ministeriũ ac ministros Christi fideles, in primis cum ipse dominus & seruator noster ministeriũ subierit, ac factus sit apostolus & minister ecclesiæ Iudaicæ? Quid quod primi illi ministri tales fuerunt, ut nulla sæcula, nulla religionis doctrina, sanctimonia & excellẽtia, habuerint pares, nedũ supiores. Hodie quia sunt extrema tẽpora, in quibus illusores & Epicurei late imperitãt, uile est uerbi dei ministeriũ. Verũ si oĩa sæcula ad exordium usq; mũdi percurras & ex-

Galat. 4.

Quomodo audiendi ministri.

Rom. 15. Hebr. 3.

& excutias, inuenies sapientissimos, iustissimos & optimos in toto orbe homines nihil antiquius habuisse uerbo dei et prophetis ac apostolis dei sanctis.

Priusquam uero ad alia huius negotij progrediamur, respondebimus nonnullis etiam sanctarum scripturarum prætextu ministerium uerbi subuertere annitentibus. Nam citãt illud Ieremiæ, Non docebit quisq; proximum suum: omnes enim cognoscent me, Nos autem non negamus Ieremiam sic scriptum reliquisse: sed addimus eo loquutionis genere, & dicendi figura aliud nihil insinuasse, quã maxime uulgarem fore in uniuerso mũdo dei & rerum diuinarum cognitionem. Id quod & Ioel futurũ prædixit, quod & Petrus adduxit in Actis cap. 2. Interim duo illi prophetæ, sicuti & alij omnes perfrequenter mentionem faciunt doctorum ecclesiæ, quos dominus missurus sit populo suo: quod non fecissent, si intellexissent omnes è medio prædicatores fore tollendos. Quod alij obijciunt omnibus ex æquo docendi officium esse impositum, uidelicet ut parentes liberos suos erudiãt & quisq; proximum suum admoneat: ergo nihil opus esse uerbi dei ministerio in ecclesia, sophisticum est. Priuatim enim omnes docere & admonere possumus ac debemus liberos & proximos nostros: sed ideo superuacaneum non est publicum uerbi dei ministerium. Idem enim deus qui præcepit parentibus & nobis omnibus, ut illi liberos in pietate instituant, nos autem omnes proximos nostros doceamus & admoneamus, ministros publicos ecclesiæ dedit. Horum est palãm seu publice docere in ecclesia, nec hoc permissum est quibusliber, sed tantum legitime ordinatis: nisi forte docentes, non recta ingrediãtur. Tũc enim cuilibet spiritu dei instructo, licet suo loco, tempore, & sobrie contradicere, ueritatemq; asserere. Manet ergo nihilo minus & quidem perpetuo in ecclesia publicum uerbi ministerium.

Ministeriũ uerbi dei manere in ecclesia.

Ier. 31.

Quomodo omnes possint docere.

Deut. 6.

Hæc in genere diximus de ministerio et ministris uerbi dei, porrò per species atq; partes, quod reliquum huius est negotij, excutiemus, ac principio indicabimus quos ordines, aut quæ munia ipse dominus ab initio instituerit, uel quosnam ministerio ecclesiq; sacro præfecerit: deinde quales & quomodo nobis ministros conueniat ordinare: postremo quale nam sit ordinatorum ecclesiæ officium. Et ne longe repetito exordio iam inde à patriarchis deducto, uobis molesti simus, ab ipso domino nostro Christo exordiemur: de quo loquens Paulus apostolus, Qui descendit, inquit, idem ille est qui ascẽdit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et idem dedit, alios quidem apostolos, alios uero prophetas, alios autem euangelistas,

Quos ordines in ecclesia instituerit dominus.

alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus dispensationis, in ædificationem corporis Christi. Et reliqua, quę leguntur ad Ephes. cap. 4. Ergo dominus noster ordinauit apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores, quorum opera ecclesiam & ædificare & conseruare atq; gubernare instituit.

Apostoli. Videamus iam quid scriptura de illis nos doceat. Apostolus nouum est uocabulum, ab ipso domino duodecim illis inditum, quos ipse peculiariter elegerat, destinaratq; nationibus doctores ac magistros. Nam Lucæ 6. sic legimus, Dominus uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit. Significat autem Apostolus missum, nuncium, legatum uel oratorem. *Ioan. 13.* Nam in euangelio secundum Ioannem legimus, Non est apostolus maior eo qui misit ipsum. Et missionis quidem perfrequens est mentio in prophetis, & in antiqua historia: unde uidetur dominus id uocabuli mutuasse. Apostolis nulli certi fines dati leguntur. *Marci 16.* Dicit enim dominus in euangelio, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Hi sunt primæ dei ecclesiæ architecti, à quibus apud ueteres nomen acceperunt Apostolicæ ecclesiæ, illæ inquam, quas primum fundarunt apostoli: qualis Antiochia fuit, Ephesus, Corinthus, & aliæ multæ, quarum mentio fit in Actis apostolorum.

Prophetæ. Prophetę uocabulum patet latissime. De qua re dictum est aliàs. Prophetæ in præsenti sunt qui singulari excellunt reuelatione, ac per quos futura ecclesiæ prędicit dominus: qualis fuisse legitur Agabus ille, qui & futuram famem, & uincula S. Paulo prædixit. *Acto. 11. & 21.* Dicebantur quondam prophetæ uiri sapientes & diuini, singulari dono scripturæ interpretandæ prædita: sicut claret ex uerbis apostoli 1. Cor. 14. cap.

Euāgelistæ Euangelista, est euangelij Iesu Christi prædicator cum apostolica missus authoritate. Talem fuisse legimus Philippum & Timotheum. &c.

Pastores. Pastores gregi dominico inuigilant, curā gerentes populi dei, pascentes ecclesiam uerbo ueritatis, luposq; ab ouilibus depellētes. *Ioan. 10. & 21.* Horum princeps est bonus ille pastor Christus, ad Petrum dicens, Pasce oues meas. Vnde is se quoq; aggregat pastoribus.

Doctores. Doctores nomen habent à docendo. Nec uideo quid differant à pastoribus, nisi illi docuerint duntaxat, & cura interim pastorali non fuerint onerati: quales ferè sunt interpretes scripturarum, & moderatores scholarum Christianarum.

Episcopi. Occurrūt & alia in scripturis gubernatorum ecclesiæ uocabula. Ad Pastores in concilio Miletano collectos dicit apostolus Paulus,

Atten-

Attendite uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit *Act. 20.*
episcopos ad pascendū ecclesiā dei. Appellātur aūt episcopi superintendentes, speculatores, custodes, uigiles & præfecti. Athenienses quos ad stipēdiarias subditasq; urbes mitterēt, ut quid in quaq; agerētur diligēter inspicerēt obseruarentq;, episcopos dixere ac *φύλακας*. Apostoli episcopos appellarūt uigiles & custodes gregis dominici, ac œconomos Christi, uel dispensatores mysteriorū dei in ecclesia. Porrò Presbyter ab ætate uel senio nomen habet. Olim senioribus, *Presbyteri* utpote multijuga experientia, diutinoq; rerum usu exercitatis, committebatur cura reipub. Gubernatores enim urbium & seniores & senatores nuncupati sunt. Sicut autem respublicæ habēt suos senatores, ita ecclesia habet suos presbyteros: quemadmodum claret in Actis cap. 14. 15. 20. & 21. Videtur autem constitutio presbyterorum ex synagoga defluxisse in ecclesiā. Etenim ita legimus in libro Numerorum, Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi & præfecti eius sint: & segregabo de spiritu tuo, & ponam super eos, & portabūt tecum onus populi, ne tu solus ferre cogaris. Proinde Presbyteri in ecclesia Christi uel episcopi sūt, uel alioq prudētes & docti homines, episcopis additi, quo onus impositū episcopi portent facilius, & melius cōmodiusq; regatur ecclesia dei. Nam Paulus, Qui bene præsunt presbyteri, inquit, duplici honore digni habeantur: maxime illi qui laborant sermone & doctrina. Erant ergo alij quidam in munere ecclesiastico, qui tametsi non docerēt continue sicut episcopi, docentibus tamen aderant in omnibus negotijs. Fortassis appellantur alicubi ab eodē apostolo Gubernatores, præfecti uidelicet disciplinæ & alijs ecclesiæ negotijs. *Numeri 11.* *1. Cor. 12.*

Et quoniam huc præsenti dissertatione sumus delati, explicabimus & alia functionis ecclesiasticæ uocabula. Multus fit in sacris Diaconorum sermo, & apud scriptores ecclesiasticos Sacerdotum. Diaconis commendata erat in primitiua ecclesia pauperum cura. *Diaconi.* Sicuti clare colligitur ex 6. cap. Actuum apostolorum. Extant præterea leges his præscriptæ ab apostolo in priore ad Timoth. epistola cap. 3. Diaconorum functio segregata erat à munere pastorum: iccirco non recensemus eos in ordine pastorum. Veteres ad ministerium non sacerdotium retulerunt. Iam & mulieres, non maritatæ, *Diaconissæ* sed uiduæ leguntur primitiuæ ministrasse ecclesiæ. Inter alias famigerata extitit Phœbe illa Cenchreeñ. apostoli celebrata encomio. *Rom. 16.* At hic uetat mulieres docere in ecclesia & publica obire munia. *1. Cor. 14.* Quomodo ergo aut qua in re ministrarūt mulieres ecclesiæ? Haud *1. Tim. 2.*

dubie pauperibus officijs inseruierunt muliebribus. Ministrarunt ægrotantibus, & cum Martha Christi hospita, Christi membra summa fide & diligentia fouerunt. Quæ enim alioqui officia obire potuerunt?

Sacerdotes. Porrò Sacerdotis uocabulum uidetur ex synagoga deriuatum esse in ecclesiam. Alioqui enim non reperias in nouo testamento uerbi dei ecclesiarumq; ministros appellari sacerdotes, nisi ea ratione qua omnes Christiani sacerdotes esse dicuntur ab apostolo Petro. Apparet autem noui testamenti ministros ob similitudinem quandam, quam cum ueteris testamenti ministris habent, dictos esse sacerdotes ab ecclesiasticis scriptoribus. Sicuti enim isti suo cultu tabernaculo inseruierunt: ita hi quoq; suo modo & sua ratione dei ecclesiæ ministrant. Alioqui ipsa uox Latina est deriuata à sacris: & significat ministrum sacrorum, hominem inquam deo dicatum & consecratum ad facienda sacra. Sacra autem sunt non tantum sacrificia, sed quæcunq; ueniunt sub religionis censum, unde non excludimus ipsas leges et doctrinam sanctam. In historia ueteri legimus filios Dauidis dictos esse sacerdotes, non quod ministri essent sacrorum. (Non enim licebat de tribu Iuda descendentibus inseruire tabernaculo: sed Leuitis duntaxat) uerum quod sub magisterio & disciplina sacerdotum uiuentes, bonas artes & sanctam theologiam discerent.

6. Pet. 2.

2. Sam. 8

Communicatio fit inter illas uoces. Hic minime dissimulandum uidetur, quod inter uocabula illa enumerata frequens fit in scripturis communicatio. Petrus enim Christi domini apostolus semetipsum appellat presbyterum. Idem in Actis apostolorum, apostolatum uocat episcopatum. Nam & S. Paulus Miletum conuocans presbyteros, & cum his ipsis colloquens, episcopos esse dicit. Et in epistola ad Titum mandat oppidatim constituere presbyteros, quos protinus nuncupat episcopos. Eosdem & doctores & pastores appellari, nemo tam crassus est, ut neget.

Qualis ordo manserit in ecclesia. Ex his autem omnibus constare puto, quos ab initio ordines ipse dominus instituerit, & quos ecclesiæ ministerio sacro ad gubernandam ecclesiam suam consecrauerit. Fundauit ecclesiam ab initio per apostolos, euangelistas & prophetas, eandem prouexit & conseruauit per pastores doctoresq;. His adminiculo fuere presbyteri atq; diaconi. Hi quidem in curandis pauperibus. Illi uero in doctrina, in disciplina & in alijs grauioribus ecclesiæ negotijs sustinendis administrandisq;. Apparet tamen ordinem apostolicum, adde & euangelisticum & propheticum ab initio ecclesiæ à domino ad

tempus

tempus, pro ratione rei, personarum & locorum, fuisse institutum. Nam sæculis iam multis, & mox à fundato Christi regno in terris desierunt apostoli, euangelistæ & prophetæ, subierunt autem in locum eorum episcopi, pastores, doctores atque presbyteri: quorum ordo in ecclesia constantissime perdurauit: ut iam nihil dubitare possimus plenum ecclesiæ ordinem, & absolutam fore gubernationem, si hodie quoque maneant in ecclesia dei episcopi siue pastores, doctores item siue presbyteri. Interim uero non diffitemur ab apostolorum morte sæpius excitatos esse à deo apostolos, qui gentibus barbaris & impijs euangelium prædicarent: fatemur deum etiam hodie excitare posse apostolos, euangelistas, & prophetas, quorum opera utatur ad salutem hominum. Agnoscimus enim apostolos & euangelistas appellari posse uiros sanctos & fideles, qui primum ueritatem euangelicam prædicant infideli alicui populo. Agnoscimus uiros singulari afflatos gratia spiritus futura præuidentes atque prædicentes, excellentesq; scripturarum interpretes uel theologos illuminatos, appellari posse prophetas. Sicuti & aliàs copiosius ostendi.

Aequalitas inter episcopos & presbyteros.

Cæterum in ordine episcoporum atq; presbyterorum ab initio summa fuit humilitas, charitas atq; concordia, nulla lis aut concertatio de prærogatiua aut titulis dignitatibusue. Omnes enim agnoscebant se esse unius domini ministros, coæquales per omnia in munere. Inæquales faciebat, non in munere, sed in donis, donorum excellentia. Interim tamen excellentiora consecuti non aspernabantur mediocres, nec; hi illis sua inuidebant dona. S. Paulus, Sic nos homo æstimet, inquit, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Idem prædicationem euangelicam non uno loco appellat ministerium. Altissimis nimirum fixum radicibus inhærebat antiquis illis episcopis, quod dominus contendentibus discipulis de excellentia, &, ut aiunt, de maioritate, producto in medium ipsorum puello dixit, Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Certe S. dei martyr Cyprianus in Synodo episcorum Carthagini stans, diserris uerbis dixit, Neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit: quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum iudicare: sed expectemus uniuersi iudicium domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in

1. Cor. 4.

Matth. 18.

ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Tantum ille. Illo ergo tempore contenderunt episcopi non de primatu aut patrimonio Petri, nescio quo, sed ut doctrinæ puritate & sanctimonia uitæ alter alteri præluceret, adde & mutuam sibi inuicem operam conferrent. At tunc quidem feliciter procedebant res ecclesiæ, ita ut quamuis potentissimi orbis principes, Christi ecclesiam ferro & igni persequerentur, hæc tamen nihilo minus aduersus omnes sathanæ & mundi assultus immota subsisteret uictrix, sed & in diē redderetur & auctior & illustrior. O felices nos, si ordo pastoralis non fuisset immutatus, sed auita illa ministrorum simplicitas, fides, humilitas & diligentia permansisset incorrupta.

Prærogatiua episcoporū quando cœperit & quomodo.

At processu temporis omnia synceritatis, humilitatis, & simplicitatis antiquæ euanuerunt, dum alia quidem inuertuntur, alia uel sponte obsolescunt uel arte abrogantur, alia adijciuntur. Certe non ita multis post mortem apostolorum sæculis uisa est in ecclesia longe alia hierarchia, quàm fuerat ab initio. Quamuis principia illa uideantur tolerabiliora fuisse, quàm sint hodie istius ordinis omnia. S. Hierony. Quondam, inquit, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur, postea decretum est, ut unus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Hæc ille. In qualibet itaq; urbe & regione præstantissimus quisq; cæteris præponebatur. Eius functio erat superintendere presbyteris & uniuerso gregi. Non habebat (quod modo ex S. Cypriani uerbis intelleximus) in collegas uel presbyteros dominium: sed sicut Consul in senatu partes habet interrogandi colligendiq; suffragia, leges item & iura tuendi, ac curandi ne subnascantur inter senatores factiones: ita non aliud in ecclesia episcopo officium fuit: per cætera communia omnia habuit cum sacerdotibus. Nisi uero longius processissent consequentibus temporibus sacerdotum audacia, & episcoporum ambitio, ne uerbo quidem reclamaremus. Commemorat autem beatus Hieronymus illam prælaturam episcoporum, non diuina, sed humana esse exortam ordinatione. Hæc commemorauimus, inquit, ut ostenderemus apud ueteres eosdem esse episcopos, quos & presbyteros: paulatim uero, ut dissensionum plantaria euellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita episcopi se nouerint magis cōsuetudine quàm dispositionis dominicæ ueritate presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesias regere, imitantes Mosen, qui

qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuagin ta elegit, cum quibus populum iudicaret. Hæc ille in Comment. ad epiſtolam Pauli ad Titum ;.

At ne in his quidem ſubſtiterunt uetereres. Deſignati ſunt etiam Patriarchæ Antiochiæ, Alexandriæ, Conſtantinopoli & Romæ. Deſignati ſunt archiepiſcopi, uel metropolitani, præſides uideli cet epiſcoporum per prouincias. Ac epiſcopis urbanis uel inferiori bus additi ſunt Chorepiſcopi, quando uidelicet latior erat ager aut regio, quàm ſufficeret urbani epiſcopi cura ac inſpectio. Addeban tur enim ceu uicarij ac ſuffraganei, qui munia epiſcopi per regio nem obirent. At longe aliam functionem ſæculis aliquot hiſce po ſtremis ſuffraganeorum uel uicariorum in epiſcoporum curijs & diocœſibus fuiſſe nouimus. Sed & Diaconis ſubditi ſunt Hypodia coni: & cum opes augerentur, creati ſunt etiam Archidiaconi, om nium uidelicet bonorum eccleſiaſticorum curatores. Hi nondum miſcebantur ſacerdotum aut epiſcoporum docentium q; ordini, ſed œconomi uel procuratores manebant opum eccleſiaſticarũ. Sicuti ne monachi quidem ab initio ſacerdotio eccleſiæ úe miniſterio fun gebantur. Pro laicis enim non clericis habiti, paſtorum curæ erant ſubiecti. At non quieuerunt inauſpicatæ illæ aues, donec poſtremis illis ſæculis in ſummum euolarunt templi faſtigium, capitibus q; epiſcoporum ac paſtorum inſederunt. Monachi enim fuerunt ac ſunt & pontifices, & archiepiſcopi, & epiſcopi, & quid non? Cita tur ex Regiſtro Gregorij, quod is qui tamen monachis admodum propitius fuit, eum ſe noluerit clericatu abdicare, qui ſuſcepiſſet of ficium abbatis, quod alterum impediat alterum.

Epiſcoporum dignitas & prærogatiua creuit.

Monachi.

Iam uero Clerici (qui ſunt de ſorte & hæreditas domini, uel quo rum ſors eſt dominus) appellabantur quondam ſtudioſi & candi dati theologiæ, ſeminarium uidelicet paſtorum eccleſiæ, & ſucceſ ſioni in miniſterio eccleſiaſtico ueluti conſecrati: qui uidelicet in di ſciplina uiuebant, & ſub doctorum atq; presbyterorum magiſterio bonas artes & ſanctas literas diſcebant. Vetus eſt illa non noua nec hominum inſtitutio. Quondam enim in populo ueteri Nazarei uo cabantur. Sed & ſcholas illuſtres ſemper habuiſſe præſtantiores ec cleſias, iam inde ab apoſtolorum tempore, locuples teſtis eſt Euſe bius. Studioſis autem illis, rebus eccleſiæ iam aliquo uſq; progreſ ſis, uidetur mandata cura aperiendi & claudendi templi, parandi omnia in templo, prælegendi denig; loca ſanctæ ſcripturæ in po pulo, quæ indicaſſet epiſcopus. Vnde fortaſſis exorta ſunt uocabu la Oſtiariorum & Lectorum, quæ commemorantur hodie inter or

Clerici.

Horũ mentio fit in Carthagi nen. Conc.

dines ecclesiasticos. Qui uero episcopis aderant familiarius, eosq; comitabantur, ac habebantur pro ijs qui episcopis decedentibus succedere possent, appellabantur Acoluthi, quasi tu dicas Consequentes. Est enim uocabulum Græcum. Vt autem tempore omnia ferè deteriora fiunt, ita & hæc lõgius à prima institutione turpiter deflexa sunt. In quibusdam nihil uideas relictum præter inane nomen: quædam penitus amissa, quædam conuersa sunt in usum prorsus alium. Testes hic cito Isidorum, Rabanum, Innocentium, Durandum, & huius generis scriptores alios. Faciunt ecclesiasticarum personarum duo genera: aliud quidem dignitatis, aliud ordinis. Dignitatis, ut Papa, Patriarcha, Primas. Archiepiscopus, Archipresbyter, Archidiaconus, Præpositus. Ordinis, ut presbyter uel sacerdos, diaconus, &c. Ordines uero numerãt alij sex, alij octo. Omnes concorditer recensent Ostiarios uel Ianitores, Lectores uel Psalmistas, Exorcistas, Acolythos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros uel Sacerdotes. Hos deinde distinguunt in maiores & minores ordines. Inter maiores sunt Sacerdos siue presbyter, diaconus & subdiaconus. Reliqui appellãtur minores. Ex quibus ferè nihil superest præter inane nomen. Ianitorum officium deuolutum est ad ædituos, quos uocant Sacristas. Lectores nulli sunt. Lectio enim antiqua illa obsoleuit. Psalmistæ nihil minus quàm quod recitant aut canunt intelligunt. De Exorcistis hæc commemorant. Referi Iosephus regem Solomonem modos exorcismi, id est coniurationis, inuenisse, quibus immundi spiritus ab homine obsesso, per Eleazarum exorcistam pellebantur, ita ut reuerti ulterius non auderẽt. Huic officio nũcupati Exorcistæ uocati sunt. De quibus in euangelio legitur, Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri, exorcistæ uidelicet, in quo eijciunt? Hæc illi: quæ in hoc cõmemoro, ut omnibus appareat istos homines, illos ipsos esse de quibus apostolus prædixit, fore ut sanam doctrinam non sustineant, sed conuertantur ad fabulas. Quis enim nesciat fabulosissimum esse quod de Solomone refertur? Quis nesciat apostolos domini non fuisse exorcistas, nec ullis unquam usos excantationum aut coniurationum modis? Nam spiritus immundos eiecerunt uerbo, id est inuocatione & uirtute nominis Christi. Ea gratia cessauit iamdudum in ecclesia dei. Exorcistæ fuisse dicuntur in Actis apostolorum filij illi Sceuæ sacerdotis, quos dæmon malus, etiam Iesu & Pauli nomina uocantes, inuadit, discerpit, & ita uolente deo omnibus patefacit quàm placeant æterno numini exorcistæ. Et hos tamen isti nobis obtrudunt adhuc. De Acolythis uero (sic illi scribunt) audite

Corruptio omnis uetustatis.

Ordines minores & maiores.

Exorcistæ.

Matth. 12.

2. Tim. 4.

Act. 19.

dite obsecro, quàm eleganter disserant. Acolythi cæroferarij sunt, inquiunt, à deportandis cæreis. Quando enim legendum est euangelium aut sacrificandum, accendũtur cærei ad significandam animi lætitiam. Quis hæc audiens dicat istos parum erudite nulla tractare mysteria? Subdiaconi & Diaconi non iam amplius sunt pauperum curatores, sed facti ministri superstitionis, Missæ seruiunt papisticæ. Huius partes sunt euangeliũ, illius uero epistolam accinere. Paucis non possum comprehendere, quæ de his ineptissime ineptissimi homines cornicãtur. His imposuere Archidiaconum, quod dignitatis & eminentiæ uocabulum est.

Sacerdotes qui & presbyteri uocantur, distinguũtur uariæ. Sunt enim sacerdotes Religiosi & Sæculares. Per Religiosos monachos intelligũt: cum hi nihil minus sint, quàm quod esse dicuntur. Certè ueteres monachos nulla sui parte referunt. Bona pars istorum sibi ipsis regula sunt & lex. Ex his alij doctores sunt, destinati quidem prædicationis muneri, sed magis tamen horis dicendis, aut canendis, & missis celebrandis. Atq; hi superstitionem serunt & tuentur pertinacissime, & ueram religionem persequuntur acerrime. Alij & potior quidem monasticorum sacerdotum turba nihil aliud quàm canit in templis & missat, idq; uilissimo pretio. Libycas enim harenas citius numeraueris, quàm istos. Sed et deo, & ecclesiæ, deniq; sibi ipsis sunt inutiles, homines planè indocti, ac uentres pigri, implacabiles interim euangelicæ ueritatis hostes. *Sacerdotes Papistici religiosi.*

Inter Sæculares sacerdotes primas tenent Canonici, qui ferè sunt homines otiosi, uoluptuarij, epulones, ac reuera sæculares. Hi existimant se suo functos esse officio, si Horas quas Canonicas uocant, absoluant, & spectatores missæ assistant, cultumq; diuinum (ut uocant) sua honorent ornentq; præsentia. Seueriores & minime sæculares esse uidentur, qui etiam missas pro uiuis & defunctis celebrant. Numerantur in sæcularium sacerdotum turba & Parochi, quos Plebanos nuncupant, nimirum plebi destinatos sacerdotes, qui soli umbram aliquam ueteris instituti referũt, in hoc, quod prædicant & sacramenta administrant: quæ tamen ipsa probare non queas, quod hæc iuxta traditiones papisticas, non secundum doctrinam apostolicam administrent. Plurima & alia ex suo faciunt officio, quæ pietas modis omnibus improbat. Adduntur istis Mercenarij, Adiutores uel Vicarij. Accedunt his & Sacellani, quos Capellanos uocant, quorum immensus est numerus. Hi sicut & monastici sacerdotes potissimas officij sui partes collocant in recitandis horis, præcipuc autem in missando, doctrinæ nihil tribuunt. Ex hoc enim *Sacerdote Papistici sæculares.*

grege inuenias, qui omni ſua uita nunquam ſint concionati. Nam concionandi munus ad ſolos parochos & uicarios eorum reijciũt, ipſi Dijs, quibus ara uel ſacellũ eorum conſecratũ eſt, ſeruiunt &c. Ex quibus omnibus uel cæcis apparet luculentiſſime, quàm fœde corrupta & inuerſa ſit presbyterorum uel paſtorum prima inſtitutio. Presbyteris archipresbyteros præficiunt. Eo uocabulo uſus ſum in præliminari epiſtola decadis primę: ac audio fratres aliquos eo eſſe offenſos, quaſi papiſtici fermenti aliquid adhuc apud nos hę reat, quaſi dignitatis indignæ aliquid in eccleſiam reducere cogitemus. Verum ſecuros iubeo eſſe fratres illos. Nulli ſunt apud nos archipresbyteri papiſtici: nec dignitatem ullam Papæ eo uocabulo intellixi, ſed munus inſpectionis, quod uiſitationis alij nuncupãt. Curam enim hi gerunt omnium in agro noſtro claſſium, in admonendo & corrigendo: nullam gerunt prælaturam, nulla inde conſequuntur præmia &c.

Archipreſbyteri.

Sed redimus ad noſtrum inſtitutum. Presbyteros uel ſacerdotes deriuant à LXX. diſcipulis, quos dominus in euangelio elegiſſe legitur, epiſcopalem ordinem ab ipſo Petro & reliquis apoſtolis. Et ordinem epiſcoporum mox diſtinguunt in tres partes. Numerant enim Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos. Patriarchas intelligunt patres principum ſeu ſummos patres. Eoſdem & Primates nuncupant. Ac Primates, inquiunt, tribus archiepiſcopis præſunt, ſicut & rex tribus præſidet ducibus. Hic locum habent opinor Cardinales, in quibus eccleſia Romana ceu in cardinibus ianua uoluitur. Nam in Decretal. Greg. de officio archipr. ſic legitur, Cardinales dicũtur à cardine: quia ſicut in cardine regitur oſtium, ita per cardinales regitur uniuerſalis eccleſia. Archiepiſcopi ſunt ueluti principes epiſcoporum: Metropolitani quoq; cognominati, quod præſideant in urbibus primarijs. Reuera metropolis ueluti matrix quædam urbs dicitur Græcis, ex qua coloniæ deductæ. Vnde metropolitanus epiſcopus nominatur, qui prouinciæ alicui præeſt, alioſq; ſibi ſubiectos habet epiſcopos. Hi uero & pontifices & antiſtites & prę ſules appellantur. Si uero hæc omnia conferas cum ijs quæ antea dixi de primitiuæ eccleſiæ epiſcopis & gubernatoribus, diuerſiſſima inter ſe eſſe dices.

Epiſcoporũ genera.

Illud uero quod de Papa ſeu ſummo pontifice tradunt, à ſcriptura euangelica apoſtolicaq;, & à prima miniſtrorum ordinatione ab ipſo ſaluatore noſtro facta, quàm alieniſſimum eſt. Illos omnes, inquiunt, dignitate & poteſtate antecellit ſanctiſſimus dominus noſter Papa: qui Papa, id eſt pater patrum, uocatur: et Vniuerſalis, quia

Papa uel ſummus pontifex.

uniuerſæ

uniuersæ ecclesiæ princeps est: & Apostolicus, quia principis apostolorum uice fungitur, & summus pontifex. Hic est enim Melchizedek, cuius sacerdotium non est cæteris comparatum: quia ipse est caput omnium pontificum: à quo illi tãquam à capite membra descendunt: & de cuius potestate omnes accipiunt, quos ipse uocat in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Definiunt ergo Papam, esse summum in terris ecclesiæ caput, & uniuersalem totius orbis pastorem unicum, qui errare non possit, neq; ab ullo homine iudicari debeat. Ipsum enim iudicem esse omnium cum potestate plenaria. Nam Innocentius Papa 9. quæst. 3. Neq; ab Augusto, inquit, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. In quem locum Glossarius sic scribit, Concilium non potest Papam iudicare: ut Extrau. de Elect. Significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, uideretur quod sententiæ Papæ standum sit. Huc pertinẽt uulgata illa iurispe ritorum parasitastrorum Papæ axiomata in Curia admodum plausibilia & authentica, Omnes leges pontificis perinde ut ipsius Petri ore profectas, esse recipiendas ab omnibus. Maiorem esse authoritatem Papæ quàm sanctorum, Papam esse omnia & super omnia. Dei & Papæ esse unum consistorium. Id quod Hostiẽs. affirmat in C. Quanto de Transl. præl. A nemine cogi Papam, etiamsi dicatur hæreticus. Apud ipsum esse supremam potestatem, nec habere parem. Ibi uniuersalem esse synodum, ubi sit Papa. Habere illum omnia iura in pectore. Habere utrunq; gladium: unde recte dici Imperatorem, imò imperatore esse maiorem. Solum deponere imperatorem: & sententiam imperatoris declarare nullam. Solius esse parcere cui uelit, ius item unius auferre & alteri conferre, deniq; priuilegia auferre. Breuiter, Dominus est, inquiunt, dominantium, & habet ius regis regum in subditos, et plenitudinem potestatis etiam in temporalibus in terris. Sed & totus mundus est Papæ diocœsis, in qua ipse est ordinarius cunctorum: estq; de necessitate salutis omnem hominem subesse Romano pontifici. His corrollarij uice adijciam Glossatoris uerba, qui in Ca. Quanto de Transl. episcopi Tit. 7. Papa, ait, dicitur habere cœleste arbitrium: & ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alteri. Et de nihilo potest aliquid facere: & sententiam quæ nulla est aliquam facere. Quia in his ei quæ uult est pro ratione uoluntas. Nec est qui ei dicat, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, & de iniustitia facere iustitiam corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. Hæc ille.

Lege Anton. de Rosellis in Tract. de pot. Papæ et Imper.

Quis autem ista absq; totius & corporis & animi horrore audiat? Dan. 7.8. Quis non intelligat illud Danielis impletum esse? Putabit se tempora & leges mutare posse. Quis non intelligat illud quoq; Pauli Actor. 20. impletum esse, dicentis, Ego noui hoc, quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi Et ex uobis ipsis exorientur uiri loquētes peruersa, ut abducant discipulos post se. Ex episcopis enim et promouētibus episcopos prodijt hic homo peccati, qui se collocat in sedem agni, eaq; sibi usurpat quæ unicè agni propria sunt, quale est summum in ecclesia magisterium, sacerdotium, dominium, ac potestas plenaria. De quibus satis dixi in superioribus. Quis iam non tangat illud Pauli esse impletum? Reuelabitur aduersarius uel Christi æmulus, & efferetur aduersus omnem qui dicitur deus aut numen: adeo ut ipse in tēplo dei ceu deus sedeat, ostentans seipsum esse deum.

An utile sit & necessarium unum aliquē præeminere episcopis?

Porrò disputant Papę satellites, ère & ex salute imò necessarium esse ecclesiæ ut unus aliquis episcoporum & dignitate & potestate præemineat. Disputent autem & ornent hoc suum idolum ut libet: qui ueritatem simpliciter fateri uolent, ingenue confitebuntur Papam esse antichristum. Quod enim isti garriunt de primatu Papæ, doctrinæ euangelicæ & apostolicæ ex diametro repugnat. Quid enim euidentius cōtra illorum disputationes proferri potest, quàm Lucæ 22. quod dominus dixit ad discipulos de primatu contendētes, Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor: & qui dux est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum ut qui ministrat. Hunc locum adduxi & excussi obiter etiam proximo Sermone. Hæc ueritas simplex & perspicua perstabit inuicta aduersus omnes istarum harpyarū disputationes. 2. Cor. 1. 2. Pet. 5. Sanctissimi apostoli domini nostri Iesu Christi nolunt cuiquā dominari prætextu fidei, imò S. Petrus disertis uerbis prohibet dominium in hæreditatem Christi, iubet autem episcopos exemplaria esse gregis.

Petrus apostolorum princeps.

Quod obijciunt Christum sancto Petro dixisse, Tu es Petrus: & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Et reliqua. Item, Pasce oues meas: ideoq; sanctum Petrum designatum fuisse omnium apostolorū, & in his omnium sacerdotum presbyterorum episcoporumq; apicem seu principem, adeoq; totius orbis monarcham, nihil prorsus facit ad dominationem eorum stabiliendam. Libenter concedimus S. Petrum esse apostolorum

ſtolorum principem, libenter ipſi quoque appellamus beatum Petrum apoſtolorum principem, ſed eo ſenſu quo appellamus Moſen, Dauidem, Heliam uel Iſaiam prophetarum principes, nimirum præſtantiora cæteris dona conſecutos. At principem fuiſſe Petrum ea ratione qua iſti uolunt, negamus & pernegamus conſtantiſſime. Simul autem tuemur S. Petrum, & repurgamus ab aſperginibus, quibus iſti uel mortuum contaminare contendunt. Non permanſiſſet domino ſuo fidelis, ſi imperium aut dominium ad ſe rapuiſſet. Par autem ubiq; Petrus alijs diſcipulis, nullibi in ſacris eorum dominus fuiſſe legitur. Et S. Paulus in principio epiſtolæ ad Galatas multis oſtendit in apoſtolatu ſe nihilo inferiorem eſſe Petro. Neque dum Hieroſolymam uenit, ea de cauſſa uenit, ut pedes oſcularetur, aut ſubiectionem profiteretur, ſed ut ex congreſſu & collatione amica omnes in omnibus eccleſijs intelligerent inter Petrum & Paulum in dogmatibus ſummum eſſe conſenſum & parem apoſtolatũ. Ibidem Iacobum, Petrum, & Ioannem, columnas appellat Paulus, non uni Petro id prærogatiuæ tribuit: quod tamen feciſſet meritò, ſi primatum, ut iſti aſſeuerant, accepiſſet à domino. Quid quod ipſe Petrus nihil ſuo agit arbitrio, ſed negotia eccleſiaſtica ad reliquos diſcipulos, ueluti collegas, refert? Id quod in Actis apoſtolorum uidere licet. Alibi ſe appellat compresbyterum, non principem ſacerdotum. Miſſus ab apoſtolis cum Ioanne in Samariam, non poſtulat alium mitti, ne primatus eius uideatur diminutus, ſed ſponte obedit. Vt uero donemus Petrum ita fuiſſe apoſtolorum principem, ſicuti contendunt iſti: an ideo conſequetur Papam eſſe principem totius eccleſiæ imò uniuerſi orbis? Nam ut Papa non eſt Petrus: ita duodecim aut undecim apoſtoli non ſunt totus orbis. Præterea non potuit dare Petrus quod non habuit. Non habuit imperium in totum orbem, ergo non dedit.

Sed Conſtantinus Syluestro dedit, inquiunt. Vt maxime donemus ueram eſſe, non fictam & mentitam (quod tamen doctiſſimi quiq; contendunt) Conſtantini donationem, attamen Syluester ille oblatum imperium non accepiſſet. Plus ualuiſſet apud eum Chriſti principis ſummi & cœleſtis uox, Reges gentium dominantur eis, Vos autem non ſic, quàm terreni imperatoris ſtolida affectio. An credimus Petrum apoſtolum accepturum fuiſſe cum imperio ſæcularem poteſtatem, ſi eam obtuliſſet Nero Cæſar? Minime gentium. Imis enim uiſceribus infixum hæſit domini uerbum,

De Donatione Conſtantini.

Vos autem non ſic. Priuſquam accepiſſet ſpiritum ſanctum, cum reliqua Iudæorum turba cæcutiens, imaginabatur regnum Chriſti in terris terreſtre futurum: poſtquam ſpiritum ſanctum accepit, intellexit Chriſti regis & ſummi imperatoris ſedem non eſſe in terris, ſed in cœlo collocatam, ac regnum eius non eſſe ex hoc mundo. Sciebat Chriſtum dominum aufugiſſe in deſertum, cum populus cogitaret ipſum creare regem. Sciebat Heliſeum ſaluberrimo conſilio donationem Naamani principis repuliſſe, Ieſi autem miniſtrum in æternum probrum ac ſubuerſionem incolumitatis propriæ, reperiſſe. Noluit beatus Petrus curam in ſe pauperum recipere, ne minus expedite & oraret & prædicationi uerbi inuigilaret, id quod Acta apoſtolorum teſtantur: cui ergo ueriſimile uideatur eundem abiecto apoſtolatu etiam orbis imperium ſuſcepiſſe? Negat eundem & uerbi miniſterio feliciter præeſſe, & menſis miniſtrare poſſe. Quem uero illi nobis Papam dabunt, qui Petro ampliorem habeat ſpiritum? qui id poſſit præſtare quod non potuit Petrus? qui non iam menſis, ſed toti orbi præeſſe poſſit? Nugæ ergo ſunt, quas iſti nobis recitant de Donatione Conſtantini. Integrior fuit Conſtantinus quàm qui talem donationem inſtituerit, quàm nõ neſciebat cũ Chriſti doctrina pugnare. Integrior fuit Syluſter quàm qui receperit quod citra miniſterij uerbi ſubuerſionem recipi non poſſe intellexit. Quod ſi Conſtantinus donauit omnino quod donaſſe dicitur, & Sylueſter donationem non repulit, peccauit uterq;. Quia contra uerbum dei egit uterq;.

4. Reg. 5.

Auguſtinus Steuchus pro Donatione Conſtant.

Vidi quæ ſuperioribus annis pro donatione Conſtantini contra Laurentium Vallam ſcripſit, doctus alioqui & multæ lectionis uir Auguſt. Steuchus: uerum nulla profert argumenta ſolida, tametſi mirifice ringatur, & omnes uires eloquentiæ exerat, deniq; undiquaq; omnia quæ aliquo modo hanc cauſſam iuuare uidebantur operoſe congerat. Ac dignior quidem uidetur is liber qui proculcetur pedibus, quàm qui bonorum hominum manibus teratur. Vt enim non cõmemorem quod regnum illud eccleſiaſticum Romanenſe æternum ſubinde uocat: cum regnum Chriſti & ſanctorum ſolum ſit æternum: an non manifeſtiſſime Papam collocat in ſedem Chriſti domini? Poſtquam enim cuiuſdam Nicolai pontificis teſtimonium recitaſſet, ſubiungit protinus, Audis ſummum pontificem à Conſtantino deum appellatum, habitum pro deo. Hoc uidelicet factum eſt cum illum præclaro illo edicto decorauit, adorauit uti deum, uti Chriſti & Petri ſucceſſorem. Diuinos honores

nores ei, quoad eius potuit, contulit, uelut uiuam Christi imaginẽ ueneratus est. Hæc ille sectione libri 67. Nec his disparia scripsit Sectione 28. Commemorans enim imaginationem quandã suam de Papa conceptam, fingit nescio quem fructum inde exoriturum, si apud extremos Indos referatur, omnia regna mundi nutibus Papæ regi, illum adorare reges, ut quibus perspectissimum sit hunc esse successorem Christi, ideoq; hos illum suspicere non tam mortalem hominem, quàm in eo deum ipsum, qui eum sibi suffecerit in terris, ideoq; & à maledictis abstinere, si quid is ut homo peccet, propterea quod in eo uenerentur filium dei. Hos applausus impios, & has uoces adulatrices, imò sacrilegas tulisset Petrus, sclicet, qui Cornelium procumbentem, & adorare uolentem, erexit, & dixit, Surge, & ego i pse homo sum. Nam & ad Ioannem ad pedes angeli adorantem, legimus i psum dixisse angelum, Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum. De Herode autem Agrippa scriptũ est, quod adulatrices populi uoces acclamantis concionanti, Vox dei & non hominis, non cõpescuerit, ideoq; percussus fit ab angelo dei, ac computruerit, erosus à uermibus. Nos ergo cum sciamus ipsum Christum dei filium adhuc regnare in ecclesia, utpote cui soli data sit omnis gloria & potestas, neq; hic sibi quenquam suffecerit in terris, in quo colatur & adoretur, Christum Iesum dei filium solum colimus & adoramus, Papam ut antichristũ & deum Stercutium, siue malis Cloacinum, unà cum sacrilegis suis encomiastis & assentatoribus blasphemis execramur.

Act. 10.

Apoc. 22.

Dixit sanè dominus ad beatum Petrum, Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Et cætera. Sed quid hæc faciunt ad stabiliendam Papæ monarchiam prærogatiuam & sublimitatem? Petrus à domino laudatur à fidei constantia: unde & nomen accipit, Petrus à petra dictus, in quam se uera fide collocauerat. Christus petra est, cui innitebatur Petrus. Audit is hoc perpetuum ecclesiæ fundamentum futurum, omnes inquam in ecclesiæ consortium recipiendos, qui uera fide cum Petro confitentur Iesum Christum esse uerum dei filium, ipsiq; ut unicæ petræ & saluti innituntur. Promittuntur præterea Petro claues regni dei: sed cum præstantur, non uni Petro, sed omnibus apostolis dantur. Sunt autem Claues non dominatio & iurisdictio quædam (ficuti isti nugantur) sed ministerium aperiendi & claudendi regni cœlorum, intromittendi in ecclesiam & exclu-

Tu es Petrus, &c.

dendi, quod fit prædicatione euangelij: uti mox copiosius dicetur. Ad eundem modum cum Petro dominus dixit, Pasce oues meas, non monarchiam orbis & dominium in omnes creaturas tradidit Petro, sed curam cõmisit pastoralem. Qua de re dixi Sermone proximo: ut & aliàs sæpe & fusius contra primatum Rom. Pont.

Veteres de primatu Petri & Rom. pont.

Ad ueteres ecclesiæ scriptores quos illi nobis obijciunt, nescio quid de primatu Petri testificantes, uno uerbo respondemus, non perinde nos curare quid hic senserint ueteres, quàm quid instituerit Christus dei filius, quid item apostoli (quorum authoritas ueterum illorum scriptorum authoritatem multò excellit) usurparint, & scriptis atque exemplis suis sentiendum, imitandumq; nobis reliquerint. De qua re dixi etiam Sermone huius Decadis 2. Longius ferè sumus progressi quàm institueramus, ut ergo receptui canamus, diximus de ordine siue munere quod in ecclesia sua instituit dominus, & quos huic præfecerit, quorum opera ecclesiam fundare, gubernare, prouehere & conseruare uoluerit. Quæ supersunt dicenda, differemus in crastinum. Prolixiora enim sunt quàm quæ hac hora absolui queant, digniora autem & præstantiora quàm quæ paucis perstringi debeant, &c.

De Vocatione ad ministerium uerbi dei. Quales & quomodo oporteat in ecclesia uerbi ministros ordinare. De Clauibus ecclesiæ: quodnam sit ordinatorum officium. De ratione docendi ecclesiam, & uita pastorum sancta. SER. IIII.

SERMONE præsenti, deo iuuãte, qua possumus breuitate & perspicuitate exponemus C. V. quales & quo modo hodie ministros nobis conueniat ordinare, non iterum loquentes de munere, sed de personis muneri idoneis. Neq; enim arbitror aut necesse aut operæpreciũ esse multis demonstrare, ordinẽ seu functionem in ecclesia à Christo institutã, etiam sine ordinibus illis quos posterioribus sæculis instituit noua adinuentio, sufficere uel hodie ad excitandã, gubernandam, conseruandam q; dei ecclesiã in terris. Nam id res ipsa clamat, euincit q; primitiuæ ecclesiæ absoluta perfectio. Vt aũt perspicue intelligatur ab omnibus, quos ecclesię ministros hodie ordinare cõueniat, dicemus paulò copiosius de Vocatione ministrorũ ecclesiæ. Vocatio aliud nõ est, quàm idonei ministri legitima constitutio. Eadẽ & ordinatio & electio dici poterat: quanquã alia uox alia latius pateat. Electio præit natura. Nam quos eligimus, eos uocamus. Ordinatio comprehendit utrunq;. Numerantur autem ab omnibus ferè quatuor uocationis genera. Priora duo sunt legitima, posteriora illegitima. Et primum quidem est, quo ministri neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per deum uocantur. Sicuti uocati leguntur Isaias propheta, & apostolus Paulus. Hæc ferè signis aut miraculis confirmatur, & diuina arcana q; appellatur. Secundũ uocationis genus fit à deo quidem, sed per hominum ordinationem. Quo genere creati leguntur ministri ecclesiæ beatus Matthias, Lucas, atq; Timotheus. Hoc ordinarium, publicum, humanum et hodie uulgare est: in quo deus quidem uocat, dona ministris necessaria conferens, & leges suppeditans ijs qui eligunt: hi uero leges illas sequentes, ordinarie eum deligunt, quem ex signis à deo prius uocatum esse conijciunt. Per signa intelligo dona ministris necessaria.

De Vocatione ad ministerium, & uocationis generibus.

Tertium uero uocationis genus quod inter illegitima primum est, proficiscitur quidem ab hominibus, sed non à deo: quando uidelicet ex fauore & propter munera indignus aliquis ordinatur. Peccatur hic tam ab ordinandis, quàm ab ipsis ordinationi præfectis. Ab ordinandis, cum se ministerio præfici cupiunt, cui se parum idoneos, quippe donis necessarijs destitutos, uel non intelligũt uel intelligere nolũt. Vel cum satis quidem instructi sunt scripturarum

Vocatio ex fauore & largitione.

rerumq́ peritia, sed non recto pede ad hanc functionem accedunt: quando uidelicet non spectant dei gloriam, sed lucrum. Requiritur enim ab ordinandis conscientiæ propriæ testimonium, & uocatio arcana, nimirum qua nobis probe simus conscij excitatos nos esse ad hoc muneris capescendi non ambitione, non auaritia, non pascendi uentris gratia, non alio aliquo affectu prauo, sed syncero dei timore atq́ amore, & ædificandæ ecclesiæ dei studio. De qua re elegantissime & sanctissime scripsit beatus Paulus in 1. ad Thessal. cap. 2. Requiritur præterea testimonium aliorum eruditionis iustæ peritiæq́ rerum. Omnes enim nobis ipsis placemus & iudicamus nos dignos esse, quibus cõmittatur gubernanda ecclesia, cum nosmetipsos decipiamus fœdissime. Peccant autem præfecti ordinationi, cum in ordinandis ministris non spectant quid deus legibus editis hic fieri uoluerit, & quid ratio incolumitasq́ ecclesiæ postulet, sed quid è re sit ordinandi. Frequenter ergo ordinantur indigni. Vel qui sunt indocti & parum synceri. Vel qui satis quidem docti sunt, sed non admodum integri. Vel qui simplices & boni Christiani sunt, sed mali & parum prudentes pastores. Huc autem perpelluntur fauore, uel muneribus. Qua re grauissimam in se omnipotentis dei iram prouocant, omniumq́ peccatorum sese reddunt participes, quorum authores sunt parum dextre administrantes demandatam sibi prouintiam. Vetustas hoc scelus appellauit Simoniam, nunquam delendo probro & morte sempiterna piandum. Anthemius imperator Armasio scribens inter alia, Nemo gradum sacerdotij uenalitate precij mercetur. Quantum quisq́ meretur: non quantum dare sufficit, æstimetur. Cesset altaribus imminere prophanus ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita castus & humilis nostris temporibus eligatur episcopus, ut quocunq́ locorum peruenerit, omnia uitæ propriæ integritate purificet, non pretio, sed precibus ordinetur antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Hęc ille, qui si hodie Romam ueniret, putaret se haud dubie in alienum uenisse mundum, imò in emporium Simonis, non Petri, sed Magi & Samaritæ & Iesi Israelitæ.

Simonia.

Quartum uocationis genus illud est, quo quisq́ priuato suo arbitrio se implicat ministerio, non à deo ordinatus, neq́ per hominem. De his dixit apud Ieremiam dominus, Ipsi currebant, & ego non mittebam eos. Cyprianus ad Antonianum, tales, episcopatum uidelicet

Iere. 23.

uidelicet sibi usurpantes, nemine dante, nominat schismaticos. Et hoc uocationis genus improprie dicitur uocatio. Proinde uocatiõe eaq; publica & legitima in ecclesia opus esse constat, cum propter multas alias causas, tum propter has potissimum, ut institutum dei non negligatur, utq; retineatur disciplina ecclesiastica, & omnes in ecclesia norint, qui sint ministerio præfecti ecclesiastico. Tametsi ergo apostolus & doctor gentium Paulus ab initio non ab hominibus, neq; per homines, sed à solo deo missus esset, idem tamen iubente spiritu sancto ab Antiochena ecclesia in ministerium gentium segregatur unà cum Barnaba. Ad eundem modum missi uel uocati à deo fuerunt multi alij, quos tamen etiam per homines ordinari oportuit. Nã Paulus alibi, Nemo hoc sibi ipsi honoris usurpat, inquit, sed qui uocatur à deo, sicuti Aaron. Et iterum, Quomodo audient absq; prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Et reliqua.

Opus uocationis in ecclesia.

Actor. 13.

Hebr. 5.

Roma. 10.

Circa secundam illam uulgarem & in ecclesia hodie receptam, à domino autem traditam uocationem, tria consideranda uidentur, Quinam uocent, id est quinam habeant uocandi uel ordinandi ministros ius & potestatem. Deinde qui uel quales sint ordinandi. Postremo quomodo uocati sint initiandi.

Ac principio dominum dedisse potestatem ecclesiæ suq; ius & potestatem eligendi & ordinãdi idoneos ministros, superius in secundo huius Decadis Sermone ostendimus exemplo uetustissimarum in mundo ecclesiarum Hierosolymitanæ & Antiochenæ: quarum illa non modo diaconos septem, sed apostolum Matthiam ordinauit: hæc autem apostolos Christi insignes, Paulum & Barnabam in ministerium segregauit. Quibus accedit quod ecclesiæ gentium instructæ à Paulo & Barnaba collatis suffragijs presbyteros, seu gubernatores ecclesiarum delegerunt. Primas in hac parte habuerunt pastores ipsi. Præeunte enim Petro creatur ab ecclesia Matthias apostolus. Hunc ritum annis multis diligenter custodiuit uetus ecclesia. Nam Cyprianus epist. lib. 1. epist. 4. Ipsa plebs maxime potestatem habet, inquit, uel eligendi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Quod & ipsum uidemus de diuina authoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Sicut in Numeris præcepit dominus Mosi & dixit, Prehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni synagoga. Corã omni synagoga iubet deus constitui sacerdotem. Id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdota-

Qui eligãt in ecclesia ministros.

Actor. 14.

les non nisi sub populi assistentis cõscientia fieri oportere, ut plebe prẽsente uel detegantur malorum crimina, uel bonorum prædicentur merita, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Hæc ille. Hic mos durauit adhuc S. Augustini sæculo. Extat enim epistola quæ ordine numeratur 110. quæ attestatur acclamante populo, Augustinum sibi Eradium ordinasse successorem. Posterioribus sæculis cum populus tumultuaretur frequentius in electionibus pastorum, ordinatio relata est ad delectos ex pastoribus magistratu & plebe. Hi tres uiros egregios proponebant uel nominabant, ex quibus qui uidebatur optimus deligebatur. Extat huius aliquid in Iustiniani Imp. Nouell. Const. 123.

Episcopos solos nõ habere potestatem ordinandi.

Quibus autem uidetur omnem ordinandi ministros potestatem esse penes episcopos diocœsanos, uel archiepiscopos, his utuntur locis scripturæ, Ideo reliqui te in Creta, ait ad Titum Paulus, ut constituas oppidatim presbyteros. Et iterum, Vide ne cui cito manum imposueris. Nos uero dicimus apostolos in ecclesijs non exercuisse tyrannidem, & electionis uel ordinationis omnia solos peregisse, excluſis alijs in ecclesia hominibus. Crearunt enim apostoli Christi episcopos uel presbyteros in ecclesia, sed cõmunicato cum ecclesijs consilio, adeoq; ex populi consensu & approbatione. Id quod claret ex electione seu ordinatione Matthiæ, quam iam semel & iterũ citauimus. Dixit sanè in lege Mosi dominus, Iudices cõstitues tibi. Verum alibi idem, Prouidebis ex omni populo, ait, quos præficias. Et rursus Moses ad ipsum populum, Date ex uobis, inquit, sapientes, qui præficiantur &c. Quemadmodum ergo Moses proprio arbitrio nihil egit in electione magistratus, licet audisset, Iudices constitues tibi: sed omnia communicato cum plebe consilio. Ita haud dubie beatus Titus, quamuis audisset, Constitues oppidatim presbyteros, intellexit tamen sibi hic nihil permissum inconsultis ecclesijs, quod ipsi priuatim uisum esset agere. Proinde nihil peccant, qui excusso iugo & tyrannide Romanensium episcoporum, ius illud pristinum à Christo concessum, ecclesijs, rationibus iustis & æquis, recuperant. Neq; admodum refert ordinẽt idoneos ministros, uel delecti uiri graues ab ecclesia, uel ipsa ecclesia tota, idq; uel per suffragia, uel per sortes, uel alia aliqua ratione commoda & sancta. In his enim non rixatur pietas, modo omnia sancte & secundum ordinem fiant. Nolo autem hic cõmemorare artes, insidias & graua bella propter hoc ordinandi ius gesta multo cum sanguine & regionum direptione ac incendijs funestissimis. Historiæ de rebus

Titum 1.
1. Tim. 5.
Deute. 16.
Exod. 18.
Deute. 1.

Heinrychi

Heinrychi 4. & 5. itē de rebus Friderychorū satis aperte testantur, q̄ impudēter & nepharie se cū coniuratis suis episcopis gesserint Romani præsules. Fortassis dabitur occasio hac de re alibi copiosius dicendi.

Nūc cōmemorabimus quales oporteat ordinare, utiq; nō quoslibet, sed selectissimos, uiros religiosos, facultatibus omnigenis instructos, exercitatos in scripturis, tenentes mysterium fidei, fortes & constantes, sedulos, laboriosos, diligentes, fideles, uigiles, moderatos, uitæq; sanctæ & probatæ, ne propter corruptelam uitæ & famam parum integrā totum uilescat ministerium, & quod sana doctrina extruxerunt, praua uita rursus subruant. Canonē apostolicū recitabimus, omnia huius negotij plenissime cōplectentem. Consti tues presbyteros siue episcopos, inquit, si quis est inculpatus, unius uxoris uir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, aut qui non sint intractabiles. Quod si quis propriç domui præesse nō nouit, quomodo ecclesiā dei curabit? Oportet enim episcopū inculpatum esse, tanq̄ dei dispensatorem (illud autē requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur) non præfractū, non iracundū, nō percussorē, sed æquū, alienum à pugnis, non uinosum, alienum ab auaritia, non turpi lucro deditum, sed hospitalem, bonarū rerum studiosum, uigilantem, sobrium, iustum, pium, temperantem, modestum, aptum ad docendū, & tenacem eius qui secundum doctrinā est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinā sanā, & contradicentes conuincere, ac ijs obdurare os. Non nouitiū, ne inflatus in condemnationē incidat calumniatoris. Oportet autem illum & bonum habere testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat & laqueū calumniatoris. Hæc omnia sunt apostoli uerba ex epistola priore ad Timoth. & ea quæ ad Titū scripta est, recitata.

Quales sint ordinandi ministri.

Titum. 1.

1. Tim. 3.

1. Cor. 4.

Proinde iudicio hic erit opus exacto, & diligentia magna, quæ omnes doctrinæ & uitæ partes excutiat. Opus, inquā, erit seuera uitæ cēsura & examine eruditionis accurato. Neq; enim hæc res parui est momenti. Omnis ecclesiæ incolumitas hinc dependet. Si ordine tur indignus & indoctus aliquis, tota ferè negligitur, imò peruertitur, subuertiturq; ecclesia. Examē autē intelligimus non puerile & scholasticū, sed graue & exactū, de scriptura & eius interpretatione uera, de cura pastorali, de fidei sanæ mysterijs, deq; alijs id genus capitibus. Ac ueteres quondam in his diligentissimos fuisse, uel inde clarer, quod Aelius Lampridius in uita Alexandri Seueri cōmemorat, Christianis moris fuisse suorū episcoporum nomina toti propo nere ecclesiæ priusquā fuerint recepti, si fortè aliquis è plebe indi-

Censura & examen.

care uoluisset indignum hunc esse qui tali præesset officio. Vnde & Iustinianus Imp. Constit. 123 Si tempore ordinationis, inquit, accusator aliquis exortus fuerit, qui dicat indignũ esse ordinatione, differantur omnia, & præcedat examinatio ac censura. Nec grauabor in præsenti recitare Decretum super hac re Carthagineñ. Concilij 1111. quod ita habet, Cũ episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudẽs, si docibilis, si moribus tẽperatus, si uita castus, si sobrius, si semper sui negotij cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege dñi instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus: & ante oĩa si fidei documenta uerbis duplicibus (simplicibus fortè) asserat, id est patrẽ & filiũ, & spiritũ sanctũ unum deum esse confirmans, totãq; trinitatis deitatem coessentialem & consubstantialẽ, & coæternalẽ, & coomnipotentem prædicans, si singulas quasq; in trinitate personas plenũ deum, & totas tres personas unum deum, si incarnationẽ diuinam non in patre, neq; in spiritu sancto factã, sed in filio tantum credat: ut q erat in diuinitate dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, deus uerus ex patre, homo uerus ex matre, carnẽ ex matris uisceribus habẽs, & animã humanã rationalẽ simul in eo utriusq; naturæ, id est deus et homo una psona, unus filius, unus Christus, unus dominus creator omnium quæ sunt, & author, dominus & rector cum patre & spiritu sancto omniũ creaturarũ: qui passus sit uera carnis passione, mortuus uera corporis sui morte: resurrexit uera carnis suæ receptione, & uera animæ resumptione, in qua ueniet iudicare uiuos & mortuos. Quærendũ etiam ab eo si noui & ueteris testamenti, id est legis & prophetarum & apostolorum unum eundemq; credat authorẽ & dominum, si diabolus non per conditionẽ, sed per arbitriũ factus sit malus. Quærendum etiã ab eo si credat huius quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionẽ, si credat iudiciũ futurũ, & recepturos singulos pro his quæ in carne gesserunt, uel pœnas, uel præmia, si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionẽ non culpet, si pœnitentibus reconciliatis cõmunicet, si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale cõtractum, quàm illa quæ uoluntarie admissa sunt dimittantur: si extra ecclesiã catholicam nullus saluetur. Cum in his omnibus examinatus fuerit, & inuentus plene instructus, tunc cum consensu clericorũ & laicorum, & conuentu totius prouinciæ episcoporũ, maximeq; metropolitani, ordinetur episcopus. Conciliũ hoc celebratũ dicitur anno domini 400.

Quale fuerit examen ueterum episcoporũ.

Ista

Ista autem non ideo cõmemoro, quasi Conciliorũ hominũq; decretis innitar, aut existimem non omnia quæ ueræ salutis & perfectionis sunt, tradita esse sacris literis, sed ut admoneam aduersarios nostros, mores & facta ipsorũ hodie non modo cũ apostolicis doctrinis & exemplis, sed ne cum ueterũ quidem decretis cõgruere, si fortè in semetipsos desecẽdant, ac relictis hominum uarijs doctrinis, recipiant omnium uetustissimam traditionem & doctrinam certissimã sanctorum apostolorum.

Venio iam ad postremũ caput explicandũ, q̃modo uidelicet uocati sint initiandi. Apostoli in ordinationibus suis adhortabãtur ecclesiam ad ieiunia ac preces: uocatos aũt ipsos statuerunt in conspectum ecclesiæ, impositisq; manibus in capita ordinatorũ cõmittebant ipsis ecclesias. De Impositione manuum dictũ est aliàs. Symbolũ erat delegati muneris. Nec legitur ulla alia apud ueteres fuisse pastorũ cõsecratio. Sicut & omnia alia simplicia & minime sumptuosa fuerunt in primitiua apostolicaq; ecclesia. Sequentibus temporibus creuerunt ritus, sed ita tamen ut per initia quibusdam modum nõ omnino excessisse uiderentur. Mihi autẽ nimium esse uidetur, quod diuinæ institutioni humano adijcitur arbitrio. Et quid obsecro necesse est institutis apostolicis assuere sentimenta & cõsuetudines humanas? Cur non sufficit tibi manuũ impositio, quæ sufficiebat beatis apostolis te longe sanctioribus & rerũ diuinarũ peritioribus? Accessit postea oleũ, accessit liber euãgelicus. Sic enim decernit Carthagineñ. Synodus IIII. Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant & teneant euangeliorũ codicẽ super caput & ceruicẽ eius, & uno super eum fundente benedictionẽ, reliqui omnes episcopi qui adsunt manibus suis caput eius tangant. Posteri his & pallium addiderunt. Cæterũ hodie nullus est ceremoniarũ, imò inceptiarũ finis. Si quis horum ritus conferat diligenter cũ Aaronis & Iudaicorũ sacerdotũ cultu, iurabit totum Aaronismũ esse ab illis reductum in ecclesiã, imò hunc illo multò esse instructiorẽ & onerosiorem, idq; contra doctrinã euangelicã. Vt iam non cõmemorem consecrationẽ illorũ luxu, superbia & offensione planè esse & infamem & refertissimã, ideoq; intolerabilem. Accedit his aliud, quod apud ueteres consecratio licet creuisset ritibus adiectis, gratis tamen conferebatur, neq; erat aliquid in ipsa uel in toto Christi templo uenale. Quanti uero hodie à Rom. Chananço diuendantur pallia, & quantis sumptibus fiant consecrationes, turpe est uel dicere. Gregorius in Synodo Romana sub Mauritio & Theodosio celebrata, inter alia sic decernit, Antiquã patrũ regulam sequens, nihil unquã

Quomodo uocati sint initiandi.

Acto. 13.

Acto. 1.

1. Tim. 4.

2. Tim. 1.

Pallium.

Gratis olim collatum pallium.

de ordinationibus accipiendũ esse constituo, neq; ex datione pallij, neq; ex traditione chartarũ. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, euangelicam uero lectionem minister legit, confirmationis uero huius epistolam notarius scribit: sicut pontificem manũ quam imponit, non decet uendere: ita minister uel notarius non debet in ordinatione uocẽ suam aut calamũ suum uenundare. Quod si quis aliquid cõmodi inde petere præsumpserit, in districto omnipotentis dei examine reatui subiaceat. Addit tamẽ protinus, Cæterum si ordinatus, nõ exactus, sed sua sponte, gratiæ tantummodo causa, aliquid offerre uoluerit, concedimus.

Cur ordines non recipiãtur ab episcopis Papisticis.

Exposui hactenus quales & quomodo oporteat in ecclesia dei ordinare episcopos siue pastores: & quamuis ex ijs nullo possit colligi negotio cur hodie non sustineamus ordinari ab illis qui uocantur & soli uidentur sibi esse legitimi ordinarij, utpote in Romana ecclesia, successione perpetua descendentes ab apostolis, dicam tamen aliquanto, si possum, significantius. De successione episcoporum siue pastorum continua, & de ecclesia dictum est aliàs, ut superuacuum sit hic repetere & inculcare eadem. Euicimus etiam nostras ecclesias ueras esse dei ecclesias, tametsi cum Romana nupera non consentiant. Ac ecclesias ueras constat ius habere ordinandi pastores, siue hoc fiat totius ecclesiæ suffragijs, siue delectorũ ab ecclesia iudicio legitimo. Vnde consequens est, legitime esse ordinatos, quos nostræ imò Christi ordinarunt ecclesiæ. Ac graues sunt causæ cur ab ordinarijs papisticis suos ministros ordinari detrectent sanctæ dei ecclesiæ. *Galat. 3.* Etenim S. Paulus, Etiamsi nos, ait, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Prædicant autem isti euangeliũ præter id quod à Paulo prædicatum est: id quod de sensu (in quo plus est periculi) nõ de uerbis intellectũ uolumus. Proinde cœlitus percussi sunt isti anathemate. Quis uero sustineat ordinari ab anathemate percussis? Præterea præcipuum in ordinatione est doctrina euangelica. Cum in hoc maxime ordinentur ministri ecclesiæ, ut purum Christi euangelium syncere & cũa admixtione traditionũ humanarum populo annuncient. Hoc autem ipsum isti ordinandis non modo prohibent seueriſsime, sed & iuramenti formula exhibita abiurare compellunt. Sunt enim ipsi non Christo, sed Papæ contra Christũ iuramento impijſsimo obstricti. Inter alia enim sic iurant episcopi delecti, Ego N. electus N. episcopus ab hac hora in antea fidelis ero & obediẽs beato Petro sanctæq; apostolicæ Rom. ecclesiæ et dño nostro N. Papæ suisq; successoribus canonice intrantibus. Consiliũ quod

Iuramentum episcoporum.

mihi

mihi credituri sunt, per se aut nuncios, seu literas, ad eorum damnũ, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Iura, honores, priuilegia & authoritatem Romanæ ecclesiæ domini nostri Papæ & successorum prædictorum conseruare, defendere, augere & promouere curabo. Nec ero in consilio, in facto seu in tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum uel eandem Romanam ecclesiam aliqua siniſtra uel præiudicialia personarum, iuris, honoris, status & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibusdam machinari cognouero uel procurari, impediam hoc pro posse, & quantocyus potero commode significabo eidem domino nostro, uel alteri per quem ad ipsius notitiam possit peruenire. Regulas sanctorum patrũ, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones & mãdata apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos & schismaticos & rebelles domino nostro, pro posse persequar & impugnabo. Hæc illi cum ad hunc modum iurent, quis obsecro Iesu Christi, ecclesiæ eius, ueræq; fidei, adde & reipub. fidelis amans, à talibus ordinari sustineat? Euangelij & ipsius domini nostri Iesu Christi in iuramento nullus sit sermo. Scripturarum sanctarum nulla, sed regularum & ordinationum paternarum diligentissima fit mentio. Nominatur Petrus, sed non apostolus ille Christi dicens, Aurum & argentum non habeo, uerum alius nescio quis regalia habens. Nominatur quidem apostolica ecclesia, uerũ mox per interpretationem qualem intelligi uelint subijciunt, & papatum appellant. Papatum hunc, non ecclesiam dei, papatum inquam & papatus honores, priuilegia & iura contra omnem hominem, en contra omnem hominem promittunt se defensuros. Papam enim agnoscunt esse dominum suum, contra quem nolint unquam machinari quicquam, imò si intelligant alios aliquid contra Papam & papatum moliri, indicium & auxilium fidum stipulantur. Non arbitror autem quenquã se ulli arctius obstringere posse. Nec obscurum est quos isti appellent hæreticos, non hostes fidei Christianæ, non doctores alienorum à scripturis dogmatum, sed rebelles Papæ: eos inquam, qui ut iura & decreta Papæ negligunt, solas scripturas prædicant, ita Christo omnem gloriam tribuunt, tanquam unico capiti & summo Sacerdoti ecclesiæ, atq; ideirco Papam docent nec caput, nec summum esse ecclesiæ sacerdotem. Quis autem ueræ pietatis amans tali se obstringat iuramento? Quis amicitiam renunciet Christo, mancipium autem & subpeda-

neũ sese substernat Pontifici Romano? Quis denique ab illis qui hoc fecerũt, Christi atque Christianæ ecclesiæ minister ordinari postulet?

His accedit quod in consistorio Romano omnia ordinis sacri sint corruptissima, adeo ut uix aliqua institutionis Christi indicia appareant. Non commemorabo in præsenti quod constitutiones hominum nouæ accesserunt plures, quod nullum ferè restat ecclesiæ in ordinandis pastoribus suffragium, nullus deputatorum ecclesiæ delectus. Ius enim præsentationis, collationis & confirmationis ad plurimos dispersum, apud quosdam factum est etiam hæreditariũ, ut & fatui aut semimoriones fieri possint episcopi: illud autem præterire non possum, perijsse apud illos iustum examen et pastoralem seuerioremq; disciplinam. Equidem restat examen, sed puerile prorsus, in quo ferè ordinandi rogantur quod in ludo triuiali solent scholastici, an quis possit bene legere, construere, canere atq; computare? Negare hoc non possunt, ut ne illud quoq; quod sacerdotes magis ordinantur ad legendum, psallendum & missandum, quàm ad gubernandam uerbo dei ecclesiam. Vnde potior ferè uocis ad canendum idoneæ ratio habetur, quàm peritiæ seu experientiæ in sacris literis. Egregie uero rem existimant confectam, si muneri pastorali præficiatur non ineptus aliquis iurisperitus. Nam feliciter litigare in foro pro augendis & conseruandis opibus utilius propemodum esse uidetur, quàm bene concionari in templo pro lucrandis animabus. Quid quod ex curia, ex regum & principum aulis uidemus ad occupandas ecclesias missos homines, ad quidnis potius quàm ad regẽdas dei ecclesias aptiores? Munia enim ecclesiastica cœperunt haberi ceu principum donatiua: unde & beneficia sunt appellata. Ipsi Romani Pontifices coquis suis, cupediarijs, militibus, tonsoribus & mulionibus contulerunt sacerdotia, & honestius quidem hoc quàm cum contulerunt lenonibus. Bona pars sacerdotum ad ministerium sanctum uiolentia & per Simoniam penetrauit, in quo tamen bene ministrare nec potuit, nec uoluit. Qui uero honestiore titulo recipiuntur, per commendationem & fauorem recipiuntur. Valet hic plurimum uel affinitas, uel agnatio & consanguinitas. In his omnibus maior habetur uentris quàm ministerij ratio, magis prospicitur ipsis sacerdotibus nõ sacerdotibus, quàm ecclesiæ dei & saluti animarum. Hoc autem modo corruunt omnia in ecclesia & opprimitur grex dei pondere & ruina pastorũ.

Pluralitas beneficiorũ

Huc pertinet pluralitas, ut uocant, beneficiorum. Vnus aliquis uel miles uel curtisanus sex aut plura nõ raro beneficia ad se, Papa ipsi obijciente, rapit, quorum curam non habet ullam, nisi in recipiendo.

piendo. Nunquam enim docet, imò rariſſime adeſt gregi, niſi dum tondit. Interea grex domini negligitur et perit. Nam qui præficiuntur uicarij ab illis, indocti ferè & mercenarij ſunt. Qui minimum accipit, præficitur gregi qualis qualis ſit. Et ſatis quidē doctus eſſe uidetur, ſi poſſit legere, canere, miſſare, confeſſiones audire, inungere, & euangelium ex codice die dominico recitare. Quæ reſtant præterea, illis leuicula eſſe uidentur.

Pudet autem ac piget commemorare qualis in eccleſia morum remanſerit cenſura. Res clamat, & experientia teſtatur, indignos non eſſe excluſos ab hoc miniſterio ſancto. Admiſſi enim ſunt promiſcue omnes, & tolerantur adhuc fornicarij, ebrij, aleatores & uarijs flagitijs coinquinati, imò cooperti, homines. Sed ne hic nihil facere uiderentur, rogauit in ordinatione epiſcopus, Qui digni ſint honore? Ac reſpondit protinus is epiſcopo qui antea non uidit aut non nouit quales ſint de quibus teſtificatur, Digni ſunt. Præterea tot & tales in conſecratione cæremonias uſurpant, ut euangelicæ ueritatis ſtudioſus illas recipere incolumi conſcientia non poſſit. Hæ & aliæ his non diſſimiles cauſſæ faciunt, quo minus ſuſtineamus ordinari à Romanæ eccleſiæ ordinarijs uel epiſcopis.

Reſtat ultimum quod initio huius tractationis explicandū propoſuimus, quodnam ſit ordinatorum in eccleſia miniſtrorum officium. Id uno uerbo efferre poſſumus, Gubernare dei eccleſiam, uel paſcere gregem Chriſti. Paulus enim apoſtolus ſermonem habens ad paſtores Aſianos, Attendite uobis, inquit, & cūcto gregi, in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, ad regendū ſeu paſcēdum eccleſiam dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Regūt autem eccleſiam dei paſtores uerbo dei, uel doctrina ſana, & ſancto uitæ exemplo. Rurſus enim S. Paulus ad Timotheum, Eſto forma fidelium in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in puritate. Eadem ſcribit & ad Titum cap. 2. Quoniam uerò Pontificij de officio uel munere epiſcoporum lōge alia comminiſcuntur, eaq; ficuti & alias nugas ſuas confirmant clauium authoritate ſeu poteſtate, ficuti commemoraui cum diſſererem de poteſtate eccleſiaſtica, dicam ante omnia nonnihil, & quantum huic negotio ſatis eſſe puto, de Clauibus.

Quodnam ſit officium ordinatorū in eccleſia.

Actō. 20.

1. Tim. 4.

Clauis inſtrumentum eſt omnibus cognitiſſimum, quo portæ, oſtia & arcæ uel clauduntur uel recluduntur. Transfertur à rebus corporeis ad ſpirituales, diciturq; Clauis ſcientię & regni cœlorum. Dominus enim in euangelio Lucæ, Væ uobis legisperitis, inquit, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant

De Clauibus eccleſiæ.

Lucæ 11.

Matth.23. uetuistis. Eandem sententiam beatus Matthæus sic effert, Væ uobis scribæ & pharisæi, quia claudit is regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare. En quod Lucas dixit auferre clauem scientiæ, id Matthæus exponit per Cœlum claudere. Est ergo clauis scientiæ, ipsa institutio de uita beata, quomodo eius participes fiamus. Aufert clauem, qui populum non instituit de uera beatitudine, uel obstat quo minus alq recte instituat. Proinde Claues regni cœlorum, aliud nihil sunt quàm ministeriū prædicationis euangelij seu uerbi dei, à deo ministris suis commissum, ut omnes erudiantur qua uia tendatur in cœlum, qua descendatur in tartara. Has Claues promisit Petro et in ipso omnibus alijs
Matth.16. apostolis dominus, cum dixit, Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Inquiramus ergo ubi Petro & alijs traditæ sint claues. Et concors quidem omnium consensus est datas esse in die resurrectionis. Constat autem eo die cōmissum esse apostolis ministerium seu functionem prædicandi euangelij: unde consequens est, Claues nihil aliud esse quàm ministerium prædicandi in omnes gentes euangelij. Hoc enim mundo annunciatur, partam per Christum salutem communicari credentibus, incredulis patere tartara. Sed audiamus iam sanctorum euangelistarum
Ioan.20. testimonia. Ioannes apostolus & euangelista, Venit, ait, ad discipulos suos dominus & dicit illis, Pax uobis. Sicut me misit pater, ita ego mitto uos. Hæc cum dixisset, flauit in eos, & dixit, Accipite spiritum sanctum. Quorumcunq remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq retinueritis, retenta sunt. Congruunt hæc cum uerbis quibus claues promisit. Ibi enim dixit, Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis. Hic dicit, Quorumcunq remiseritis peccata, retenta sunt. Ibi dixit, Et quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Hic dicit, Quorumcunq remiseritis peccara, remittuntur eis. Proinde ligare est peccata retinere, soluere est peccata remittere. Dicis, Quomodo remittunt homines peccata, cum scriptum sit solum deum remittere peccata? Adhibeantur ergo alia aliorum euangelistarum testimonia, eandem historiam in die resurrectionis
Lucæ 24. factam contexentia. Lucas, Tunc aperuit mentem illorum dominus, inquit, ut intelligerent scripturas, & dixit eis, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionē peccatorum
Marci 16. in omnes gentes. Marcus uero, Discumbentibus apparuit, ait, & exprobrauit incredulitatem eorum, & dicebat illis, Ite in mundum uniuer-

uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ, Qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Solus ergo deus condonat peccata credẽtibus in nomine Christi, id est propter meritum & propitiationem Christi: sed peccata remissa esse certò annunciant ministri prædicatione euangelij, ac ea prædicatione ligant & soluunt, remittunt & retinent peccata. Exemplo uno aut altero res fiet illustrior. S. Petrus ad Hierosolymitanos ciues uerba faciens, Resipiscite, inquit, & baptizetur unusquisq; uestrum sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Sic autem Petrus apostolus clauibus sibi creditis usus est: sic soluit in terris, hominibusq; peccata remisit, promittens uidelicet certam peccatorum remissionem per Christum credentibus. Quod nuncium ratũ habuit deus, conferens fidelibus peccatorum remissionem, sicuti crediderunt. Præterea custos carceris Philippici, Silæ & Paulo perculsus dicit, Domini, quid me oportet facere ut saluus fiam? Responderunt apostoli, Crede in dominum Iesum: & saluus eris tu & tota domus tua. Absoluerunt ligatum apostoli, & remiserunt ei peccata, per claues, id est per prædicationem euangelij: cui cum credidisset in terris, absolutum iudicauit dominus in cœlis. Hæc petita sunt ex Actis apostolorum. In ijsdem legimus exempla contraria huiusmodi, Iudæi repleti zelo, contradicebant his quæ dicebantur à Paulo, ac conuiciabantur. Paulus autem & Barnabas sumpta fiducia, dixerunt, Vobis oportebat primum loqui sermonem dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Rursus cum idem Paulus Corinthijs Iudæis Christum prædicasset, & hi reclamantes conuiciarentur, apostolus uestibus excussis, Sanguis, inquit, uester super caput uestrum. Mundus ego posthac ad gentes uadam. Sic autem ligauit incredulos. Et deus prædicationem Pauli ratam habuit: quia ab ipso deo erat profecta. Ac nisi propriã ueramq; seræ clauem inseras, neutiquam aperies. Vera & genuina clauis est purum uerbum dei, adulterina & furtiua clauis est doctrina à uerbo dei aliena, traditioq; humana. Satis claris opinor scripturæ testimonijs euici, claues apostolis & pastoribus ecclesiæ adeoq; ipsi ecclesiæ datas, aliud nihil esse quàm ministerium docendi ecclesiam. Doctrina enim euangelica ueluti clauibus quibusdam aperitur regni cœlorum ianua, cum certa & expedita ostenditur ratio & uia per fidem uerã perueniendi in participatum Christi & gaudia uitæ æternæ. Diuino testimonio humanum accedit. Nam beatus Ioannes Chrysostomus in Matth.

Quomodo apostoli soluerint & ligarint.

Actо. 2.

Actо. 16.

Act. 13.

Actо. 18.

cap.23. Clauis, inquit, est uerbum scientiæ scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua ueritatis. Clauicularij autem sunt sacerdotes, quibus creditum est uerbum docendi & interpretandi scripturas. Alia ueterum scripturæ interpretum testimonia, ab his nostris nihil discrepantia, studio & breuitatis caussa non adduco.

Hæc cum ita habeant fratres, & disertis tradita sint nobis scripturis, non magnopere curabimus porrò quid garriant Pontificij de potestate Clauium, & quæ inde deriuent officia, dignitates, prælaturas, & nescio quid aliud & quam potestatem sacerdotum. Nos didicimus, non ex hominum sermonibus aut opinionibus, sed ex ipso uerbo dei aperto, Claues esse ministerium uerbi dei prędicandi, & Claues datas esse apostolis & eorum successoribus, id est, prædicandi functionem de remissione peccatorum, de pœnitentia ac uita beata commissam. Vnde illud iam concludimus, præcipuum pastoris ecclesiastici officium esse, illas ipsas claues, quas dominus apostolis tradidit, & non alienas usurpare, hoc est, solum & purum uerbum dei prædicare, neque aliunde quàm ex ipso uerbo dei doctrinam petere. Est enim perpetua inuiolabilisq; lex hodie nostris quoque impositа pastoribus, quæ legitur impositа fuisse etiam uetustissimis ecclesiæ gubernatoribus, ipso domino attestante apud Malachiam, ac dicente, Fœdus meum fuit cum Leui uitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei expauit. Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & rectitudine ambulauit mecum, multosq; ab iniquitate auertit. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Rursus Ezechieli dicit dominus, Audies ex ore meo uerbum, & annunciabis eis. Apud Ieremiam dicit dominus, Propheta apud quẽ est somnium, narret somniũ: & qui habet uerbum meum, loquatur uerbũ meũ. Distinguit diserte inter diuina & humana, inter ea quæ ex dei uerbo sunt, & ea quæ hominũ electione finguntur, quæ uti incerta & somnia omittere iubet. Mox enim subiũgit, An non uerbũ meũ est sicut ignis, dicit dominus, & sicut malleus cõterens petrã? Et iterum, Ne audieritis uerba prophetarum qui uobis prophetant: decipiunt uos, uisionem cordis sui loquuntur, non ex ore domini. Omnes itaq; ueri dei prophetæ id continuo in ore habent, Hæc dicit dominus, Os domini locutũ est. Proinde nihil alienum à uerbo dei tradiderunt populo. Erat scriptura quoq; populo ueteri. Et prophetæ nihil aliud erant q̃ interpretes legis, applicantes hanc loco, tempori, rebus & personis. Sed & dominus noster Iesus Christus

Vnde petenda sit doctrina.

Malach.2.

Ezech.3.

Iere.23.

non

non semel dicit doctrinam suam non esse suam, sed patris. Id si ad uerbum intelligas, haud scio an aliquid magis absurdum dici possit. Intelligit ergo dominus doctrinam suam non esse humanam, sed diuinam. Quid quod ipse ubiq; ad scripturam legis & prophetarum relegat, & sua ex illis confirmat? Est autem Christus unicus religionis doctor, & uitæ magister uniuersæ à deo patre propositus ecclesiæ. Huic & ipse doctores mittens, & quid ipsi ecclesiæ tradant, ostendens dicit, Docete eos seruare ea quæ ego præcepi uobis. Item, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. At Paulus apostolus testatur euangelium promissum esse per prophetas dei in scripturis sanctis. Hanc autem doctrinam à Christo acceptam, nationibus tradiderunt apostoli, nihil ei adijcientes, nihil detrahentes: simul autem exposuerunt scripturas prophetarum ueteres: sed ne hic quidem suo aliquid indulgentes ingenio, aut suo permittentes arbitrio. Nam apostolus Petrus, Vt quisq; accepit donum, inquit, alius in alium illud ministrantes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ dei. Si quis loquitur, loquatur ut sermones dei. Sed & Tertullianus in Præscript. hæret. (quod alibi quoq; citauimus) diserte dicit, Nobis nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinã fideliter nationibus assignauerunt. Itaq; si etiam angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema dicetur à nobis. Hæc ille. Præterea demonstrauimus in sermonibus de Fide & de Ecclesia, à solo dei uerbo pendere fidem, & unico dei uerbo unice inniti fidem: uerbo item dei non doctrinis hominum constrUi & conseruari ecclesias dei: quæ omnia huc pertinere uidentur.

Matth. 28. *Marc. 16.* *Rom. 1.* *1. Pet. 4.*

Neque enim permissum est episcopis ecclesiæ Christi, sicuti falsò gloriantur Papistici pastores, nouas statuere leges, ac noua proferre dogmata. Doctrina enim Christi apostolis tradita simpliciter est recipienda ab ecclesia, & simpliciter ac pure tradenda à pastoribus ecclesiæ, quæ est cœtus Christi uerbo credentium. Quis autem nesciat pronunciatum esse à propheta? Omnis homo mendax, solus deus uerax. Et ecclesia est columna & basis ueritatis, quia ut ueritati scripturarum innititur, ita non aliam quàm scripturis traditam profert, aut prolatam recipit doctrinã. Quis uero gloriã soli deo debitam, sibi etiam usurpet? Solus deus totius generis humani, in ijs maxime quæ attinent ad religionem & uitam beatam, legislator est. Isaias enim, Dominus, inquit, est iudex noster: dominus legislator noster:

Non permissum est episcopis nouas condere leges.

Isaiæ 33.

Iacobi 4. dominus rex noſter, ipſe ſeruabit nos. S. Iacobus item, Vnus, inquit, eſt legislator qui poteſt ſeruare & perdere. Deus hoc ſibi uelut proprium aſſerit, ut legibus uerbi ſui regat ſuos, in quos ſolus habet ius uitæ & necis. Quinimò non poſſunt piæ leges eſſe quæ ſuo arbitrio fidem docere & cultum dei præſcribere præſumunt. Doctrina fidei & cultus dei, niſi diuina ſit, nihil minus eſt quàm quod eſſe dicitur. Solus deus docet nos quæ ſit uera fides, quis ei placeat
Matth. 15. cultus. Ideoq; apud Matthæum ex Iſaia filius dei pronunciauit, Frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. His accedit & illud, quod ex nouis hominum conſtitutionibus ſemper enaſcitur mirus uerbi dei legumq; diuinarum neglectus, adde & contemptus. Nam propter traditiones noſtras, quod & in euangelio dixit dominus, præuaricamur & parui pendimus præcepta dei.

Poſtquam autem conſtat unde ſit paſtori ſeu doctori petenda doctrina, non aliunde quàm ex ſcriptura noui & ueteris teſtamenti, quæ eſt certiſſimum & ueraciſſimum uerbum dei, ideoq; hanc doctrinam eſſe certam & definitam, dicendum porrò erit nonnihil & de ratione docendi, quam ſequatur doctor ſiue paſtor eccleſiaſticus. Atque hic ſummas duntaxat rerum perſtringam. Ante omnia
Scopus paſtorum eccleſiæ. autem requiritur à paſtoribus, ut perpetuò id ſibi dictum exiſtimẽt, quod Archippo inculcare iuſſit apoſtolus, Vide miniſterium quod
Coloſ. 4. accepiſti à domino, ut illud impleas: deniq; à paſtoribus ne unquã oculos detrahant à uiua illa boni & mali paſtoris pictura, quam Ezechiel illuſtris propheta ad hunc modum propoſuit, Sic dicit do-
Ezech. 34. minus deus, Væ paſtoribus Iſraël qui pauerunt ſeipſos. Nónne paſtorum eſt paſcere gregem ipſum? Pinguedinem comeditis, & lana induimini, & quod craſſum eſt mactatis, oues autem ipſas non paſcitis. Dolore correptam non conſolidaſtis, ægrotam non ſanaſtis, confractam non ligaſtis, propulſatam non reduxiſtis, & perditam non quæſiuiſtis, quin & cum duritia & ſæuitia dominati eſtis eis. Et iterum, Ego paſcam oues meas, dicit dominus deus. Perditam requiram, propulſatam reducam, confractam ſanabo, infirmam roborabo, pinguem uero & firmam conẽrcebo, & paſcam in iudicio. Hinc colligimus boni paſtoris eſſe paſcere non deuorare gregem, miniſtrare non dominari, ſalutem ouium non priuatam rem quærere. Perditam item ouem requirere, id eſt, eos qui abhorrent à ueritate & uerſantur in tenebris errorum in eccleſiam & lucem ueritatis pertrahere: propulſatam, nimirum ſeparatam à conſortio ſanctorum, priuati alicuius affectus gratia,

reſtituere

restituere & reducere: confractã sanare siue obligare. Vulnera enim peccatorum notat: quæ & Ieremias curare præcipit: deniq; infirmã & languentem roborare non prorsus conterere; ac firmam, id est, homines in uirtutibus florentes cohercere, ne superbiant in donis dei, ac excidant. Cogitet autem hæc non posse perfici nisi sana & perpetua doctrina deriuata ex uerbo dei. *Ier.8. et 30. Isa.42. Matth.12.*

Docendi ratio extẽdit se ad publicas doctrinas & priuatas. Publica doctrina instituit pastor publice uel Catechumenos uel Perfectiores. Catechumenis quidem tradit elementa ueræ religionis. Comprehendit enim Catechesis rudimenta fidei & doctrinæ Christianæ, nempe capita fœderis, decalogum, symbolum apostolorum, Orationem dominicam, & breuem sacramẽtorum explicationem. Veteres ecclesiæ Catechistas habuere peculiariter huic muneri consecratos. Commẽdauit autem nobis dominus in utroq; testamento miris obtestationibus pubem, præcipiens ut ipsam tempestiue & diligenter in uera religione instituamus. Magna insuper præmia & grauissimas pœnas proponit. Nullus certe fructus ab auditoribus catechesi non probe instructis expectari potest in ecclesia. Nesciunt enim qua de re loquatur doctor ecclesiæ, cum audiunt nominari Fœdus, Prçceptum, Legem, Gratiam, Fidem, Orationem, Sacramenta. Proinde maximam hic, ficubi aliãs, adhibere decet diligentiam. *De ratione docendi ecclesiam.*

Perfectiorum doctrina uersatur præcipue in expositione scripturæ sanctæ. Ex ueterum episcoporum scriptis constat in primitiua illa felici & sanctissima ecclesia moris fuisse, non partes aliquot librorũ canonicorũ, neq; locos aliquot delectos ex his, sed libros integros tam noui quàm ueteris testamenti enarrare ecclesijs. Neq; hinc modicus ad ecclesias redibat fructus. Sicuti hodie quoq; experimur ecclesias non posse erudiri melius, & has non posse affici uehementius, quàm ipsis dei uerbis, fideliq; interpretatione librorum euangelij, legis, prophetarum & apostolorum. Vbi obiter monemus interpretationem scripturarum non esse quiduis confingendi & quolibet detorquendi scripturas libidinem, sed scripturarum religiosam collationem & donum singulare sancti spiritus. Nam S. Petrus, Scriptura prophetica non est, air, priuatæ interpretationis. Proinde nemo habet potestatem scripturas exponendi pro suo arbitrio. Neq; alligatur maiori parti melior expositio, quasi melior sit interpretatio quæ plures habet consentientes. Ita enim Christianismum multis parasangis præcederet Arianismus & Turcismus. Melior expositio est, quæ non pugnat cum fide & dilectione, nec detorquetur ad defendendam ac propagãdam hominum gloriam *Interpretatio scripturæ.* *2. Pet.1.*

& auaritiam. Verum dixi de Interpretandis scripturis Sermone 1. Decadis primæ. Nisi uero commode applicetur scriptura pro ratione locorum, temporum, rerum & personarum cuiuslibet eccle-się, & in hunc finem (quod & 3. Sermone huius Decadis inculcaui) ut ædificetur ecclesia, non ut doctior aut eloquentior uideatur doctor ecclesiasticus, nullo sanè cum fructu enarrauerit plebi libros scripturæ canonicos. Commendat nobis dominus prudentem dispensatorem & ait, Quis nam est fidelis dispensator & prudens, quem cōstituet dominus super familitium suum, ut det illis in tempore demensum cibum. Et quæ sequuntur Lucæ 12. Paulus quoq; scribens Timotheo episcopo dicit, Stude teipsum probatum exhibere deo, operarium non erubescentem, recte secantem sermonem ueritatis. Cibus inutilis est, nisi dissecetur in partes. At hic nouit paterfamiliās quas partes ministret singulis in sua familia, non illud spectās quid quemuis delecter, sed quid cuiq; maxime profit. Idem apostolus omnia doctoris ecclesiastici ad ædificationem dirigenda esse docens dicit, Qui propheras hominibus, loquitur ędificationem & exhortationem & consolationem. Ergo ad perfectiorum doctrinam pertinet non tantum scripturæ sanctæ expositio, sed & dilucida uel maxime perspicua dogmatum uel rerum Christianarum demonstratio, in primis autem clara de Pœnitentia & Remissione peccatorum in nomine Christi doctrina: item obiurgatio opportuna & acris, uel grauis sed prudens scelerum accusatio. Nam dominus apostolis loquens, Vos estis sal terræ, ait, si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Huc pertinet confutatio quoq; errorum & hæresum oppressio, assertioq; doctrinę orthodoxæ. Paulus em̄ ait, Oportet uaniloquis & mentium seductoribus obdurare os, & redarguere seueriter. Neq; enim satis est simpliciter docere religionē ueram, nisi eandem quoq; constanter inculcando urgeat, defendat atque conseruet doctor ecclesiasticus. Huc maxime pertinent hæc Pauli uerba, Obtestor te coram deo & domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua & in regno suo. Prædica sermonem, insta tempestiue, intempestiue: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Nam erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur. At tu uigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage euangelistæ, ministerium tuum ad plenum probatū reddito. Opus est itaq; adhortationibus creberrimis, ut quod ecclesia per doctrinam frequentem

Applicatio

2. *Tim.* 2.

Matth. 5.

Titum 1.

2. *Tim.* 4.

&

& perspicuam intellexit uel persequendum esse, uel fugiendum, ad hortatione feruenti accensa & impulsa constanter prosequatur uel refugiat. Ac lõganimitate hic opus erit episcopo, ne statim omnem abijciat spem si uideat res non protinus ad uota succedere, & fortes aliquot aut impudentes etiam aduersarios pertinaciter reluctari. Paulus enim, Seruum domini, inquit, non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt, si quando det illis deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, ut resipiscãt è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. Opus est præterea consolatione blanda ac uiuida. Sunt enim afflicti multi, uarijs exerciti tentationibus, quos nisi fideliter consoleris, superantur à sathana. Hæc & his similia alia pertinent ad doctrinã perfectiorum. 2. Tim. 2.

Hic commemorare licet etiam Curam pauperum. Pertinet enim hæc maxime ad episcopum, & ad publicam episcopi doctrinam, qua ditiores perpetuo urgeat ad misericordiam, ut faciles sint ad impartiendum. Egregia huius rei exempla reliquit nobis apostolus Paulus in omnibus suis ferè epistolis, præsertim autem in 16. cap. ad Rom. & prioris ad Corin. denicp in 8. & 9. cap. posterioris epistolæ. S. Petrus, Iacobus et Ioãnes curã pauperũ S. Paulo diligentissime commendarunt, quemadmodum ipse Paulus commemorat in 2. cap. ad Galat. Et quamuis Petrus dispensationem alicubi recusat, in hoc tamen est totus ut pauperibus dentur dispensatores pij & fideles. Iccirco pertinet ad pastores maxime cura pauperum ne negligantur, sed ueluti Christi membra foueantur humanissime. *Cura pauperum.* *Acto. 6.*

Priuatum doctrinæ genus nihil differt reipsa à publico illo, sed priuatum appellatur propter discentes. Accedit enim aliquis pastorem, Nicodemi instar, & cupit ab ipso maxime familiariter de rebus ipsum peculiariter urgentibus erudiri. Denicp ipse pastor priuatim adit et instruit eos quos certis indicijs didicit priuatis colloquijs facilius posse lucrari Christo, quàm publicis concionibus. Præterea admonet priuatim: & in tempore cauet, ne imprudentiores profundius malis immergantur. Huc pertinet uisitatio & ægrotorum & captiuorum, quos omnes fidelis pastor nõ negligit, sed inuisit hoc diligentius, quo grauius ipsos tentari intelligit. Vigilat enim pastor bonus super uniuersum Christi gregem, cui insidias struit sathanas circumcursitando, quærens quos deuoret. Huic obsistunt orando, admonendo, docẽdo & adhortando. Quod si quælibet ecclesia pastorem talem habeat, qui gregem non deserat facile, quantum obsecro sperabimus fructum? Proinde non immerito iubemur indesi- *Priuatum doctrinæ genus.*

Oratio pro fidis pastoribus.

nenter & ardenter orare dominum, ut is ecclesiæ suæ det pastores fideles, prudentes, pios & sedulos.

Quæ coniuncta doctrinæ.

Hæc hactenus dixi de doctrina episcoporum in ecclesia dei. Nisi uero doceat ad hunc modum episcopus, & ea faciat quæ doctrinæ cõiuncta sunt, episcopi aut pastoris aut doctoris nomine indignus est, utcunq; prætexat apostolici titulum. Adhærent autem doctrinæ ecclesiasticæ quædam, quæ & ipsa requiruntur à pastore euangelico ac sunt officij eius, cuiusmodi sunt congregare cœtum sacrum in quo prædicetur & oretur, & administrare sacramenta. Sed de his suo loco dicetur.

De uita sancta et inculpata episcoporum.

Matth. 5.

Porrò inspiciendum uidetur quomodo episcopi sancto uitæ exemplo regant ecclesiam Christi. Dominus in euangelio ad apostolos suos dicit, Vos estis lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra montem situm, neq; accendunt lucernam, & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis. Proinde pastores non tantum doctrina, sed & uita sancta prælucent ecclesiæ: quę uidens uitam congruere doctrinæ, commouetur & ipsa ad innocentiam uitæ colendam. Plurimum enim potest exemplum uiri boni sanctum ad proganda studia uirtutum. In contrarium testatur scriptura plurimum potuisse corruptum filiorum Heli antistitum religionis exemplum ad corrumpendum uidelicet populũ.

2. Sam. 2.

Scriptura enim dicit, Erat autem peccatum filiorum Heli grande nimis coram domino, quod homines abhorrere inciperent à sacrificijs domini. Videntes enim homines corruptam ministrorum ecclesiæ uitam, subdubitare incipiunt de tota doctrina, clamantes, Si uera esse crederet pastor quæ nos docet, non ipse ita dissolute uiueret. Huiusmodi ergo doctores uita praua subuertere dicuntur quod sana doctrina ædificarunt. Proinde Paulus requirit episcopum uel populi pastorem, qui sit irreprehensibilis, id est qui iure & merito à fidelibus reprehendi nõ possit. Alioqui enim quo quisq; syncerior & integrior fuerit episcopus, hoc magis erit impiorum calumnijs & contumelijs obiectus, domino hoc ipsum prædicente in euangelio, Si ipsum patremfamilias uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Item, Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Et iterum, Beati estis cum probra in uos iecerint homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniã merces uestra multa est in cœlis. Curabit ergo pastor summo studio, & quantũ in ipso

Matth. 10. Ioan. 15. Matth. 5.

est,

eſt, ut domi & foris uitam ſe & ſua uocatione dignam uiuat. Caſte uiuat tam extra quàm in ipſo coniugio. Floreat in epiſcopo temperantia, ſobrietas, parſimonia uel frugalitas, hoſpitalitas, & reliquæ uirtutes quas ſuperius ex apoſtolo commemorauimus. Familiam ſuam prudenter gubernet, & ſancte inſtituat, ac ita coherceat, ne crimine luxus aut aliis ſceleribus offenſionem eccleſiæ obijciat. Sic enim & apoſtolus Paulus præcepit (qui rurſus formans ſtudia epiſcopi) Donec uenero, inquit, attende lectioni, exhortationi doctrinæ. Requirit diligentem à Timotheo lectionem, id eſt, ſtudium aſſiduum, quo poſſit euidentius exhortari & docere. At ſtudium aſſiduum ab eo requirit Paulus, de quo alibi ſcribit, ipſum à puero ſacras nouiſſe literas. Quantam ergo diligentiam requirit apoſtolus ab illis, qui ut tantam ſpiritus gratiam aſſecuti non ſunt, quantam aſſecutus fuerat Timotheus, ita non à pueris in ſacris ſunt exercitati literis? Pudeat ergo multos ſuæ inertiæ, pudeat illiterati otij, & negotioſi otij. Vt enim multi nunquam quicquam legunt, ſed otiantur perpetuò, otioq; ueluti computreſcunt: ita innumeri alij in ijs occupantur quæ epiſcopos minime decent. Rurſus itaq; apoſtolus, Nemo qui militat implicatur uitæ negotijs, ut ei qui ſe in militiam delegit, placeat. Eſſet hic locus dicendi de ſtipendio paſtoribus debito: ſed differemus in locum alium. Foris autem apud populum, ſi quando ob negotia prodeant epiſcopi, cœtibusq; hominum honeſtis interſint, non ſegniore opera anniti debent, ne dicto aut facto ullo, ne amictu, ne ſodalitio, aut uniuerſa denicq; conuerſatione uitæ iuſtum eccleſiæ præbeant offendiculũ. Conſpiciatur in paſtoribus ubicq; & ſemper ſancta integritas, maturitas iuſta, honeſtas decens, prudentia, modeſtia, humanitas, humilitas & authoritas dei miniſtris digna. Abſint autem his contraria uitia ſiue flagitia. His pauculis comprehenſa puto, quæ alij fuſe tractarunt diſſerentes de diſciplina & honeſtate clericorum. Omnia enim ſæcula intellexerunt in omni gradu & hominum genere malam eſſe uitam diſſolutam, in miniſtris autem eccleſiarũ peſſimam & intolerabilẽ. Quid enim efficiat in eccleſia eccleſiæ miniſter, cuius omnis intercidit authoritas? Requiritur ergo in paſtoribus authoritas.

1. Tim. 4.

Authoritas paſtorum.

Hanc concidiſſe queruntur multi, & collapſam fulcris neſcio quibus, titulis inquam, ceremonijsq; ſubleuare cõtendunt. Verum non paratur authoritas rebus huiuſmodi leuiculis & uulgaribus. Paratur potius dei gratia, ueritatis & integritatis ſtudio: ſi uidelicet deus corda tangat hominum, ſi hi intelligant deum per miniſtros tanquam per organa ſua operari opera ſua in medio eccleſiæ: ſi ſen

tiant ſpiritus feruore non frigide miniſtros negotia domini agere, nihil metuere in cauſſa bona, nihil timere impios & potentes huius ſęculi, ſed his obſiſtere: nihil tamē hic indulgere odio, ſed animo paterno, forti, cōſtanti & prudenti agere omnia. Quibus ſi iam accedat non hypocritica, ſed uere ſancta & integra uita, mores integri, ſuaues & iucundi, ſatis authoritatis paratum ſentient fideli miniſtro omnes uiri prudentiores.

Propter uitam nō bonam doctoris non reiicienda doctrina bona.

Nollem tamen his uel tantillum Donatiſtis & Anabaptiſtis patrocinatum. Contendunt uerbi & ſacramentorum miniſterium, à miniſtro impurioris uitæ adminiſtratum, eſſe inefficax. Tametſi enim uita à miniſtro ſancta requiritur, non inefficax tamen redditur miniſterium, miniſtri uita exiſtente impura, modo doctrina ſit integra atq; ſyncera. Dominus enim in euangelio iubet audire docentes in cathedra Moſis, uetat autem imitari ipſorum opera. Do-

Matth. 23.

cere enim bona, ſed non facere. Dixi hac de re Sermone huius Decad. 2. Nazianzenus pulchre ait eundem eſſe figilli typū, ſiue ferro inſculpatur ſiue auro. Vnum atq; idem eſt euangelium, unus atq; idē eſt cœleſtis à patre miſſus theſaurus, ſiue hic à bono ſiue à malo afferatur nuncio. Interim uero impura miniſtrorum eccleſiæ uita nō diſſimulari, ſed coherceri, incurabilesq; è gradu ſuo deijci debēt, ne perpetuò offendiculo infame reddant ſanctum miniſterium.

Cæterum cur hæc tractas, aiunt multi, pro concione publica: priuatim hæc dicenda fuerant ſacerdotibus. Reſpondeo ipſas leges ad ſacerdotes prçcipue pertinentes, quondam principibus populi eſſe communicatas & prælectas ipſi populo. Præterea conſtat Chriſtū dominum noſtrum ea quæ peculiariter pertinebant ad doctores paſtoresq; populi in publicis tractaſſe concionibus. His accedit quod

2. Tim. 5.

S. Paulus loquens de presbyteris, Peccantes coram omnibus argue, inquit, ut & cæteri timorem habeant.

Scriptura ſancta, quæ ſumma diligentia bonos & fidos paſtores doctoresq; deſcribit, non minore fide & ſedulitate etiam pſeudodoctores & depaſtores depingit, in hoc ut agnoſcantur ab omnibus ſanctis, & caueantur. Obuia ueniunt hæc ubiq; in ſcriptis prophetarum & apoſtolorum. Singulares tamen locos ſi qui uelint cognoſcere, extant Deut. 13. & 18. Iſaiæ 56. Iere. 23. Ezech. 34. Danielis 11. Matth. 7. & 23. Paulinæ epiſtolæ in his deſcribendis & confutandis ſunt denſiſſimæ. Et S. Petrus in his conuellendis bonam partem epiſtolæ poſterioris inſumit.

Eorundem propheterarum & apoſtolorum teſtimonia atq; exempla tradunt miniſtros ſanctos & fidos paſtores omnigenis diuexan-

dos

dos fore afflictionibus persecutionibusq;. Illa ipsa interim manifeste testantur, ministerium nunquam opprimendum fore, sed ministros perpetuò triumphaturos uel morientes. Semper enim dat dominus ecclesiæ suæ ministros, qui etsi ut aurum igni probantur, uincunt tamen per illum qui mundum & principem mundi superauit. Postrema sæcula corruptissima erunt, sicuti fuisse leguntur tempora Noë & Loth: uerum sicuti tunc quoq; in extrema illa deprauatione hi duo uiri excellentissimi cum nonnullis præstantiss. in omni pietate uiris ueriscq; dei cultoribus floruisse, & suum officiũ fecisse leguntur, ita in finẽ usq; sæculi durabit & ministeriũ uerbi, & florebunt doctores pastoresq; egregij, oppugnantes & persequentes omnem impietatem & luxuriam. Cessent hostes ueritatis sperare excidium & ministerij & ministrorum uerbi dei. Ero, inquit dominus in euangelio, uobiscum, omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi. Mentiri nescit qui hæc dixit. Idem spiritu oris suĩ antichristum conficiet, inquit apostolus, quem mox abolebit glorioso suo aduentu in iudicium. Erunt itaq;, uel ipsis portis inferorũ inuitis & insaniẽtibus, ministri ecclesiæ, & prædicatores ad finem usq; sæculi.

Ista autem de ministerio uerbi & ministris ecclesiarum Christi, qua potui breuitate complexus sum hactenus. Nostrum uero non est tales formare uel dare pastores. Dei gratia & beneficio dantur boni pastores, & auferuntur è medio mali. Deum ergo inuocemus omnes, orantes ut ipse nobis fideles & sanctos det episcopos, quo nomen eius sanctificetur semper, & ecclesia dei feliciter gubernetur ad salutem omnium credentium.

De modo & ratione orandi deum, hoc est, de inuocatione nomi-
nis domini, ubi & Oratio dominica exponitur, & de cantu, de
gratiarumactione ac uirtute orationis dicitur. SER. V.

POST tractationē ministerij uerbi dei in ecclesia Christi, cōmodissime dicturus uideor de Oratione fidelium, ad quam ministri fideles ecclesiam nunquam adhortari desinunt.

Oratio quid sit?

Vocabulū Oratio patet latissime apud scriptores, & in usu quotidiano: in præsenti usurpamus ad eum modum, ad quem usurpauit propheta Dauid, dicens, Exaudi deus orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Est enim oratio supplex & ardens fidelis animi expositio, qua à deo uel bona petimus, uel pro acceptis gratias agimus. Etenim duæ sunt potissimum partes Orationis, Inuocatio uel Petitio, & Gratiarumactio. Petitione cordis nostri uota & desideria deo exponimus, postulantes ut det nobis bona, & auertat à nobis mala, pro gloria & bona uoluntate sua, & pro necessitate nostra. Comprehendimus in inuocatione uel petitione Obsecrationē, quæ uehementior est oratio, & Interpellationem, qua aliorū negotia cōmendamus domino. Preces enim offerimus domino deo nostro, non pro nobis ipsis duntaxat, sed & pro fratribus nostris, & pro fratrum uarijs necessitatibus, pro laborantibus in periculis, pro ægrotantibus, pro persecutionem sustinentibus, aut alijs calamitatibus ac tentationibus ferè oppressis. Ergo nec Deprecationē excludimus, qua mala à nobis uel ab alijs auerti postulamus. Sunt etiam querelæ quibus cum deo sancti in precibus suis sancte expostulāt. Gratiarumactio & laudes diuinas continet, & uirtutes dei eximias, beneficiaq; à deo accepta alacri spiritu celebrat. Huc refertur bona pars Psalmorum, quorum alia ad inuocationem pertinet. Et sunt quidam didactici, quidā exegetici. De quibus iam non est dicendi locus. Has uero orationis partes agnoscens beatus Christi apostolus Paulus, scribens Colossensibus, Orationi instate, inquit, uigilantes in ea, cum gratiarūactione. Et ad Philip. In omni precatione & obsecratione cū gratiarūactione petitiones uestræ innotescant apud deum. Et rursus ad Timotheum, Adhortor ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarumactiones pro omnibus hominibus.

Orationis partes.

Coloss. 4.
Phil. 4.
1. Tim. 2.

Species orationis.

Species orationis hæ sunt. Est oratio priuata cuiuscunq; fidelis, est & publica totius ecclesiæ. Priuata oratio fit ad deum à quouis fidelihomine, quouis in loco, siue domi siue foris, in conclaui cordis & proprij

& propriȝ corporis templo. Nam S. Petrus aſcendens ad ſuperiores domus partes orat. S. Paulus, Volo, inquit, in omni loco orare uiros, ſuſtollentes puras manus. Ipſe quoque Chriſtus dominus frequentius ex ipſo templo in montem orandi cauſſa ſeceſſit, & in euangelio dixit, Tu cum oras, introito in conclaue tuum, & occluſo oſtio tuo, ora patrem tuum qui eſt in occulto &c. Publica oratio eſt eccleſiaſtica, quæ fit ad deum in cœtu ſacro, iuxta receptum cuiuſq; eccleſiæ ritum. Porrò paſtorum eſt, quod & Paulus monuit 1. Timoth. 2. ac nos in Sermone præterito proxime diximus, conuocare, inſtruere & conſeruare cœtus, in quibus ſupplicationes uel preces publicæ fiant. Et culpādi ſunt ualde, qui hac parte negligentiores ſunt, nec ferendi planè qui raro aut nunquam ſeriò docent, & precandi ſtudiũ frigidius urgent. Homines natura ignaui & ad ſtudium religionis ſegnes ſunt: unde ſtimulo acuto indigemus. Datum eſt autem officium excitandi & urgendi paſtoribus eccleſiarum. Clamant alicubi prophetæ, Clangite tuba in Zion, indicite cœtum. Etenim in Cœtu ſacro tria potiſſimum exercẽtur, doctrina euangelij, oratio fidelis, & religioſa ſacramentorum celebratio uel adminiſtratio. Fit nonnunquam & collatio in ſuſtentationem pauperum & eccleſiæ. Hæc non hominum bene placito, ſed diuina authoritate, & ab ipſa mox origine rerum inſtituta & à ſanctiſſimis dei cultoribus uſurpata eſſe teſtatur ſcriptura ſacra. De Patriarchis illis longe ueruſtiſſimis & primis diluuium præcedentibus & mox conſequentibus nihil reſtat dubij: cum de ipſo Iacobo nepote Abrahami ſcriptura manifeſte cõmemoret quod aram erexerit in Bethel ad quam collegerit uniuerſam domum ſuam, copioſiſſimam alioqui, ibidemq; cultum exhibuerit deo. Sub Moſe per legem ſignificantiſſimis præceptis cœtus ſacros inſtituit. Imò in decalogo diligentiſſime præcipit ſanctificare ſabbatum: id quod & cœtus ſacros comprehendit. Sancti dei prophetæ ubiq; & ornarunt & commendarunt cœtus populi dei eccleſiaſticos. Nec hos improbauit in carnem ueniens Chriſtus dominus. Sicut enim in cœtibus frequentiſſimis feſtisq; ſingulari docuit diligentia, ita ipſe in cœtum recollegit & populum & diſcipulos ſuos: quibus ſingulariter mandauit ne diſcederent Hieroſolyma, ſed ut expectarent promiſſum patris: id quod in cœtu collectis & precantibus præſtitũ legimus in Actis cap. 2. Ibidem & cœtus populi fidelis commendatur nobis, ſicut & in 11. & 14 cap. prioris epiſtolæ Pauli ad Corinthios. Supplicationes quas idem fieri mandat pro omnibus in eminentia conſtitutis, in cœtibus maxime ſacris fiũt. Certe Plinius, author ethnicus, non

Acto. 10. *1. Tim. 2.* *Matth. 6.* *De Cœtibus ſacris.* *Gene. 35.* *Exod. 20.* *Lucæ 24.* *Acto. 1.*

obscuram facit sacrorum cœtuum mẽtionem Traiano imperatori scribens. Olim habuerunt Cœtus sacri promissiones præstantissimas, sicut uidere licet in oratione Solomonis, quam descripram tibi exhibet prior liber Regum cap. 8. Hodie uero nihilo minores promissiones habet Christi ecclesia, dicente Christo domino, Dico uobis, quod si duo ex uobis consenserint super terrã, de omni re quam cunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. En ipse dominus est in medio cœtus sanctorum. Vbi autem dominus est, ibi & plenitudo & thesaurus bonorum omnium est. Ideoq; ipsa rerum experientia docet efficaces esse supplicationes ecclesiæ. Exaudit enim preces ecclesiæ dominus, & liberat à malis, illos quorum salutem ecclesia domino commendat. Sæpe experti sumus ea ipsa hora præsentissimum sensisse auxilium in discrimine positos, qua preces suas domino obtulit cœtus. Præterea permouet exemplum plurimos, alioqui duros & barbaros. Cernunt enim Cœtus sacri religiosam pietatem fideliumq; in cœtibus ardorem, & commouentur, ut in seipsos descendentes agnoscant se miseros esse, cupiantq; huius cœtus esse consortes. S. Paulus, Si conuenerit tota ecclesia in idem, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem indocti aut increduli, nónne dicẽt uos insanire? Quod si omnes prophetetis, ingrediatur autem incredulus, aut indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, ac procidens in faciem adorabit, renuncians quod deus reuera in uobis sit. Qua ergo confidentia quóue pudore audent nõ nulli Cœtus sacros negligere et neglectos suggillare, quasi sine fructu colligantur? Dauid actus in exilium, de nulla re perinde dolet, quàm quod cœtibus sacris exclusus, per deserta oberrare cogeretur. Promittit autẽ domino se in cœtum sacrum ingressurum, siquidem restituatur. Certe cum dominus in euangelio dicat, Qui ex deo est, uerbum dei audit, consequens est diligentes cœtum in quo annunciatur uerbum dei genuinam habere filiorum dei notam.

Matth. 18.

1. Cor. 14.

Orandum esse.

Quoniam uero multi non tantum sacros cœtus fastidiunt, sed et preces in uniuersum aiunt esse superuacuas, inanes, & inefficaces, priusquam progrediamur, demonstrabimus orandum esse sanctis, orationesq; sanctorum & efficaces esse & utiles, adeoq; necessarias. Prouidentia dei omnia fiunt, inquiunt, ergo preces sunt inutiles. Quod enim præsciuit deus, id omnino eo modo in effectum deducit, sicut præsciuit, nec impediri potest precibus. Cæterum isti abutuntur dei prouidentia, utpote ex qua colligunt quod non docent colli-

colligere eloquia sacra. Nam in Deut. disertis uerbis Moses scriptũ reliquit, Decreuerat uos dominus delere, Oraui igitur ad dominũ, & inueni gratiam. Ionas Niniuitis denunciauit excidium adeo certum à domino, ut etiam dierum numerum ediceret. Sed cum uiri Niniuitæ crederent domino, & pœnitentiam agerent, rediit cum ipsis in gratiam dominus, nec pœnitentes excidit. Dixerat præterea Isaias Ezechiæ ex ore domini, Morieris tu, & non uiues. Cum uero ex imis præcordijs domino preces funderet rex, mutauit deus latam sententiam. Nam dominus ipse apud Ieremiam, Repente loquar aduersus gentem & regnum, inquit, ut excindam illud Si pœnitentiam egerit gens illa, cõtra quam loquutus eram, à malitia sua, iam & me mali pœnitebit quod ei facere constitueram. Et cætera. Proinde efficaces sunt fidelium preces, irata dei iudicia retardantes, adde & è medio sustollentes. Nam quod rursus obijciunt, orationem esse expositionem rerum, quas postulamus à domino, Dominum autem omnia præscire, eidem ergo inutiliter & superuacue ea quæ nouit exponi, ideoq; inutilem esse orationem: ab ipso diluitur Christo domino, qui cum diserte dixisset, Nouit pater uester cœlestis, qui uobis rebus opus sit uobis, priusquam petatis ab eo, nihilominus tamen formulam precandi subijciens docet nos orare. Alibi præcipit & urget ut frequenter oremus. Vigilate & orate, ait, ne intretis in tentationem. Et Paulus, Semper gaudete, inquit, incessanter orate. Huius generis ubiq; multa occurrunt præcepta. Neq; uero res nostras ut nescienti exponimus, sed uota cordis nostri scienti proponimus, & nos ad pedes maiestatis eius humiliamus. Petimus ab illo, quod scimus nobis deesse, sed ab ipso, utpote omnium bonorum authore, certo dandum. Credimus enim certis & infallibilibus eius promissis: interim preces non sunt superuacaneæ, quia dominus certo daturus erat quod petebamus. Promisit deus liberationem populi sui, de qua sancti nihil dubitarunt prorsus, attamen indefessis precibus supplicarũt domino, clamantes, Libera nos domine deus noster: nec existimarunt se inutilem nauare operam. Anabaptistis prætexentibus purificationem plenam, & ideo puros nõ posse nec debere orare, Remitte nobis debita nostra, cum nulla restent debita: respondet sanctissimus euangelista et apostolus Ioannes, ac dicit, Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Donec enim in hoc sæculo uixerimus, re-

Deute. 9.

Ionæ 3. & 4. cap.

Isa. 38.

Ier. 18.

Matth. 6.

Ier. 29.

1. Ioan. 1.

manent reliquiæ peccati, omnibus & singulis momentis eluendæ
Ioan. 9. per gratiam Christi. Porrò obijcientibus, Scriptū est, Scimus quod peccatores deus non audit. Sumus autem omnes peccatores: nemi nem ergo nostrum audit deus, atq; ita inutiles inueniuntur homi num preces: respondemus peccatores quidem alios esse prorsus im pios & contemptores numinis, hos nō audit deus: Sunt rursus pœ nitentes & timentes dei homines, qui tamen peccatores sunt & re ctè sic uocantur, propter peccati reliquias: hos audit deus. Id quod ostendi poterat exemplis Dauidis, Manassis, Petri, Latronis cum Christo crucifixi, et multorum aliorum, qui simul & peccatores fue runt, & ora ntes exauditi sunt.

Necessa rias esse preces.

Ideoq; dicimus preces fidelium nō modo utiles & efficaces esse, sed etiam necessarias hominibus. Homines enim peccato corrupti, omnis boni egeni & inanes sumus, Omnis donatio bona et omne
Iacobi 1. donum perfectū, è supernis est descendens à patre luminū. Is iussit orare, & promissiones amplissimas orantibus proposuit. Vnde & patres nostri frequentissimi & ardentissimi fuerunt in precibus, suo nos exemplo docentes necessarias esse preces. Scriptura item dili genter & copiosè commemorat, quanta suis precibus in rebus & di scriminibus maximis, in rebus utiq; maxime necessarijs, impetraue rint à ueracissimo & benignissimo domino & deo nostro. Postu lant spiritum sanctum, fidem & fidei augmentum apostoli, & acci piunt postulata non parce sed liberaliter, participantes omnigena Christi gratia. Clamat in templo apud euangelistam publicanus &
Lucæ 18. ait, Deus propitius esto mihi peccatori: ac sentit protinus clemētem dominum. Quid & quanta precibus suis impetrarit à domino He lias, commemorat historia sacra. Porrò exemplū eius nobis quoq
Iacobi 5. accommodauit beatus Iacobus apostolus, ut et nos fide inuocemus dominum. Id quod commemoro ne quis illud nihil ad nos perti nere existimet. Rursus quantum potuerint fideles preces Mosis, Da uidis, Iosaphat, Ezechiæ & aliorum heroū in bellis, in fame, in mor bis, & in alijs discriminibus summis, longum esset recitare. Probāt autem hæc exempla orationem & necessariam esse semper homi
Mouetur deus preci bus nostris. nibus & maxime efficacem. Nam palàm cernimus moueri deum precibus suorum fidelium. Etenim bonus est & misericors: diligit nos: incarnatus est, ut posset sensu infirmitatum nostrarum afficiri ne abhorreremus ab ipso: uerax & fidelis est, fideliter quæ promi fit seruans. Quid quod ubiq; liberaliter & benigne omnes homi nes ad se uocat, totum se offerens in fide inuocantibus?

Cæterum

Cæterum quod orantes non semper accipiunt petita, non euincit orationem prorsus esse inanem. Prodest enim non raro oranti postulata non accipere. Sunt præterea caussæ plures cur deus petita uel differat, uel non concedat. Est genus hominum precantium, de quibus scriptum legitur, Qui obturat aurem suam ad clamorẽ pauperum, clamabit & ipse, & non exaudietur. Item, Cum multiplicaueritis orationes uestras, non exaudiam. Quia manus uestræ plenæ sunt sanguine. Ira in Solomone rursus clamat Sapientia, testificans se inuocantes non auditurum, eò quod & ipsi prius audire noluerint in tempore admonentem. Hæc ferè ex persona orantium petita sunt: ex re illud deriuatur quod sequitur, Dicit beatus Iacobus, Petitis & non accipitis, eò quod male petatis, ut in concupiscentias uestras insumatis. Nã & dominus duobus alioqui selectis discipulis postulantibus primatũ in regno Christi, respondens dicit, Nescitis quid petatis. Præterea cum sancti res petunt sanctas & necessarias, aut certe nõ iniquas, aut malas, quas tamen nihilo minus non accipiunt à domino, cogitant, ptinus deum iudicij & iustitiæ esse deũ, ideoq; nõ protinus liberare posse ex afflictionibus, liberationẽ continuis petentes precibus. Quos diligit corripit: & quos corripit non ideo ut perdat, sed ne cũ impio mundo condemnet, corripit. Licet autem in talibus difficultatibus orare cum Dauide, Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me: & cũ Ieremia, Domine, corripe me in iudicio, non in furore: & cum Abakuk, Cum iratus fueris recordare misericordiæ tuæ. Nihil dubitant sancti de potentia & bonitate dei erga homines. Quod uult deus, & prodest filijs dei, deus potest facere. Exempla huius rei innumera suppeditat nobis historia uetus & euangelica. Proinde cũ non liberamur, cum non accipimus uota nostra, certissimũ est hoc sic uelle deũ, & sic conuenire nobis. Hac ratione exaudit uota nostra cũ non exaudit. Vota enim nostra huc unice tendũt, ut bene sit nobis. Deus aũt cum solus sapiens norit quid prodesse, quid obesse queat, et nõ largitur nobis quod petimus, non largiendo reuera cõcedit, ut bene sit nobis. Semper itaq; efficax est legitima fideliũ oratio, ac semper finẽ suum assequitur, domino suis concedente quod bonum esse nouit.

Quare orantes non semper petita accipiant.

Porrò differt præstare dominus quod rogatur, adeoq; & preces nostras aliquoties prorsus negligere uidetur: sed id facit ut differendo suos, ꝓbet ut fidẽ flagrantiorẽ reddat, dona quoq; sua iucundiora faciat, quæ tanto maiore suauitate percipiuntur, quanto ardentiori desiderio expectata sunt. In hac tentatione cõsoletur illud propheta, Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ut non misereatur

Quare deus differat dare quæ datus est. *Prou. 21.* *Isa 1.* *Prouer. 1.* *Iaco. 4.* *Matt. 20.* *Prouer. 3.* *Hebr. 12.* *Psal. 38.* *Isa. 51.*

filij uteri sui? Et si illa poterit ipsius obliuisci, ego tamẽ tui nunquã obliuiscar. Dixerat enim ecclesia, Dereliquit me dominus, & deus oblitus est mei.

Quis inuocandus sit orantibus.

Consideremus iam qualis esse debeat oratio inuocantis dominum. Non poteris ea quæstio explicari commodius, quàm circumstantiarũ præcipuarum pensitatione. Videamus ergo primum quis inuocandus sit orantibus: nemo utiq; nisi unus & solus deus. Nã tria requiruntur ab eo qui inuocatur. Primum, Vt audiat omnium hominũ in toto terrarũ orbe preces, ut eorum corda penetret & exacte teneat, adde & rectius & melius omnia hominis uota norit q̃ ipsi homines explicare possint. Secundũ, ut sit ubiq; præsens, & omnium in cœlo, in terra, & in inferis potens, qui teneat omnes uias et omnes modos iuuandi. Tertium, ut eximie bona, prompta, & parata sit eius uoluntas, ut quod potest uelit etiam. Cęterũ in solo deo inueniuntur hæ conditiones. Solus enim scrutatur renes & corda deus: solus omnia audit & uidet: solus plenius nouit ea quæ intra & extra hominẽ sunt, q̃ ipse homo: solus ubiq; præsens est: solus omnipotens est: solus sapiens: solius dei uoluntas perfectissima bonitate hominẽ cõplectitur, & semper parata est, & sola quod homini utile est fidelissime ꝓcurat: solus ergo deus inuocari debet. Quis autem illas conditiones etiam selectissimis in cœlo animabus citra blasphemiã & sacrilegiũ tribuerit? Proinde animæ in cœlis cũ deo uiuentes non sunt inuocandæ. Præsertim cum scriptura uerbis di-

Isa. 63.

sertis testetur Abrahã & Iacobum ignorare nos, & præcipiat deum inuocare, prohibeat autẽ ea quæ dei sunt cõmunicare creaturis. Et ut nihil præterea cõmemoremus, cui obsecro sanctorum uel diuorum in cœlo agentium, dicere poterimus absq; pudore, Pater noster qui es in cœlis, & ea quæ sequuntur in oratione dominica? Inuocemus ergo deum solum patrem illum cœlestem, quem solum inuocarunt omnes quotquot fuerunt in ecclesia sancti.

Per quem inuocetur deus pater.

Quando uero nemo mortaliũ, quantũuis bonus & sanctus esse uideatur, dignus est prodire in conspectũ æterni & sanctissimi dei: id quod omnes homines uno ore confitentur, multi quidẽ & uarij patroni, intercessores & aduocati, delecti & recepti sunt ab orantibus, per quorum interuentum uel ipsi ad deum perducerentur, uel ipsorum preces deo offerrentur. Proinde alij delegerunt sibi angelos, alij apostolos, alij sanctissimam & inter omnes mulieres benedictam illam uirginem matrem, alij alios, prout spem bonam in hos uel illos defixerant. Atqui confinxerunt hæc sibi ex proprij cordis arbitrio, non didicerunt ex ore domini. Scriptura unica ueri

tatis

tatis regula, unicum nobis proponit mediatorem, interceſſorem, patronum & aduocatũ, per quem accedamus deum, & per quem offeramus preces noſtras domino. Ingratæ & abominabiles ſunt omnes omnium hominũ orationes, quæ non fiunt per Ieſum Chriſtũ. Nec patitur uera fides ut aliũ aduocatũ pro Chriſto, uel aliquẽ aliũ cum Chriſto in conſpectu dei fingamus, aut ut ipſi ſoli ſine aduocato Chriſto in conſpectũ dei patris prorumpamus. Secernuntur hic ueri Chriſtiani à Iudæis, à Mahumeticis, adde et à Papiſtis. Iſti enim filium dei contemnentes, patrẽ ſolũ inuocant ſine interuentu Ieſu Chriſti. Sed pronunciat contra ipſos uox dei per euangeliũ, & per apoſtolos. In euangelio legimus dixiſſe dominũ, Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filiũ ſicut honorant patrẽ. Qui non honorat filiũ, non honorat patrẽ qui miſit illum. Et iterũ, Ego ſum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem niſi per me. Porrò Ioãnes apoſtolus & euangeliſta dicit, Quiſquis negat filiũ, is ne patrẽ quidẽ habet. Hi uero non ſolũ agnoſcunt Chriſtũ eſſe interceſſorẽ, ſed pro ipſo uel cũ ipſo diuos, uti patronos, apud deũ inuocandos docent. Cæterũ idem ille Ioan. apoſtolus aduocatũ oſtendens Chriſtianis hominibus, non ſe ſtatuit, non diuos pro Chriſto, aut illos cum Chriſto proponit, ſed, Aduocatũ, inquit, habemus apud patrem Ieſum Chriſtũ iuſtũ. Nec aliũ oſtendit Paulus in 1. ad Timoth. 2. & ad Hebr. 7. cap. Ad Epheſ. Per Chriſtum, ait, audemus accedere cum fiducia per fidẽ in ipſum, &c. Sufficit Chriſtus credentibus, utpote in quo uno repoſuit pater omnia bona, iubens illa in ipſo & per ipſum precibus poſtulare. Sufficiunt hæc minime rixoſis mentibus. Plura qui uelint, requirant ex 5. Sermone Decad. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

1. Ioan. 2.

Dixi quis orandus uel inuocandus ſit piis dei cultoribus, & per quẽ, ſolus deus per unicũ dei filiũ dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ: inſpiciamus modo quæ cõmoueant hominẽ ad inuocandũ deum: præcipue quidem ſpiritus dei noſtri. Oratio enim recte inter gratiæ munera deputatur. Neq; enim poſſemus ſeriò & ex animo deum noſtrũ inuocare, niſi ſpiritu dei excitati atq; impulſi. Tametſi enim præceptũ dei orare iubeat, & præſens neceſſitas periculũq; impellat, & exemplũ aliorũ inuitet ad orandum, nihil tamen illa omnia efficerent, niſi ſpiritus animos noſtros ad ſuum raperet arbitrium, & in oratione moderaretur ac retineret. Licet itaq; plures ſint concurrentes cauſſæ ad orandum cõmouentes hominem, præcipua tamen eſt origo orationis ſpiritus ſanctus. Cuius impulſum & moderationẽ ante omnes preces præfatione ſancta poſtulãt quicũq; cum aliquo fructu orant. Huc pertinent hæc S. apoſtoli uerba, Spiritus etiã opi-

Quæ cõmoueant hominem ad inuocandum deum.

Rom. 8.

tulatur infirmitatibus nostris. Nõ enim quid oraturi simus, quem admodũ oportet, nouimus. Verũ spiritus ipse intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui uero scrutatur corda, nouit cogitationem spiritus, quod secundũ deũ intercedit pro sanctis. Equidem interpellare dicitur spiritus dei, nõ quod ipse reuera precetur & ingemiscat, sed quod animos nostros excitet ad precandũ & ingemiscendum, efficiatq; ut secundũ mentẽ dei pro sanctis, id est, pro nobismetipsis intercedamus uel oremus.

Quibus oporteat instructũ esse facultatibus orantẽ.

Consideremus porrò quibus debeat instructus esse facultatibus qui orator ad deũ accedit. In primis exuat necesse est omnẽ propriæ dignitatis & iustitiæ opinionẽ: agnoscat se peccatorẽ esse & omniũ bonorum indigum, atq; ita concipiat se in merã dei misericordiam, ab hac cupiens omnibus impleri bonis. Magnus enim ꝓpheta dei Daniel, Non in iustitijs nostris, inquit, effundimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis. Sed & pares preces deo oblatas legis Psal. 79. Clamat enim populus domini, Adiuua nos deus salutaris noster: propter gloriã nominis tui libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuũ. Ne recorderis iniquitatũ nostrarũ antiquarũ, festina & præueniant nos misericordiæ tuæ. In nouo testamento apud Lucã pharisæus confidens suæ iustitiæ, repellitur & abijcitur à domino: publicanus uero ingenue confitens peccata, & misericordiam implorans dei, auditur & iustificatur. Nisi uero agnoscamus nuditatem, infirmitatẽ, & paupertatẽ nostram, quis oro orabit ad dominum? Non ualidi, sed infirmi opus habent medico. Et dominus in euãgelio, Petite ait & accipietis: pulsate, & aperietur uobis: quærite, & inuenietis. Qui uero petere iubetur ut accipiat, non habet utiq; quod petit. Qui pulsat, pulsando se foris stare significat. Qui uero quçrit, amisit utiq; ꝙd quærit. Excluſi ergo gaudijs paradysi, quod amisimus & non habemus, quærimus & petimus orando. Ergo cũ Dauid & Ezechias & alij sancti dei suam allegant orantes iustitiam, ob quã uidentur iure exauditionem postulare, non propriam quidem dignitatẽ, sed magis dei ueritatẽ respiciunt. Promisit hic se exauditurũ suos cultores. Dicunt ergo sancti, En tui sumus cultores, æquũ est itaq; ne nos negligas, sed asseras. Interim alijs locis de sua iustitia ita loquuntur, ut dubitare nõ possimus in suis precibus cum moderatione quadam & limitatione mentionem suæ feciſſe iustitiæ. Non intres in iudicium cum seruo tuo, ait Dauid, nõ enim iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens, &c.

Dan. 9.

Lucæ 18.

Matth. 9.

Fide in primis opus est orantib.

Deinde & quod primum omniũ est, fide uera & ardenti opus est orantibus.

orantibus. Doctrina ergo fidei in negotio orationis uelut matutina stella præluceat, & certa obtinendi spe à deo petat orator quod petit. Postulet cum fiducia, ait beatus Iacobus apostolus, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur & impetu rapitur. Neq; enim existimet homo ille se quicquam acceperum à domino. Nam & Paulus dixit, Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Dixi de fide Sermone Decad. 1. Vt autem fides iustis grandescat auctibus & floreat firmaq; perfistat, promissionibus & exemplis undiq; collectis elaborādum est. Nos paucula recitabimus. In libro Psalmorū legimus, Sacrifica deo laudem, & redde altissimo uota tua: & inuoca me in die tribulationis, eruam te & glorificabis me. Item, Prope adest dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inquam inuocātibus eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & clamorem eorum exaudiet, atq; saluabit eos. Rursus apud Isaiam dicit dominus, Et erit ut antequā clament ego exaudiam: & adhuc illis loquentibus audiā eos. Apud Matthæum dicit dominus, Petite & dabitur uobis, Quærite & inuenietis, Pulsate & aperietur uobis. Quisquis enim petit accipit, & qui cunq; quærit inuenit, & pulsanti aperietur &c. In eodem euangelio dicit dominus, Omnia quæ petieritis in deprecatione credentes, accipietis. Matth. cap. 21. Apud Marcum in 11. cap. eadem sententia sic effertur, Quæcunq; orantes petitis, credite, & erunt uobis. Rursus in euangelio secundū Ioannem ait dominus, Si quid petieritis per nomē meum, ego faciam. Item, Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Petite & accipietis. Ab exemplo patrum argumentatur Dauid & ait, In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & tu liberasti eos. Ad te clamauerunt, & liberati sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Inde cōcolligit & se non deserendum à domino. In euangelica historia extant exempla plurima quæ mirum in modum fidem suffulciunt & confirmant fidelium.

Iac. 1.

Psal. 50.

Psal. 145.

Isa. 65.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

Psal. 22.

Cum uero fides non sit opinio inanis, sed uirtus efficax, operās per spiritum sanctum omnis generis bona opera (quamuis his nec fidant neq; propter ipsa se exaudiri putent) non impudenter & sine pœnitentia tamen ingenio indulgent fideles precatores, uerbis tantum agentes cum domino, sed uitam sanctam coniungūt cum precibus. Solomon enim dicit, Qui subducit aurem suam ne audiat legem, etiam oratio eius erit abominabilis. Et dominus apud Isaiam, Cum multiplicaueritis, inquit, orationes uestras, nō exaudiam uos: quia manus uestræ plenæ sunt sanguine. De huiusmodi impœni

Vitæ orantium respōdeat fidei.

Proue. 28.

Isaiæ 1.

Ioan.9. tentibus hominibus illud in euangelio intelligimus, Deus peccatores non audit. Quinimò nihil impetrabunt sancti, si pro talibus
Iere.7.11 intercedere pergant. Nam Ieremias diligenter orans pro populo suo, alioqui pertinaciter impio, audit, Tu ne oraueris pro populo isto, neq; attollas pro illis clamorem & deprecationem, neq; interuenias apud me: quoniam nequaquam te exaudiam. An tu non uides quid isti faciant in ciuitatibus Iudæ? Filij colligunt ligna, & patres incendunt ignem, uxores autem farinam aqua consperſam subigunt, ut placentas faciant reginæ cœli, & ut dijs alijs libent libamina, me uero ad iram prouocent. Ad eundem modum apud Eze-
Ezec.14. chielem dicit dominus, Si malum immisero in populum hunc, & steterint tres uiri in medio eius, Noe, Daniel & Iob: uiuo ego dicit dominus deus, non liberabunt filium aut filiam, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animam suam. Iccirco consequens est, supplicationes impœnitentium hominum, impudenterq; in sceleribus perseuerantium, tametsi sine intermissione clament, Adiuua nos deus salutaris noster, Libera nos domine, Te rogamus audi nos, planè insanes esse, Seruari enim cupiunt ad uoluptates, & ad scelera patranda. Et quamuis gratis quæ petimus donet deus, necesse est tamen affectum bene uiuendi tanta dei beneficia concomitari. Diligentissime enim hic est cauendum, ne existimemus nos exaudiri propter nostras uirtutes, sed propter meram dei misericordiam in Christo Iesu.

Eleuanda est mẽs ad cœlestia. Præterea eleuet è terrenis ad cœlestia mentem quisquis cupit preces suas deo esse gratas. Ea de re eleganter & sancte differens beatus Christi martyr Cyprianus, Quando stamus, inquit, ad orationem, uigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis sæcularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solum cogiter quod precatur. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli deo pateat, nec ad se hostem dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequẽter & penetrat, et subtiliter fallens preces nostras à deo auocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in uoce: cum intentione syncera dominum debeat, non uocis sonus, sed animus & sensus orare. Hæc ille. Cæterum ut ex terrenis in cœlestia eleuetur mens orãtis, efficit maxime spiritus uera fidei, spei firmitas, & dei ardens charitas: si item cogitemus tremendam dei maiestatem coràm cuius oculis orantes stamus. Adorant hunc & reuerentur omnes creaturæ in cœlo & in terra: seruiũt ei millena angelorum milia. Cogitemus quàm utiles & necessarias res à deo petamus: sine quibus felices esse non possumus. Remoueamus

ueamus præterea omnia ea quæ uel retinent in hoc ſæculo, uel detrahunt ad terrena, cuiuſmodi ſunt accidia, auaritia & crapula, denicq; his alia ſimilia crimina. Contra uero ſtudeamus uigiliæ, ſobrietati, benignitati, liberalitatiq;. Certe ſcriptura ubiq; ferè coniungit orationi ieiunium & miſericordiam. Hę enim uirtutes alacriores & expeditiores ad orandum efficiunt per fidem. Daniel, Poſui faciem meam, inquit, ad dominum deum, ut rogarem eum oratione & obſecrationibus, in ieiunio, & ſacco, & cinere. Nec his diſſimilia tradunt Ionas & Ioel. Imò in euangelio & apoſtolorum literis ubiq; obuium habemus, Vigilate, orationi inſtate, ſobrij eſte. Nam pleno uentre, uel nullæ, uel pingues funduntur orationes. Vnde Auguſtinus dixiſſe legitur, Vis orationem tuam uolare ad deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemoſynam. Nam in Actis apoſtolorum dicit Cornelio centurioni angelus domini, Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam coram deo. *Actor. 10.*

Et ſanè requirit à nobis orationem ardentem: at non frigere non poteſt quæ charitate non inflammatur. Crudeles ergo, & fratribus ſua delicta condonare nolentes, odijq; fraterni retinentes, non poſſunt orare coram domino, dicente, Et cum ſteteritis orantes, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, ut & pater ueſter qui in cœlis eſt remittat uobis delicta ueſtra. Et iterum, Si remiſeritis hominibus errata ſua, remittet & uobis pater ueſter cœleſtis. Quod ſi non remiſeritis hominibus errata ſua, nec pater remittet uobis errata ueſtra. Nam & alibi, Itaq; ſi obtuleris munus tuum ad altare, inquit, & illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi prius & reconcilieris fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. Alioqui enim ingrata erunt omnia tua munera deo. Condonemus ergo libenter, amemus & beneficijs proſequamur proximos noſtros, ſic oratio noſtra penetrabit cœlos. *Oratio proficiſcatur ex charitate.* *Marci 11.* *Matth. 6.* *Matth. 5.*

His confine eſt, ne ore duntaxat aut uoce, ſed mente & cordis intimo affectu ſpiritu ac deſiderio oremus. Nulla exaudiebatur Moſis & Annæ matris Samuelis uox orantium, ſed fortiſſime uocifera-bantur ſpiritu ad deum, qui & exaudiuit, & illum incolumem cum uniuerſo populo Iſraelis per mare rubrum ex cruentiſſimis Aegyptiorum manibus deduxit, & hanc ſterilem quidem, fœcundam fecit. Contra uero legimus dominum in euangelio ex Iſaia hæc contra phariſęos protuliſſe uerba, Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labijs ſuis me honorat, cęterũ cor eorũ procul abeſt à me: ſed fruſtra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Recte *Nõ ore tantum ſed ex corde orandum eſt.* *Matth. 15.*

1.Cor. 14 ergo Paulus, Orabo spiritu, inquit, sed orabo et mente: spiritum uocans flatum animalem & uocem illam humanam. Condemnantur his diuinis testimonijs eorum preces qui mirabili linguæ uolubilitate & celeritate breui momento multa uerba eaq; fracta & detruncata deblaterant, uoces profundentes sine sensu. Animus enim eorum interea peregrinatur. Nullum præterea ab his sentitur desiderium, nisi hoc forte desiderium uideatur, quod acclerando finem orationi imponere cupide anhelant. In quo genere primas obtinēt monachi & sacerdotes, precio & mercede precantes, id est rem nihili magno uenditantes insano populo: non quod preces inanes sint per se, sed quod ad eum modum usurpatæ inanes sint. De his

Matth. 23. pronunciauit dominus in euangelio, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum, dum sub prætextu precibus prolixis precamini: propter hoc plus accipietis condemnationis. Scio quæ hic logodedali isti pro mercede conductis precationibus afferant, atq; obtendant: sed paucis hunc illis nodum explicandum propono. Precatores isti fidem & charitatem habent, uel non habent: si habent, gratis ex charitate orant: si non habent, inanes sunt ipsorum preces, ideoq; falsa specie decipiunt stolidam plebem, pecuniam expendētem pro orationibus iustis, cum isti persoluant iniustas. Et si iustæ erant, minime tamen uel uendendæ, uel emendæ fuerant.

Ne quid deo indignum & legibus aduersum petamus.

Requiritur & illud ab orante, ne indigna deo postulet, aut legibus dei contraria petat. Nam beatus Ioannes apostolus, Si quid petierimus, inquit, secundum uoluntatem eius, audit uos: ergo cum indigna deo petimus, non audit uos. Præterea semper & in omnibus orationibus nostris nostra uolūtas & uota nostra, deo et uolūtati eius subijcienda sunt. Itaq; nemo conetur certis circumstantijs impie alligare deum: nemo præscribat deo quo quid tempore, quo loco, aut qua ratione faciat quod est facturus. Deus solus sapiens opportunitatem iuuandi nouit. Sed & fidelis & omnipotens est, ampliora utiq; facere potens, quàm uel ipsi petamus, aut intelligamus. Id quod & Paulus dixisse legitur. Ergò non præter rationem gra-

Iudith 8. uiter irascitur uidua honestissima Iudith Osiæ sacerdoti, certum statuenti dierum numerum domino, quo absoluto liberet, alioqui facturos deditionem. Dicit autem Iudith, Quod est hoc uerbum in quo consensit Osias ut tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies non uenerit adiutorium uobis? Et qui estis qui tentatis dominum? Non est iste sermo qui misericordiam imperet, sed magis qui iram prouocet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis domini,

domini, & pro arbitrio uestro diem constituistis ei: sed quia patiens dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus. Religiosissime ergo Dauid dixisse legitur in summo discrimine, Si inuenero gratiã in oculis domini, reducet me: sin autem dixerit mihi, Non places, præsto sum. Faciat quod bonum est in oculis ipsius. 2. Sam. 15.

Iam etiã perseuerantia multa opus est in precibus. Petite, ait dominus in euangelio, & dabitur: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Hac autem uerborum congerie inculcauit orandi perseuerantiam. Petite, inquit, ferò & constanter, quemadmodum faciunt qui necessaria petunt: quærite, ut solent qui abstrusa & pretiosa scrutantur: pulsate, ut solent qui summo desiderio ad amicum ingredi cupiunt. Hæc enim omnia non modo desiderium, sed & pertinax studium consequendi perita significant. In euangelio secundum Lucam proposuit dominus parabolam huc pertinentem, quod oportet semper orare, neque defatigari unquam. Nam & Paulus dixit, Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Nemo autẽ arbitretur his uerbis domini & apostoli Psallianorum uel Euchitarum errorem cõfirmari. Illi nihil aliud quàm precabantur. Semper orare iussit dominus, id est, quanta fieri potest assiduitate, omni tempore & loco, omnibus in rebus erecto esse ad deum corde, quod semper expectet à deo bona & pro acceptis bene ficijs agat gratias: quod item postulet assidue gratiam. Tale studiũ cõmendatur nobis in Anna illa Phanuelis filia, de qua commemorat Lucas, quod à templo non discesserit, sed die & nocte ieiunijs & precationibus seruierit domino: non quod nihil aliud fecerit, nunquam curauerit corpus, nunquam ederit, biberit aut dormierit, sed quod illud assidue & potissimũ fecerit. Hodie enim sic loquentes dicimus rusticum sine intermissione laborare, & studiosum dies & noctes legere: cum interim omnes intelligant hoc locutionis genere significari assiduitatẽ & diligentiam excellentissimam operis & lectionis. Egregium indefessæ precationis aut inuocationis exemplum exhibet nobis Syrophœnissa apud Matthæũ in cap. 15. Quod si diutius æquò negligere nos uel postulata differre uidetur deus, cogitemus perpetuò prophetam dixisse, Adhuc pusillum temporis, & qui uenturus est ueniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide uiuet, &c. Hebr. 10. *Perseueran dum esse in precibus.* 1. Thes. 5. Luc. 2.

Ex his facillimum erit explicare tempus orationis, de quo etiam inquiritur, quãdo oporteat orare. Priuatim enim semper orare oportet. Semper enim dum uiuimus uaria & multiplex offertur orandi *Quando orandũ sit.*

materia. Ora ergo quoties impellit spiritus,& quoties ipsa necessitas aut res te orare compellit. Nihil tamen hic coactum sit: omnia hilari & libero prodeant spiritu. Publicæ uero preces tempori sunt astrictæ,Sunt enim horæ precandi statæ,sunt cõceptiuæ. Statæ sunt certæ illæ ab ecclesia receptæ, quibus mane uel uespere tota coit ecclesia ad audiendum uerbum dei,ad orandum,& ad participationẽ sacramentorũ. Non eodem tempore, & ijsdem horis in sacrum cœtum quondã coijsse ueteres ecclesias,testis est Socrates in historia. Et in hac quidẽ diuersitate nullum est periculũ. Conueniant ad culũ sacrũ ecclesiæ,cum maxime ipsis opportunũ,honestum,dignum & utile uidetur. Porrò conceptiuæ precandi horæ sunt, quæ pro præsenti necessitate ad certũ tempus suscipiuntur aut indicuntur ab ecclesia. Temporibus difficilibus,& in rebus grauioribus indixerunt sancti apostoli preces & ieiunia. Quod hodie quoq; sine superstitione & cum iusta moderatione licet. Et antiquissimum quidẽ hoc esse institutum liquet ex his Ioelis prophetæ uerbis, Clangite tuba in Zion,sanctificate ieiunium,indicite cœtũ,congregate populum. *Ioelis 2.*

Quid q̃ priuatim apostolus iubet secubare cõiuges ad tempus,& à licitis sibi tẽperare uoluptatibus,ut oratio in necessitate sit ardẽtior? *1.Cor.7.*

De loco orationis. Iam & de loco orationis non difficile erit iudicare. Nam ut priuatim omni tempore,ita ubiq; orare posse sanctos dixi in principio huius Sermonis. Nulli enim loco alligatur uera sanctorũ oratio, neq; in hoc loco q̃ illo melior esse iudicatur. Bonitas enim siue præstantia orationis non ex loco,sed ex mente orantis æstimatur. Nam dominus in euangelio ait, Veniet hora, & nunc est,quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate, &c. Ioan. 4. cap.

Orare in cubiculo. Minime autẽ hic prætereundi uidentur, quibus persuasum est pios nullibi orare posse nisi domi in cubiculo. Quò detorquent illa saluatoris nostri uerba,Tu cum oras,introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo ora patrẽ tuum qui est in occulto, & is qui est in occulto,persoluet tibi in propatulo. Cæterũ habent hæc antithesin ad superiora. Nam præcessit, Cum oraueritis non eritis sicuti hypocritæ:solent enim in conciliabulis & in angulis platearũ stantes orare, quo conspicui sint hominibus. His enim modo opponit, Tu uero cum oraueris introito in conclaue tuum. Quoniã autẽ in taxando orationis uitio non locũ proprie damnauit,sed figurate hoc potius dixit, Pharisæi precibus suis in plateis factis uenantur laudem & assentationẽ populi: ita ex contrario cubiculi mentionem faciens, nõ locũ proprie orationẽ uel meliorem, uel peiorem facere sensit, sed figurato sermone docuit syncero animo & alienissimo à captandis

hominum

hominum laudibus esse orandum. Nam qui mente ab affectibus tranquilla solum deum respiciens orat, in cubiculo suo orat, siue in templo siue in platea oret. Alioqui enim dominus cũ discipulis in templo, in urbe, in agro, & ubicunq; res postulabat, orauit. Sequitur item, Pater qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo. Id est, pater cui probatur animus nõ superbus, sed humilis & ab ambitione alienus, rependet tibi palàm. Publicæ autem preces fiunt in templo aut in cœtu sanctorũ: quem si quis contemnat, clamitans orationẽ nulli loco alligari oportere, nescio an Christiano nomine dignus sit, cum libertate Christiana fœde abutatur. Porrò de Cœtibus dixi paulò superius. Dicemus plura fortassis ultimo huius Decadis Sermone.

Habitus orantium.

Attingendus hic quoq; uenit orantiũ habitus. Absit autẽ omnis luxus, omnis superbia, omnis immoderatus corporis cultus ab ijs qui oraturi in templũ Christi ueniũt. Turpiter uideretur sancto magistratui illusisse, quisquis ueniã delicti postulaturus, positis pullis uestibus, candidis aũt sumptis, in cõsessum sancti senatus prodiret superbus. Dignus hic iudicaretur qui non modo repulsam pateretur, sed & concluderetur in carcerem. Quis uero neget deo illudere turpius uenientes in templũ oratũ ueniam, cum sint peccatorũ pondere oppressi, hic tamen adeò non humiliari, sed huiusmodi corporis cultu in conspectũ dei & sanctorum prodire, ut eriram dei in se de nouo prouocent, & optimos quosq; in ecclesia offendant grauissime. Proinde Paulus multis docet modestiã, honestatẽ & humilitatẽ in templo esse seruandam. Locus extat 1. Cor. 11. cap. Quod reliquum est huius negotij, beatus Christi martyr Cyprianus, cõprehendens sic scribit, Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorẽ. Cogitemus nos sub conspectu dei stare. Placendum est diuinis oculis & habitu corporis & modo uocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit uerecundo modestis precibus orare. Quidã inepte ex corporis con

Corporis constitutio nec peiorẽ nec meliorẽ reddit orationem.

stitutione orationẽ uel meliorẽ uel peiorem iudicãt. Audiant ergo beatũ Augustinum lib. 2. ad Simplicianũ Quæst. 4. dicentem, Non refert ꝙmodo corpus constituatur, dummodo animus deo præsens peragat intentionẽ suam Nam & stantes oramus, ficut scriptũ est, Publicanus de longinquo stabat: & fixis genibus, sicut in Actis apostolorum legimus: & sedentes ficut Dauid & Helias. Nisi autẽ & iacentes oraremus, non scriptũ esset in Psalmis, Lauabo per singulas noctes lectũ meum. Cum enim quisq; orationẽ quærit, collocat membra ficut ei occurrerit accõmodata pro tempore positi corporis ad

monendũ affectum. Cum autẽ non quæritur, sed infertur appetitus orandi, cũ aliquid repente uenit in mentẽ, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunq; modo inuenerit hominẽ, non est utiq; differenda oratio, ut quæramus quò sedeamus, aut ubi stemus, aut prosternamur. Tertullianus cõmemorans habitũ suæ ætatis Christianorum orantium in Apologetico contra Gentes, Ad cœlũ suspicientes Christiani, inquit, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denicq; sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus. Vbi tamen in primis recenti memoria tenere oportet doctrinam saluatoris in euangelio dicentis, Cum oraueris, non eris quemadmodũ hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Amẽ dico uobis, habẽt mercedẽ suã. Cauendũ enim nobis ante omnia, ne in hunc finẽ uel priuatim uel publice oremus, habitũq; corporis cõponamus, ut auram hauriamus populare, ut magni & sancti uideamur esse apud homines. Sat est placere deo, ac eius iudicio approbari.

Quid orandum uel petendum à deo.

In cõsideratione orationis nemo dixerit esse postremũ scire quid ores, quã rem à deo petas, uel pro quibus preceris. Cõsiderandæ hic ueniunt personæ & res. Personæ uel publicæ sunt, uel priuatæ. Publicæ sunt, episcopi, doctores, magistratus & omnes in eminentia cõstituti. Pro his orare iubet apostolica scriptura. Paulus non semel postulat intercessiones ab ecclesia ad dominum, ut liberetur ab absurdis & proteruis hominibus, & ut libere loqui possit euangeliũ, sicut loqui deceat. Pro omnibus in eminentia constitutis intercedere idem ille mandat, ut placidam ac quietam uitã degamus, cũ omni pietate & honestate. Priuatæ personæ sunt, parentes, uxor, liberi, consanguinei, affines, uicini, ciues, amici, inimici, ægroti, captiui, afflicti, denicq; proximi quicq: quorũ salutem & incolumitatem deo precibus commendare iubet natura et charitas Christiana, quibus accedũt & testimonia ac exempla scripturæ. Cæterũ res sunt ipsa bona expetibilia, quorum alia cœlestia, spiritualia, siue æterna: alia uero terrena, corporalia, siue temporalia: præterea alia quidẽ cõmunia, alia rursus priuata sunt. Cõmunia ad cõmunẽ ecclesiã & rempub. pertinent, nec paucorũ sunt sicuti priuata. Spiritualia aũt numerantur hęc maxime, fides, spes, charitas, perseuerãtia, & chorus ille uirtutũ omniũ, ecclesiæ profectus & incolumitas, peccatorũ remissio, & uita æterna. Inter quæ non inepte recẽsentur dona ingenij, artes ingenuæ, scholæ bene institutæ, fidi doctores, magistratus sanctus, leges æquæ. Corporalia sunt, respub. tranquilla, robusta

Ephes 6. 2. Thes. 3. 2. Tim. 2.

robusti in bello exercitus, bona ualetudo, robur & forma corporis, amplæ uel sufficientes facultates, incolumitas & felicitas uxoris, liberorum, amicorum & ciuium, defensio, pax, integra fama, et quæ huius generis sunt alia. Nemo autem nescit potiorem haberi oportere rationem spiritualium, quàm corporalium: & ante omnia petenda esse cœlestia. Ac in corporalibus quoq; habēdus est delectus, ut priuatis bonis communia anteponantur. Salua enim republica, salui esse possunt ciues. Scholis integris, spes est nunquam defore prudentes, & æquos gubernatores reipublicæ. Sunt præterea in bonis temporalibus alia alijs præstantiora. Hæc ergo sancti ante alia postulant à domino, sed minus præstantia tamen & ipsa à domino dari intelligunt, ideoq; & à domino petunt. Parum exercitati in scripturis contendunt, non licere à deo precibus postulare bona corporalia. Verum confutantur multis scripturæ exemplis. Non enim patriarchæ, prophetæq;, sed & apostoli Christi à deo postularunt bona temporalia, defensionem ab hostibus, integram famā, & alia corpori necessaria. Id quod mox discemus ex forma orandi, quam nobis tradidit ipse dominus, diligenter quid petamus exponens.

Licet petere à deo bona corporalia.

Venit & hoc in quæstionem, qua lingua sit orandum. Qui contendunt Latina priuatim & publice esse orandum, mihi insanire uidentur, nisi loquantur de Latinę linguæ doctis. Quando enim nō ore tantum ac uoce, sed corde & mente orandum est, quomodo obsecro corde & mente orabit, qui lingua utitur non intellecta? Sancta quidem uerba pronunciat, uerum quid dicat ignorat. Nihil aut nunquam orare, & uerba non intellecta profundere orando, in idem omnino recidunt. Oret itaq; gens quælibet ea lingua, quam maxime & familiarissime intelligit. Non minor insania est, in publicis cœtibus uti lingua peregrina: atq; hæc quidem res maximorum in ecclesia malorum seges fuit. Quæcunq; egerunt & recitarunt ueteri populo in ecclesia à deo ordinati sacerdotes, & diuinitus missi prophetæ, non Chaldaica, non Indiana, aut Persica, sed Hebraica, id est uulgari & materna egerunt & recitarunt. Sed & libros uulgari lingua scripserunt. Christus dominus unà cū suis apostolis usus est uulgari lingua. Apostolos dono linguarum instruxit, ut cuiq; genti loqui possent. Et quoniam eo sæculo lingua Græca omnium fuit copiosissima, uulgatissimaq;, apostoli non Hebraica, sed populari Græca lingua scripserunt. Sanè decet ea quæ in communi templo pro cœtu sacro fiunt, intelligi ab omnibus. Alioqui enim frustra coirent tot homines in cœtum. Vnde luce meridiana clarius est, eos qui peregrinas linguas in templum dei induxerunt, omnia

Qua lingua orandum sit.

contúrbasse, ipsum ardorem mentium extinxisse, adeoq; orationem ipsam & usum orationis, adde & omnem fructum actionum ecclesiasticarum sustulisse ex ecclesia. Et Latinus quidem princeps Latinam hanc abominationem in templum dei induxit. Clamat hic impijssime factum si Germania, Anglia, Gallia, Polonia, Pañonia, & oret & omnia ecclesiastica officia peragat, lingua non Romana uel Latina, sed Germanica, Anglicana, Gallica, Polonica, Pannonica. S.
1. Cor. 14. Paulus semel hanc controuersiam dirimens, disertis uerbis, Si orem lingua, inquit, spiritus (flatus) meus orat, at mens mea fructu uacat. Quid ergo est? Orabo spiritu, sed orabo & mente. Canam spiritu, sed canam & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem quid dicas nescit. Tu quidem gratias agis, uerum alius non ædificatur. Ego quidem, deo gratia, magis quàm uos omnes linguis loquor: malo tamen quinq; uerba mente loqui in ecclesia, ut & alios instituam, potius quàm decem milia uerborum lingua. Et hunc quidem locum citauit Iustinianus Imperator in Nouell. Const. 123. ubi districte episcopis ac presbyteris præcipit, non tacito modo, sed clara uoce, quæ à populo exaudiatur, sacram oblationem & preces in sancto baptismate adhibitas, recitare, quo maiore exinde deuotione in depromendis dei laudibus audientium animi efferantur. Constat præterea ipsum Gregorium magnum lingua patria, suis in urbe Romanis ciuibus esse loquutum: id quod ipse testatur in Præfatione Comment. Ezech. ad Marianum episcopũ. De Græcis episcopis nemo nescit omnia in ecclesijs suis sacra, patria peregisse lingua, ac in eadẽ nobis sua reliquisse scripta. Insani ergo & amentes meritò iudicabimur, nisi nostra quoque in templo sacra peragentes utamur lingua, cum tot & tãta præcedant & ecclesiarum præstantissimarum & clarissimorum ecclesiæ antistitum exempla, ut iam non repetam disertissimam S. Pauli apostoli doctrinam.

De Cãtu ecclesiastico. Postulat hic locus ut nonnihil dicam de Cantu ecclesiastico, & Horis canonicis. Nemo autẽ existimet preces uoce humana decantatas deo gratiores esse, quàm simpliciter recitatas. Deus enim nec uocis humanæ suauitate flectitur, nec rauca recitatione precum offenditur. Fide & pietate mentis, non ulla specie externa, commendatur oratio. Externa illa propter nos ipsos excitandos magis adhibentur: quanquam & ipsa parum efficiant, nisi spiritus domini corda nostra inflammet. Et Canendi quidem ritum longe uetustissi-
2. Par. 29. mum esse nemo potest negare. Leuitas enim in ueteri ecclesia diu

ante

ante Christi tempora cecinisse, & iubente quidem deo cecinisse, testantur sacræ historiæ. Rursus neminem negare opinor operosam illam per Dauidem in templum dei illatam musicam, & cæremonijs accensert, & eandem unà cum templo & cæremonijs dispa ruisse De domino nostro Iesu Christo, qui est Messias uerus & consummata legis perfectio, non legimus quod uspiam cantarit, uel in templo, uel extra templum, aut quod uspiam discipulos suos docuerit cantare, uel præceperit cantum ecclesijs tradere. Quod enim apud Matthæum & Marcum legitur, καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, huiusmodi est, ut non cogat necessario intelligere dominum cum discipulis suis cantauisse. Potest enim hymnus, qui est laus deo debita, sine modulatione uocis suppliciter recitari. Certe uetus interpres utrobiq; tum apud Matthæum, tum apud Marcum constanter uertit, Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum. Erasmus in Matth. reddidit, Et cum hymnū cecinissent: at Marcum uertens, dixit, Et cum hymnum dixissent &c. Vtrobiq; uero legitur ὑμνήσαντες. Significat autem ὑμνέω laudo, aut laudes celebro, quod cantu quidem sed & citra cantum fieri solet. *Matth. 26. Marc. 14.*

Quanquam uero nec ipse dominus cantum præcepisse discipulis, nec hos ecclesiæ cantum tradidisse, aut ipsos in Actis apostolorum in cœtibus sacris cecinisse legimus, Corinthiorum tamen ecclesiam uel sua sponte, uel immitatione quadam ecclesiæ ueteris psallere incipientem non cohercuit Paulus, quod hūc à ueteri plurimū differre uideret. Permisit ergo psalmodiam, sed prætulit interim prophetiam seu concionandi munus, requisiuit item modum & mentem â psallentibus: sine quibus proculdubio & oratio & cantus non modo inutilis, sed & noxius est. Orabo spiritu, inquit apostolus, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Nec scio si uspiã aliãs cantus in cœtibus sacris meminerit apostolus nisi huc referre libeat quod Paulus scriptum reliquit in 3. cap. ad Colossenses: quanquam & priuata poterat uideri institutio. Nam quod in epistola ad Ephesios his uerbis scriptum reliquit, Ne inebriemini uino, in quo luxus est, sed impleamini spiritu, loquentes uobis ipsis per psalmos & hymnos, & cantiones spirituales, canentes & psallentes in corde uestro domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi, deo & patri, quale sit ex occasione & contextu uerborum facile iudicatur. Nihil enim dicit de cantu publico in tẽplis fieri solito, sed de priuata ratione cantandi. Respexit enim ad conuiuia luxuriosa, in quibus ferè solent à bene potis cantillari carmina parum uerecunda. Vos ergo ne inebriemini uino, inquit *Paulus cæ nentes non cohercet.* *1. Cor. 14.* *Ephes. 5.*

apostolus, ne camaueritis parum pudicas cantilenas, quin potius si cantare libet, psalmos spirituales & cantiones cantate. Quibus & illud accedit, quod in his quoq; magis cordis iubilum quàm uocis modulationem requirit, tantum abest ut unquam inconcinnos uel publicos uel priuatos clamores probauerit. Quanquam simpliciot sensus fuerit, si intellexerimus in corde, dictum esse pro exanimo. Proinde nemo potest uel debet moderatam & religiosam psalmodiam siue publice in cœtibus sacris, siue priuatim domi usurpetur, improbare. Ac plurima quidem testimonia inuenias in historia ecclesiastica, per Eusebium & Sozomenum edita, perhibentia, orientales ecclesias, iam inde ab apostolorum ætate psalmos & hymnos cantauisse Christo domino. Inuenias & illud, decretis aliquot in Concilijs constitutum esse, ne quid in cœtibus sacris aliud uel legatur, uel canatur præter scripturam canonicam. Mature enim in ecclesia nec modus seruabatur, nec sola legebatur scriptura canonica, nonnullis uidelicet sua subijcientibus carmina.

Ecclesiasticus cantus uetustiss.

Qualis fuerit ueterũ cantus.

Hic tamen duarum in hoc negotio excellentium rerum admonendam duxi C. V. Prioris, Cantum ueteris ecclesiæ longe alium fuisse, quàm is sit qui hodie est in usu. Recte enim Erasmus Roterodamus iudicat ueterum cantum aliud non fuisse, quàm distinctã & modulatam pronunciationem, cuiusmodi hodie quoq; superfit modulatio Psalmorum, Euangelij, & Orationis dominicæ. Certè Plinius Asiæ Procos. didicerat ex diligenti rerum perquisitione, uel examine, Christianos stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo quasi deo dicere secum inuicem. Locus Plinij extat in epistola eius ad Traianum epist. lib. 10. Sed & Rabanus Maurus lib. Instit. cler. 2. cap. 48. Primitiua ecclesia, inquit, ita psallebat, ut modico flexu uocis faceret resonare psallentem, ita ut pronuncianti uicinior esset quàm canenti. Hęc mutuauit ille ex 33. cap. lib. 10. Confes. S. Augustini, qui ibidem diserte fatetur se peccare si magis capiatur uocum dulcedine quàm sensu uerborum, ideoq; desiderare ut omne melos cantilenarum suauium, quibus Dauidicum frequentatur psalterium, ab auribus suis ipsius q; ecclesiæ, remoueatur. Tutius enim uideri quod recordetur sibi sæpe dictum de Alexandrino episcopo Athanasio, qui tam modico flexu uocis fecerit sonare lectorem psalmi, ut pronuncianti uicinior esset quàm canenti. Posteriores, cantum, utcunq; uetus sit institutum, nunquam tamen fuisse uniuersalem & necessitate impositum ecclesijs, sed liberum, nec in omnibus ecclesijs semper usurpatum. Quibus accedit, quod & Sozomenus testatur, eos qui cantarũt, non ijsdẽ precibus, uel psalmodijs,

Cãtus liber fuit, nũquã uniuersalis. Sozome. li. 7. ca. 19

aut

aut lectionibus, aut eodem tempore esse usos. Socrates historiarum lib. 5 cap. 22. In summa, in omnibus ubiq; regionibus, inquit, non poteris inuenire duas quæ omnino cõsentiant orando. Et occidentales quidẽ ecclesias sero recepisse Psalmodiã aut canendi ritũ, liquet uel ex ipso Augustt. testimonio, qui lib. Confess. 9. cap. 7. cõmemorat Ambrosiũ pressum Iustinæ imperatricis Arianæ insidijs & persecutione, secundum morem Orientalium partium, instituisse, ut hymni & Psalmi canerentur, ex quo retenta sit psallendi consuetudo, & recepta ab alijs quoq; orbis partibus. Priusquam tamen canendi ritum occidentales ecclesiæ recepissent, habebantur ab omnibus orientalibus pro ueris ecclesijs, nec cuiquam ueniebat in mentem, ideo hæreticas aut schismaticas, aut non recte institutas esse, quod cantu uel psalmodia destituerentur. Nemo colligebat, Orientis ecclesiæ cantant, Occidentis non item: ergo non sunt ecclesiæ.

Concordia in cantu ecclesiastico.

Hæc integritas & libertas si mansisset incolumis & intemerata, hoc est, si ueteri illa modulatione nihil extra canonicas scripturas esset cantatũ, si libertas mansisset ecclesijs canendi uel non canendi, profecto nullum hodie in ecclesia esset certamen de cantu ecclesiastico. Quæ enim cantarẽt ecclesiæ, ueteri modulatione uerbum dei & solius quidem dei laudes cantarent, nec hac parte se alios excellere existimarent, neq; nihil canentes cõdemnarent: cum hæ quoq; non despicerent sobrie & pie cantantes. Si enim pij in studio pietatis, in q; assiduis precationibus perseuerent, licet non canant, filij dei nihilominus manent. Neq; uero omnes & ubiq; cantus ædificat: neq; omnes ecclesiæ ad canendum sunt idoneæ. Quid quod Rabanus eodem loco, quem modo citauimus? Propter carnales, inquit, non ꝓpter spirituales, in ecclesia cõsuetudo cantandi instituta est, ut qui uerbis nõ cõpungũtur, suauitate modulaminis moueãtur, &c.

Cãtus Gregorianus.

Cæterũ Cantus de quo hodie contenditur, non est uetus ille cantus, quinimò ueteri & materia ferè & modulatione per omnia contrarius. Vulgus Gregorianum uocat, non utiq; à magno illo Gregorio, qui cantui non admodum propitius fuisse uidetur, uti claret ex eius constitutione, quæ legitur in Regist. eius parte 5. cap. 44. Rectius ergo sentire uidebimur si referamus ad Gregorium V. qui sedisse dicitur circa annum domini 995. & opera prꝛterea usus, nescio cuius Roberti Carnotensis. Sunt tamen qui Viraliano, sunt qui Gelasio ascribant. Piget cõmemorare quæ hic contexit Durandus in Rat. diuin. lib. 5. Nam hæc parum moror.

Quæ uituperanda in cantu ecclesiastico.

Plurima in hoc ueniunt uituperanda. Principio enim multa, imò pleraq; cantantur contra ueram pietatẽ, nec cantantur ex scripturis

ſanctis omnia, ſed ex legendis, neſcio qualibus, & ex hominũ traditionibus. Et quæ cantantur ex ſcripturis, ita ferè detorquẽtur & corrumpuntur, ut nihil genij diuini maneat reliquum. Inuocãtur creaturæ ac homines mortui. Deinde præcipitur hic cantus, cantaturq; nõ ſponte & liberali ſpiritu, ſed coacte: imò cantatur pro pretio, & ut beneficium eccleſiaſticum, quod uocãt, recipiatur. Cantatur duntaxat à clericis ad hoc conductis, non à tota, ut quondam, eccleſia Chriſti. Nec ullus eſt cantandi finis aut modus. Cantatur dies atq; noctes. Huic inepto & etiam impio cantui tanquam operi diuino meritorioq; tribuitur plus q̃ uera fides admittat. Multiloquium eſſe dicas quod dominus apud Matth. prohibuit atq; condemnauit ceu ethnicam ſuperſtitionem. Cantatur præterea lingua peregrina, & paucis nota, ideoq; ſine omni fructu eccleſiæ. Auditur diu ſonus ſine uerbis ſignificantibus, ſuſpenſus, & ſurſum deorſumq; deflexus. Certant non raro inter ſe cantores uocibus, ita fit ut totum templum rauco detonet boatu, ac per uocum contentiones auditores quid canatur parum intelligant. Nihil nunc dico de muſica, quam figuratiuã uocant, & de muſicis inſtrumentis, quæ omnia penè organo ut uocant cõtinentur. Nihil nunc dico de nænijs, ſiue orationibus pro defunctis. De quibus etiam alibi diſputauimus. Hæc aũt & his ſimilia ita occuparunt totum eccleſiaſtici cultus tempus, ut minimũ aut nihil cedere poſſit ueris precibus & ſanctæ diuinæq; prædicationi uerbi dei. Iccirco iuſtiſſimis de cauſſis euãgelio credentes, huiuſmodi cantũ nec uſurpãt, nec in templo dei ferunt: religioſiſſime autem, ſimul & prudentiſſime agere uidentur, qui optimã temporis partem, aut ipſum etiam tempus totum cœtuum eccleſiaſticorum ardentibus tranquillisq; precibus & ſanæ annunciationi uerbi dei, intermiſſo illo cantu, impendunt: præſertim cum difficile ſit cantum tolerabilem alioqui ſic circũſcribere ac cohibere, ne aliquando iuſtas excedat metas.

De Horis canonicis.

Porrò fuiſſe ueteribus certas & conſtitutas horas, quibus priuatim & publice orarunt domi & in cœtibus, teſtatur multis locis tota ſcriptura ſancta. Dauid non ſemel in Pſalmis ſuis dicit, ſe acceſſurũ dominũ mane & ueſpere. Daniel tribus in die horis adorabat dominum. Rurſus Dauid, Septies in die laudẽ dixi tibi. At per ſepties intellexit multoties. Sic enim alibi quoq; legimus ſcriptum, Percutiam uos ſepties, propter peccata. Et iterum, Septies cadit iuſtus, & reſurgit. Item, Si ſepties in die peccarit frater tuus, & conuerſus fuerit, &c. Septies ergo certis locis etiam in hoc Dauidis ponitur pro multoties. Chriſtus aũt dominus priuatas fideliũ preces, quod ſu-

Dan. 6.

Leuit. 26.

Prou. 24.

Luc. 17.

perius

perius quoq; diximus, neq; loco neq; tempori alligauit: publicas nō
ſuſtulit. Non enim confuſionis, ſed ordinis eſt dominus. Sed & di-
ſcipuli eius cum agerent in gente Iudaica, obſeruabant & ipſi, liber
tate non neceſſitate, & propter cœtus maxime, conſuetas gentis ho
ras precandi. Nam Petrus & Ioannes aſcendunt in templum ad *Actо.3.*
horam precationis nonam. In die pentecoſtes erant omnes ſancti *Actо.2.*
unanimiter congregati, ac ſpiritum ſanctum acceperunt ad horam
diei tertiam. Legitur & Petrus priuatim in ſuperiorem domus par- *Actо.10.*
tem circa horam ſextam aſcendiſſe. Sublato templo & diſperſis Iu-
dæis, eccleſiæ ex Gentibus collectæ horas collectarum uel cœtuum
non obſeruarunt pares, ſed pro libertate prout cuiq; eccleſiæ uideba
tur maxime opportunū. Cuius quidē diuerſitatis meminit & eccle *Trip. lib.*
ſiaſtica hiſtoria. Ferè tamen uſurpatæ ſunt ad cœtus horæ matutinæ *9. cap. 30.*
& ueſpertinæ. S. Hierony. exponens non ritum uniuerſalis eccleſię
quid faciat in cœtibus ſacris, ſed quid ſua ſponte chori ſolitariarum
uirginū ſoleant, in epitaphio Paulæ, Mane, inquit, hora tertia, ſexta,
nona, ueſpere, noctis medio per ordinem Pſalterium cantabāt. Die
tantum dominico ad eccleſiam procedebant, ex cuius habitabant la
tere, &c. Ita ad priuatam inſtitutionem pertinet, quod eiuſdem gene
ris legitur ad Lætam de inſtit. filiæ, & ad Demetriadē de cuſtodien-
da uirginitate. Ac maiores uel celebriores quidem eccleſiæ (quas
hodie appellant Cathedrales, nimirū à cathedra, uel ab ordine pro
phetarum ibi docentium aut profitentium, qualis quondam fuiſſe
uidetur eccleſia Antiochena, Corinthiaca, Alexandrina & ſimiles)
certis horis, nimirum matutinis ac diurnis uel etiam ueſpertinis, ad
tractationem ſeu excuſſionem ſanctarū canonicarum ſcripturarū
conuenerunt. Fundamenta eius obſeruationis collocata uidentur
in eccleſia Corinthiorū. De qua apoſtolus 1. Cor. 14. cap. abunde
teſtatur. Euſeb. eccleſ. hiſt. lib. 5. cap. 9. ſcholæ eccleſiaſticæ Alexan-
drinæ mentionē faciens, Ab antiquo, inquit, ſacrarū literum doctri-
na & exercitiū apud eos uigebat: quæ conſuetudo etiā ad nos uſq;
perdurat, quā & à uiris eloquentia diuinarūq; literarum ſtudio po
tentibus inſtitutam eſſe accepimus, &c. nimirum ad exemplū Co-
rinthiacæ eccleſiæ. Veſtigia huius ſaluberrimi ritus nonnulla appa
rebant aliquando in occidentali eccleſia, ſicuti colligere eſt ex S. Am
broſij & Auguſt. ſcriptis. At his quidem ipſis & mox inſequētibus
tēporibus, cū perpetuis bellis omnes ppe gētes colliderentur, ac in
ultionē ſanguinis Chriſti, ſanctorū apoſtolorum & martyrū, iuxta
uaticiniū Danielis & beati Ioan. apoſtoli & euang. Romanum im
periū diſcerperetur, & præda fieret omnibus populis, Hinc irruen-

tibus Gothis uel Germanis, illinc in ceruicē Romæ inuolantibus Hunnis alijsq; barbaris militibus, dissipatæ sunt optimæ scholæ, ar serunt nobiles bibliothecæ, perierunt honesta & bona studia, unde & ecclesijs dati sunt doctores, ueteribus illis maxime dissimiles, qui ea non erant instructi facultate ut possent sacras tractare literas, fe licitate tanta quanta tractauerant priores. In hac dissipatione, ne ni hil remaneret tractationis canonicarum scripturarū, apparet emer sisse uiros doctrinæ canonicæ non omnino negligentes, qui totam scripturam canonicam ita in partes & per totum anni spatium di stribuerunt, ut licerer semel in anno Biblia uniuersa, Psalterium au tem crebrius, imò singulis septimanis absoluere. Psalmi orationis locum obtinebant: quibus succedentibus temporibus & aliæ multę preces coniunctæ, ac lectio ipsa scripturarum uideretur omni expo sitione carere, patrū lectiones & homeliæ postremo adiectæ sunt: non ut soli sacerdotes hæc sibi secreto legerent (sicut hodie ferè fieri solet) aut ut hæc precum loco festinantissima lectione immurmura rent: sed ut palàm in templo apud populū, & ad ædificationem ec clesiæ exercendo peragerent. Vt iam non cōmemorem hunc ritum non fuisse receptum ab omnibus, tantū abest ut fuerit districte præ ceptus. Cuius quidem rei nonnulla insunt uestigia Distinct. 15 san cta Rom. Cæterum à lectione Canonicarum scripturarum, horæ, quibus legebantur illæ, canonicæ uidentur appellatæ: sicuti et cano nici à studio & lectione canonicarū scripturarum. Quo autem tem pore hoc, & à quibus primum authoribus factum fit, liquidò non constat. Tribuunt huius quiddam alij Hierony. alij Damaso, alij ue ro Pelagio eius nominis secundo, alij Gelasio et Gregorio. Quoniā uero homilę & lectiones nō paucæ Bedæ, & alijs posterioris sæculi doctoribus ascribūtur, deniq; multa alia in his precibus horarijs le gūtur quæ nullā planè uetustatē resipiunt: certe longe ut uarie diuer sisq; contextū temporibus ita recentius est institutū q̄ Papistæ existi ment. Nec desunt qui tradant rogante Carolo magno Paulū diaco num, uel monachū Cassineñ. & Isuardū monachū Lectiones, illas maxime quæ de diuis sunt, in horis istis legi cōsuetas, selectas tradi disse. Vtcunq; uero hæc habeant, certissimum est horas illas hodie præceptas & canonicas appellatas, non diuinum, sed humanū esse inuentū, & laceras corruptasq; ueteris prophetiæ reliquias uel um bras: quibus præterea multas fabulas & ineptias esse attextas nega ri nō potest. Certe talis hodie mixtura apparet, ut uideatur indignis sima planè quę in ecclesia Christi porrò uel usurpetur uel toleretur, nisi magis uelimus uentribus quibusdam quàm toti ecclesiæ con

sultum

sultum. De quibus hæc hactenus.

Postremo loco excutiendũ restat quomodo orandum sit, quibus uerbis, aut qua sit utendũ orandi formula. Formæ quidem orandi plures sunt, sed nulla melior ea quã tradidit dominus noster unice charus deo patri filius. Nec ulla certior est quæ omnia breuibus cõprehendit. Hac summa præscripsit quid sedignum, quid sibi acceptum, quid necessarium nobis sit, quid denicq; concedere ipse uelit. Vnde beatus Cyprianus orationem dominicam explicans inter alia, Qui fecit uiuere, inquit, idem docuit & orare, benignitate scilicet qua & cætera dare & conferre dignatus est, ut cum prece & oratione quam filius docuit apud patrem loquimur, facilius exaudiamur, uereq; & spiritualiter adoremus. Quæ enim potest magis spiritalis esse oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & spiritus sanctus missus est? Quæ uera magis apud patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est ueritas, de eius ore prolata est? Vt aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa: quando ipse posuerit & dixerit, Reijcitis mandatum dei ut traditionem uestram statuatis. Oremus itaq; fratres dilectissimi, sicut magister deus docuit. Amica & familiaris oratio est, deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationẽ. Agnoscat pater filij sui uerba cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in uoce. Et cum ipsum habeamus aduocatum apud patrem pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri uerba promamus. Nam cum dicat, Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis: quãto efficatius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si peramus ipsius oratione. Hæc ille. *Quomodo sit orandũ.*

Ex his contexitur quæstio, an ita uerbis orationis dominicæ alligati simus ut alijs omnino uerbis orare nõ possimus? Respondeo noluisse dominum ita nos conceptis astringere uerbis quasi alijs uerbis aut forma alia uti non liceat: sed proposuit uniuersalia quædam, ad quę omnes nostras preces referamus. Nam & Augustinus ad Probam de orãdo deo, ostendit nihil uspiam in sacris literis esse oratum, quod non comprehendatur oratione dominica. Nam si per omnia precationum sacrarum uerba discurras, inquit, nihil inuenies, quod non ista dominica cõcludat & contineat oratio. Quibus mox subijcit, Vnde liberum est alijs atq; alijs uerbis eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. Consultissime ergo faciunt, qui omnes suas orationes ad orationem referunt dominicam, cui & primas tribuunt, & hanc perpetuo in animo retinentes meditantur atq; exercent. *An ad uerba orationis dominicæ simus alligati.*

Quid neceſſe ſit deo uota noſtra uerbis exponere.

Quæri ſolet & aliud, Quid neceſſe ſit deo uerbis exponere uota noſtra cum omnia prius norit? Diximus mox ab initio huius Sermonis, orationem noſtram eſſe humiliationem coram maieſtate diuina, quibus inſuper hæc adijcimus, Non exponimus deo uota noſtra uelut neſcienti, aut ut ignorantem doceamus, aut ut operoſa & eleganti oratione deum flectamus, ſed propter nos ipſos uerbis uti mur quibus nos excitemus. Et in hunc finem ſanctiſſimi quiq; uiri dei prolixe uota ſua domino expoſuiſſe leguntur in Pſalmis & in hiſtorijs. S. Hieronymus, Nos non ſumus narratores, inquit, ſed oratores. Aliud eſt enim narrare ignoranti, aliud ſcientem petere. In illo indicium eſt, in hoc obſequium. Ibi fideliter indicamus, hic miſerabiliter obſecramus. Et beatus Auguſtinus, Nobis uerba neceſſaria ſunt, inquit, quibus commoueamur, & inſpiciamus quid petamus: nõ quibus dominum ſeu docendum, ſeu flectendum eſſe credamus.

Quomodo prohibitum multiloquium.

Proinde cum dominus multiloquium uel battologiam in oratione prohibuit, non ad modica & ſuccincta uerba orationem fidelium ſimpliciter aſtrinxit, ſed prohibuit ne ethnicorum more multa uerba ſine ſenſu & mẽte profundamus, & deinde exiſtimemus nos exaudiri propter multiloquium precumq; frequentem iterationem: quod hodie arbitrantur falſo ad numerum orantes, & roſaria contexentes. Subiungit enim dominus, Putant fore ut ob multiloquiũ exaudiantur. S. Auguſtinus diſtinguit inter multum loqui & multum precari. Multum loqui, inquit, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere uerbis. Multum precari autem eſt, ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerũq; hoc negotium, plus gemitibus quã ſermonibus peragitur. Et mox, Non eſt improbum uel inutile cum uacat orare prolixius. Nam de ipſo domino noſtro ſcriptum eſt, quod pernoctarit in orãdo, quod prolixius orauerit. Vbi quid aliud quàm nobis præbuit exemplũ? Hæc ille. Quod ſi cui difficile eſt prolixius & continue orare, interrumpat orationem licet, ſed ad eandem crebrius reparandam recurrat. Talis enim breuiloquentia in orando laudem meretur. Et ut hunc locum finiamus, nemo exiſtimet ſe orando neſcienti deo narrare res noſtras: nemo exiſtimet ſe exaudiri propter expoſitionẽ & propter operoſam quidem & exactam expoſitionẽ ſæpiusq; repetitam & intenſiſſimis clamoribus auribus diuinis inculcatam: nemo exiſtimet ad numerum certum eſſe orandum, hoc eſt orationes dominicas deo noſtro tanquam non bene memori et male fidei domino baccis globuliſq; collectis, & quaſi ad calculũ reuocatis, eſſe annume-

annumerandas. Etenim talia non citra fœdissimam superstitionem fiunt.

Quoniam uero dixi, quod & omnes pij per totum terrarum orbem confitentur, absolutissimam orandi formulam nobis esse traditam Oratione dominica ab ipso domino nostro Iesu Christo, refiat ut sanctissimam illam diuinissimisq; uerbis compositam uerbotim ex ore domini, sicut eam nobis Matthæus apostolus retulit, recitemus, deinde eandem, qua fieri potest breuitate & perspicuitate, exponamus, quo rectius quisq; quod orat intelligat, afficiaturq; penitius. Orationis diuinissimæ formula hæc est. *Orationis dominicæ expositio.*

Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, ita in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem: sed libera nos à malo, Amen.

Sacrosancta hęc domini Iesu Christi seruatoris, doctoris & summi pontificis nostri oratio catholicæ ecclesiæ tradita, ut sit catholica orandi deum formula, distingui solet in Præfatiunculam & petitiones sex. Alij septem numerant. Tradunt quidam priores tres petitiones seruire præcipue gloriæ dei propagandæ, posteriores nostri curam gerere, & ea quæ nobis necessaria sunt postulare. Videntur autem pleræq; utrumq; continere. Præfatiuncula hæc est, Pater noster qui es in cœlis. Hac inuocamus & consecrantes nos deo totos conijcimus in eius curam & misericordiam. Ac singula uerba ingentia habent mysteria. Voluit enim dominus orare nos sensu magis quàm uerbis. Hæc ergo admonent & cogitanda sufficiunt, mens uero instructa spiritu sancto, quem ante omnia orãtibus necessarium diximus, eleuataq; in contemplationem dei rerumq; diuinarum, hæc deuote & ardenter meditatur. Et Patris quidem uocabulum multarum simul rerum nos admonet. Principio enim docet nos omnes preces nostras, non alij offerendas esse, quàm ei qui pater sit, hoc est solum deum esse inuocandum, nec alium pro hoc, aut alium cum hoc. Vnus est enim deus & pater noster, plenitudo & sufficientia bonorum omnium, in quo solo fideles acquie- *Orationis dominicæ distinctio.* *Pater.*

ſcunt, & extra quem nihil uerorum bonorum quærunt. Et certe nō poteſt hæc oratio ulli creaturæ offerri. Cui enim angelorū, aut ſanctorum, uel diuorum dixeris abſq; ſacrilegio, Pater noſter qui es in cœlis? &c. Deinde docet nos patris uocabulum per quem patrem hunc inuocemus, non per interuentum & ora diuorum, ſed per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum: per quem ſolum facti ſumus filij dei, qui alioqui naſcimur & eramus natura filij iræ. Quis obſecro auderet prodire in conſpectū dei ſummi & æterni, & hunc appellare patrem, ſe filium, niſi in dilecto & naturali ſuo filio nos adoptaſſet in filios gratiæ pater? Dicentes ergo pater, loquimur ex ore filij, qui ita nos orare docuit, & per quem euecti ſumus in hanc dignitatē: ut nihil ſit neceſſe adijcere nomen Chriſti, ac dicere: Oramus te pater cœleſtis per Chriſtum: cum in prima uoce Pater, totum myſterium filij dei redemptionis q; comprehendamus. Quia enim pater eſt, nos filij ſumus, id q; per meritum Chriſti, patrem ergo inuocamus & appellamus per Chriſtum: ut iam non repetam quod ſic oramus ex ore Chriſti. Præterea eximit nobis blandum patris uocabulum omnem cordis diffidentiam. Patrem enim appellamus non tam creationis uniuerſi ratione, quàm erga nos ſingularis paternæq; beneuolentiæ. Vnde licet dominus ſit deus, & magnus quidem dominus & deus omnipotens, nullam tamen ei harum appellationum orantes tribuimus, ſed patrem uocamus, qui uidelicet bene nobis uelit, nos amet, in tutelam & curam ſuſcipiat, noſtriq; miſertus, omnibus bonis cumulare, & ſpōte quidem bonaq; ſua erga nos uoluntate cumulare deſideret. Huc pertinent prophetarum teſtimonia, Dauidis maxime illud, Miſericors & clemens eſt dominus, patiens & multæ miſerationis. Non in æternum iraſcitur, neq; perpetuo comminabitur. Non ſecundum peccata noſtra rependit nobis, neq; ſecundū iniquitates noſtras retribuit nobis. Nam quanto interuallo diſtat cœlum à terra, tantum præualet miſericordia eius ſuper timentes eum. Et quantum diſtat ortus ab occaſu, tantum remouit dominus à nobis ſcelera noſtra. Et ſicut miſeretur pater liberorum ſuorum, ita miſeretur dominus timentium eum. Ipſe enim nouit conditionem noſtram, recordans quod puluis ſumus. Huius rei præclegans exemplum uidere eſt in euangelio ſecundum Lucam, ubi miris affectibus depingitur benignus pater in gratiam recipiens concoctorem & prodigum illum filium.

Oratio dominica patri per Chriſtum offertur.

Pſal. 103.

Lucæ 15.

Noſter. His accedit dictio Noſter. Id quod duorum admoner. Principio enim parum eſt deum agnoſcere deum eſſe ac patrem omnium, aut aliorum, niſi etiam credamus eum eſſe patrem noſtrū, niſi nos totos

eius

eius fidei & tutelæ consecremus, tanquam patris nostri qui bene no bis uelit, nos amet, nos curet, nullibi nos negligat. Nisi enim sic cre damus, nec fide nec dilectione dei cõmendabilis est nostra oratio, ideoq; parum grata deo. Atqui deum illum opt. max. nostrum esse deũ, cum ex beneficijs multis, tum maxime ex mysterio redemptio nis per Christum intelligimus. De qua re alibi diximus. Deinde cum orare iussit Pater noster, & non Pater meus, protinus ab initio requirit à nobis charitatem. Vult enim nobis curæ esse non no stram duntaxat, sed omnium hominum salutem. Sumus enim om nes unius corporis membra: unde singula non pro seipsis seor sim orant, sed singula pro omnium membrorum totiusq; corpo tis incolumitate. Ea de re dixi superius cum dissererem de modo o randi deum.

Adijcitur mox, Qui es in cœlis: non quod deus cœlis concluda tur ceu carceribus. Eum errorem dudum confutans felicissimus & sapientissimus regum Solomon dixit, Si cœli cœlorum te non ca piunt, quanto minus domus hæc? Quibus coniungenda arbitror quæ Stephanus eadem de re ex Isaia adduxit in Actis apostolorũ. Ergo in cœlis esse dicitur, quod diuina eius maiestas ac potentia gloriaq; in cœlis maxime relucet. Cœlis enim in rerum natura ni hil est augustius, nihil pulchrius. Præterea in cœlis se nobis exhibet fruendum pater. Cœlum est communis patria nostra, ubi deum & patrem nostrum habitare credimus, & ubi deum & patrem nostrũ adoramus: licet ipsum credamus ubiq; & omnibus semper esse præ sentem. Sicut enim cœlum omnia ambit & contegit, æqualibusq; ubiq; spacijs distat à terra: ita præsentia nos numinis nullibi desti tuit. Vbiq; habemus in conspectu cœlum: ubiq; sumus in cõspectu dei. Cæterum admonemur præterea cœlorũ mentione nostri offi cij & nostræ miseriæ. Nostri officij est, animis orando eleuari in cœ los, terrenorumq; obliuisci, ac magis patre & patria cœlesti, q̃ exi lio hoc & carcere delectari terreno. Miseriæ est, quod propter pecca tum eiecti ex patria, in hisce terris reptantes uarijs obnoxij sumus calamitatibus, ideoq; necessitate adacti nunquam clamare ad patrẽ desinimus. In primis uero dicentes, Qui es in cœlis, secernimus pa trem quem inuocamus nostrum, à patre terreno, tribuentes illi om nipotentiam. Certe qui inuocatur & exaudire debet, omnia sciat, uideat & audiat, adde & uelit ac possit, oportet. Proinde bonæ uo luntati erga nos, quam in uocibus Pater noster expressimus, coniun gimus iam omniscientiam & omnipotentiam, subijcientes, Qui es in cœlis. His excitatur & confirmatur fides orantium.

Qui es in cœlis.

3. Reg. 8.

Act. 7.

Sanctificetur nomen tuum.

Sequuntur modo petitiones ordine sex. Prima est, Sanctificetur nomen tuum. Vocauimus deum patrem nostrum, nos filios eius. At filiorum est honorare uel glorificare patrem, iccirco mox ab initio petimus ut nomen domini dei & patris nostri sanctificetur. Id sanè sanctum & impollutum est semper in semetipso, nec illi quicquam ex nobis uel accedit uel decedit. Vnde postulamus, ut quod in seipso sanctum est & manet, tale agnoscatur à nobis, & semper sanctificetur à nobis. Nomen est cuiuscunq; rei definitio, & nomina sunt inuenta ut res inter se distinguant. Cæterum deus infinitus est & immensus, præterea unus est, ergo nomẽ non habet quo definiatur, nomine non indiget ut ab alijs dijs discernatur. Quæ ergo nomina in scripturis ei tribuuntur, propter nostrã infirmitatem tribuuntur, quo ratione & comparatione aliqua intelligamus dicta de immenso & infinito. Ergo nomen dei reuera ipse deus est cum uniuersa sua maiestate & gloria. Sanctificare significat aliquoties res ab usu prophano ad usum sacrum seperare. In præsenti significat celebrare, laudare, glorificare. Petimus itaque ut ipse deus, qui natura sua bonus, sanctus, & in æternum benedictus, clemens, benignus & misericors pater est, qualis in se est, à nobis omnibus agnoscatur & celebretur: ut omnes gentes relictis erroribus & hæresibus, consecrent se uni huic patri ac deo in ueritate: ut omnia quæ polluunt nomen domini, cuiusmodi sunt malæ artes, impietas, Epicureismus, uita spurca, & in primis doctrina corrupta & antichristiana tollatur, ut illuminati sanctificemus nomen domini. Proinde hac petitione postulamus spiritum sanctum, ipsissimum omnis ueræ sanctificationis authorem unicum. Postulamus ueram fidem in deum per Christum in toto orbe terrarum. Postulamus sanctas cogitationes, & uitam puram, qua glorificemus nomen domini: quod fit dum quisq; suum facit officium, dum eiicitur sathanas omnis impuritatis author, dum tollitur doctrina corrupta, & cessat impostura, dum impuritas mundi exulat. Hanc petitionem præstantissimus rex & propheta Dauid his illustrat uerbis, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, & benedicat nobis, Vt cognoscamus in terra uiam tuam in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi deus, confiteantur tibi populi omnes. Et quæ sequuntur Psal. 67. Huc pertinet tota saluatoris oratio descripta à Ioanne cap. 17.

Nomen dei.

Sanctificare.

Adueniat regnum tuum.

Secunda petitio est, Adueniat regnum tuum. Etenim nomen dei & patris nostri nequit sanctificari, nisi ipse in nobis regnet. Regnum aliud quidem dei: aliud dæmonis est. Porrò regnum dei aliud

aliud gloriæ, aliud recte dicitur esse gratiæ. Gloriæ regnum, non huius, sed alterius est sæculi. Gratiæ regnum, Christi regnum est in hoc sæculo, quo per spiritum sanctum regnat Christus in suis fidelibus, qui se ei gubernandos sponte subiiciunt, dicentes & facientes quæ Christianos decent ac ornant. Diabolus uero regnat in filijs diffidentiæ, qui se ei substernunt gubernandos pro impietate & nequitia eius, facientes quæ non tantum carni libent, sed quæ in diuinæ maiestatis contumeliam uergunt: quos post hanc uitam, iusto dei iudicio dæmon rex impiorum rapit ad tartara, in regnum mortis & iudicij, ut ardeant semper. Porrò regnum terrenum quod regunt principes huius sæculi, uel dei uel diaboli regnum dicitur, prout alteri istorum se applicuerit. Hæc omnia breuissimis perstringimus, quod alicubi de ijsdem disseruimus copiosius. Proinde postulamus petitione hac secũda, ut regnet & uiuat in nobis Christus, nos in ipso, ut regnum Christi propagetur & inualeat in orbe terrarum, ut doctores & magistratus ecclesiastici, denicq; principes, adde & scholæ, & quicũq; promouere possunt regnum Christi, charismatibus inuncti & irrigati floreant, superent, triumphent: præterea petimus ut diaboli & antichristi regnum frangatur & dissipetur, ne noceat sanctis, ut cum regno diaboli superetur & calcetur omnis impietas, atterantur denicq; & perdantur omnia instrumenta seu arma antichristianismi. Postremo oramus ut postquam ex procelloso huius sæculi euripo enauigauerimus, recipiamur ac congregemur ad Christum & ad omnes sanctos in regnum gloriæ æternum. Sicut enim regnum dei uenire ad nos, & deum in nobis regnare cupimus, ita nos in regnum eius uenire uel recipi, & æternum cum ipso uiuere sanctissime postulamus.

Tertia petitio est, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, ita in terra. Non regnat in nobis deus, nisi ipsi obediamus: petimus ergo post regnum, obedientiæ absolutæ gratiam. Etenim non postulamus ut faciat deus quod uult. Semper enim fit dei uoluntas, etiamsi id nunquam petamus, & omnibus uiribus nostris reluctemur. Nam propheta dicit, Deus noster in cœlo est, omnia quæcunque uoluit fecit in cœlo & in terra. Petimus ergo ut quod ipse uult, idem nos semper & uelle & facere efficiat. Semper enim illius uoluntas bona est, nostra uero propter corruptionem peccati mala est. Oramus ergo gratia sua nobis adsit, quo nostra uoluntas regeneretur, & conformis fiat diuinæ bonæ uoluntati, ut se formandam sponte præbeat spiritui sancto: ut uelit eius gratia quod ipse inspirat: ut quod bene in nobis cœpit, perficiat, uires ad hoc & patien-

Fiat uoluntas tua.

Psal. 113.

tiam conferat: ut in omnibus cum prosperis tum aduersis bonam dei uoluntatem agnoscamus, ne quid hic ex nobis ipsis uelimus, ac prosperis efferamur, aduersis demergamur, sed ut accommodemus nos eius uoluntati gubernandos in omnibus & per omnia, ad hunc modum scilicet subijcientes nostram uoluntatem eius uoluntati. Præterea si quid petimus uoluntati eius contrarium, ne concedat, sed stultitiam potius nostram nobis condonet, nostramq; uoluntatem non bonã nobis infringat, in uoluntate sua bona nos erudiat, quo nihil dubitemus hanc semper esse sequendam, & semper esse bonam, omniaq; in nostrum fieri ab illa profectum.

Sicut in cœlo & in terra.

Maximum hac in parte certamen sentiunt in semetipsis fideles, Paulo testante & dicente, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem & faciatis. Iccirco non quamlibet cunq; conformitatem uoluntatis nostræ cum uoluntate diuina postulamus, sed subiungimus, Sicut in cœlo ita etiam in terra. Id est, concede pater, ut in nobis terrenis hominibus ita fiat tua uoluntas, uti fit in cœlitibus tuis beatis spiritibus. Hi non reluctantur in cœlo sanctissimæ tuæ uoluntati, sed unanimes hoc duntaxat uolunt quod tu uis, imò in hoc uno beati sunt ac felices, quod in tua uoluntate consentiunt atq; acquiescunt. Certe in terris non minima felicitatis pars est, uelle quod uult deus: extrema infelicitas est, nolle quod uult deus. Atq; hoc quidem infinitis exemplis poterat demonstrari, uulgare duntaxat & unicum proferam. Aegrotat aliquis grauiter, & dolores tormentaq; sentit uix tolerabilia homini, at hic interim agnoscit se hæc pati fic iubente & uolente deo patre optimo, benignissimo, & iustissimo, qui ipsi bene uelit, & hanc calamitatem grandem immiserit in salutem & gloriam ipsius: an non hic in medijs tormentis subijciendo se uoluntati diuinæ refrigerium sentit? & quod homini uidebatur acerbissimum amarissimũq; deditione hac uoluntaria & spontanea reddit suaue & dulcissimũ? Rursus ægrotat alius non admodum graui morbo oppressus, sed hic non agnoscit morbum bona dei uoluntate sibi immissum esse, imò arbitratur deum ignorare morbum, deum non curare morbũ, hunc ergo in alias atq; alias reijcit causas, modosq; comminiscitur & quærit medendi uarios, ac in his mirifice exercetur & affligitur, nec tamen fic reluctando diuinæ uoluntati quicquã inde sentit refrigerij aut consolationis: quid ergo hic aliud facit, nolens quod uult deus, quàm quod solent malum male uitando conduplicare? Proinde fundamentum omnis felicitatis est fidelis obedientia,

Velle quod uult deus, bona felicitatis pars.

qua

qua nos & noſtra omnia plene ſubijcimus bonæ dei uoluntati: ideoq; maxima hac petitione nobis concedi à patre oramus, regenerationem uel innouationem mentis, obedientiam ueram, patientiam perſeuerantem, mentemq; deo in omnibus & ſemper conſentientem atq; ſubiectam.

Quarta petitio talis eſt, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Nam diuina uoluntas non poteſt in nobis fieri, niſi alamur & confortemur pane dei. Panis ſignificat Hebræis omne ciborum genus & conſeruationem ſeu ſuſtentamentum humanæ ſubſtãtiæ. Vnde in prophetis dictum legimus, Frangam baculũ panis. Conſtat autem homo ſubſtantia duplici, anima & corpore. Anima ſpiritus eſt: corpus ex terra & elementis alijs cõfectum eſt. Duplici ergo conſeruatur pane, ſpirituali & corporali. Spiritualis animæ cibus, quo in uita conſeruatur, eſt ipſum dei uerbum, ex ore diuino prolatum: in euangelio ex lege repetente domino, & dicente, Non ſolo pane uiuit homo, ſed omni uerbo quod egreditur ex ore dei. Et quoniam hoc unice proponit fidelibus uerbum dei æternum & incarnatum, ipſum inquam dei filium, recte hunc agnoſcimus cibum eſſe animæ, imò totius hominis fidelis. Ipſe enim teſtatur ſe eſſe panem qui è cœlo deſcenderit, ex quo manducantes non moriantur, ſed habeant uitam æternam. Corporalis panis conſtat elementis, & terrenus eſt, ac comprehendit cibum, potum, ueſtitum, ſanitatem corporis proſperam, defenſionem, breuiter incolumitatem & ſaluum uitæ humanæ ſtatum. Et hunc quidem panem appellamus noſtrum; non quod non ſit munus & beneficium dei, ſed quod nobis deſtinatus, ad conſeruationem noſtri pertineat, nobisq; neceſſarius ſit. Interim tamen & quotidianum ſiue ἐπιούσιον appellantes omnium præſtantiſſimum ſignificamus, qui ſolus poſſit ſubſtantiam noſtram, quantum ſatis, & quàm diu oportet, & eo prorſus modo & ea ratione qua neceſſe eſt, ſuſtentare uel conſeruare. Diximus enim ſuperius, noſtrum non eſſe deo modum agendi uel dandi præſcribere. Huc pertinent & illa conſequentia uerba, Da nobis hodie: Solius enim dei eſt dare: nec congruit ulli creaturæ hæc petitio. Dauid canit, Omnia à te expectãt, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manũ tuam omnia implebuntur bonitate. Item, Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Iam Nobis da, non Mihi da, oramus, id quod iterum admonet & charitatis & coniunctionis fraternæ. Non enim noſtra duntaxat quærere, ſed & omnium aliorum ho-

Panem.

Matth. 4. Deut. 8.

Noſtrum.

Quotidianum.

Da.

Nobis.

minum incolumitatem & conseruationem petere debemus. Voca-
Hodie. bulum Hodie modum nobis statuit. Hoc enim dicimus, Suffice tu nobis quotidie & momentis singulis, quantum satis nobisue necessarium est: id quod tu solus optime nouisti. Admonemur enim obiter ne immodica fluxarum rerum cupiditate ardeamus, & cõsequutas prodigamus luxu, perdentes & opes & nostras animas. Ideo ue-
Prou. 30. ro Sapiens ille legitur dixisse, Duo à te postulaui, ne deneges antequam moriar. Procul à me remoue uanitatem & mendacium. Inopiam & diuitias ne dederis mihi: sed fac ut habeam panem dimensi mei, ne satiatus te negem dicens, Quis est deus? aut per inopiam furer, & abiurem nomen dei mei. Hac itaq; petitione quarta nos totos tradimus in curam dei patris, ac prouidentiæ eius nos committimus, ut nos pascat, defendat, seruet, qui solus seruare potest. Nisi ẽm illie benedictionem suam in nos effundat, nisi uires conferat rebus illis medijs pertinentibus ad sustentationem et defensionem nostri, nihil omnia efficiunt. Oramus pro felici cursu uerbi dei, pro ipsis pastoribus ecclesiarum, pro defensoribus reipublicæ, pro ecclesiæ & reipub. incolumitate. Petimus ut omnia sufficiat benignus pater quæcunq; necessaria sunt ad animæ & corporis sustentationem & necessitatem.

Et remitte nobis. Cæterum ne quis se indignum crederet pane quotidiano, quod filijs non canibus debetur, & ideo segnius aut fiducia tenuiore oraret, præoccupans hanc solicitudinem piorum dominus, quintam subijcit petitionem, hanc, Et remitte nobis debita nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Petimus his peccatorum nostrorum ueniam. Vt autem concedatur nobis delictorũ uenia, agnoscamus oportet nos esse peccatores. Nisi enim hoc faciamus, quomodo delicta nobis remitti postulabimus? Certe omnes sancti hac orandi utũtur formula. Omnes itaq; agnoscunt se esse peccatores. Reliquiæ enim remanent etiam in renatis & sanctissimis hominibus, quæ quotidie erumpunt in cogitationes in dicta & facta prauа, non raro etiam in scelera. Qualiacunq; uero sint delicta uel peccata nostra, ea primum quidem deo patri humiliter confitemur, de-
Debita nostra. inde oramus ut remittat. Peccata nostra ipso deo doctore debita appellamus, quod eorum pœnam deo ceu preciũ debemus. Ille uero remittit nobis debita, cum pœnam nõ exigit à nobis commeritam, perinde de nobis iudicans ac si ipsi nihil debeamus. Allusio enim fit ad debita corporalia: quę si creditor debitori remiserit, ius nõ habet amplius, eum qui debitor fuerat, conijciendi in carcerẽ aut exigendi pœnam. Ergo remittitur nobis non tantum culpa, sed & pœ-

na

na Nec̃ uero merita noſtra patri obtendimus: ſed, Remitte, uel dimitte nobis dicimus, debita noſtra. Remiſſionis uocabulum gratui tam delictorum condonationem innuit. Etenim nobis remittit quod non ſumus ſoluendo. Vnde in euangelio legimus, Cum debitores non eſſent ſoluendo, donauit utriq; debita. Similia traduntur apud Matth. in cap. 18. Nullo ergo merito noſtro, nulla ſatisfactione noſtra, ſed diuina benignitate propter Chriſtum petimus nobis condonari omnia delicta. Nec dubitant hic ſancti de remiſſionis certitudine. Dixit enim in euangelio dominus, Quicquid petieritis credentes in nomine meo, accipietis: propter Chriſtum ergo nihil dubitant orantes fide omnia peccata ſibi eſſe remiſſa. Sic enim & in ſymbolo profitemur, Credo remiſſionem peccatorum. *Lucæ 7.*

Adijcimus his protinus, Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris: non quod putemus propter remiſſionem noſtram mereri uel impetrare nos condonationem delictorum noſtrorũ: alioqui enim non conſtaret ratio remiſſionis. Qui enim aliquid uel affert uel facit, cuius gratia peccatum tollitur, aut qui pro peccato ſatisfacit, ei nihil remittitur, ſed rependitur potius. Alijs ergo de cauſſis hæc adiecta uidentur. Principio, quia ſoliciti ſumus de remiſſione, de qua multi ambigunt, uoluit dominus ſolari noſtram infirmitatem, hoc ueluti ſigno adiecto, quo intelligeremus tam certo nobis à deo dimiſſa eſſe peccata, quàm certò alijs ſua remiſimus aut condonauimus delicta, quibus nos offenderãt. Deinde uoluit nobis excutere ueternum, ac charitatis inculcare ſtudiũ, admonereq; noſtri officij, ut ſi quid animis noſtris adhæreſcat adhuc ueterum inimicitiarum, id ſciamus omnino deponendum ſeu expectorandum, imò iam nunc inuocandum eſſe dominum, ut corda noſtra commoueat, qui poſſimus. Grauiter quidem ueteres iniurias & offenſas ponimus. Sed æquum eſt ut minora remittamus fratribus, qui maximorum peccatorum ueniam accepimus à benigniſſimo patre: niſi forte illius ſortunam experiri libeat qui in parabola euangelica et ipſe magnam domini benignitatem et liberalitatem in donando expertus, interim atrox & crudelis erat erga fratrem in exigendo debito modico & leuiculo. Notiſſima eſt parabola apud Matth. in cap 18. *Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris.*

Sexta & ultima petitio eſt, Et ne inducas nos in tentationem: ſed libera nos à malo. Nunquam enim ita remittitur peccatum, ut non remaneat in carne concupiſcentia, quam excitant & in uaria peccatorum genera producunt tentationes. Eæ ſunt uariæ. Principio eñ tentat nos deus, cum aliquid obijcit, quo nos probat: ut cum iubet Abrahamum imolare filium: uel cum aduerſa immittit, ut & fidem *Et ne inducas nos in tentationẽ.*

noſtram exerceat & igne tentationis ſcoriam excoquat ſcelerum. Hæ tentationes diuinæ tendunt ad ſalutem fidelium. Proinde ſimpliciter non oramus, ne tentemur. Tentatio enim diuina utilis eſt. *Iacobi 1.* Beatus enim prædicatur uir ille qui ſuffert tentationem. Cum enim probatus fuerit, accipiet coronam uitæ. Petimus autem ne inducamur in tentationem. Tentat enim & diabolus, tentamur à mundo, et à carne noſtra. Sunt tẽtationes à dextris & ſiniſtris, huc tẽdentes, ut ſubuertamur, ut demergamur in peccatorum barathrum, ac pereamus: id cum fit, non tentamur tantum, ſed & in tentationem inducimur & capimur. Tale ergo eſt quod petimus, Si tuis ſalubribus tẽtationibus ô pater cœleſtis exercere nos uolueris, præſta quæſumus ut probati reperiamur: ne autem patiare abduci nos per ſathanicam & prauam tentationem, ut te relicto, hoſtiq; noſtro mancipati & ſcelerum uoragini immerſi, retineamur & capiamur ab illo in malo & perditione noſtra. Iam enim ſubijcimus membrum oppoſitum, quod & præcedens exponit, id quod alij ſeptimam eſſe *Sed libera nos à malo* dicũt petitionem, Sed libera nos à malo: ἀπὸ τῦ πονηρῦ, ab illo inquam malo, nimirum à ſathana, qui alibi tentator cognominatur. Libera nos à ſathana et ab omnib. malis quę ille imittit: libera ab inſidijs, artibus, deceptionibus, à bello, fame, captiuitate, peſte, ab omnibus ijs quæ mala, calamitoſa & noxia ſunt. Ea quæ ſint optime nouit pater cœleſtis, ad quem hic dicentes, Da nobis ſalutaria & bona: auferà nobis quæ tu noſti eſſe pernitioſa & mala, collecta breuitate ora- *Amen.* tionem diuiniſſimam concludimus, adijcientes inſuper Amen. Vulgaris illa quondam confirmatio & acclamatio fuiſſe legitur, ut uidere eſt Deut. 27. Nehem. 8. 1. Cor. 14. Exprimit ea principio noſtrum deſiderium. Profitemur enim illa quæ orauimus ex animo nos deſiderare. Deinde fidei noſtræ certitudinem exprimit. Quaſi dicamus. Hæc autem certo mihi concedenda à deo credo. Perinde enim eſt Amen, ac ſi quis dicat, Fiat. Et dominus in euangelio ſæpe clamat, Amen amen dico uobis, id eſt pro certò certam ueritatem dico uobis. Vel indubitatam uobis ueritatem profero. Sic autem fideles poſt oblatas deo preces, pacatis ſunt mentibus, alacres iam munera domini expectantes.

Quia tuũ eſt regnum & poteſtas & gloria in ſæcula. Porrò inſerunt quidam ante dictionem Amen, mox poſt illa uerba recitata, Sed libera nos à malo, Quia tuum eſt regnum & poteſtas & gloria in ſæcula, Amen. Cæterum Eraſmus Roterodamus in ſuis ad Nouum teſtamentum Annotationibus teſtatur illa uerba non reperiri in ullo antiquo exemplari Latino: in Græcis quidem inueniri adiecta omnibus, ſed à nemine expoſita interpretum, niſi ab

ab uno Chrysostomo & eius imitatore Theophylacto. Sibi ergo addita uideri orationi dominicę, sicuti Psalmis quidã adpenderunt, Gloria patri & filio, &c. Idẽ mox subiungit, Proinde non est quod Laurent. Valla stomachetur bonam precationis dominicæ partem fuisse decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non ueriti sint tam diuinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim dixerim ad diuinam doctrinam, quicquid ab hominibus profectũ fuerit. Præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum authorem conferatur. Nec solus Erasmus de hac appendice addubitauit. Codex enim Hispanieñ. quem uocant Complutensem, habet magis credibile uideri ista uerba non esse de integritate orationis dominicæ, uitioq; inserta esse scriptorum quorundam uel librariorum. In eodem codice mox subiũgitur, Licet uero beatus Chrysostomus in suis super Matth. Comment. Homelia 20 exponat ista uerba, tanquam essent de textu, uerisimilius tamen præsumitur iam suis temporibus originalia in isto passu fuisse corrupta: ex quo nullus Latinorum etiam ex antiquissimis interpretibus siue tractatoribus legatur de his uerbis aliquam fecisse mentionem. Et uere quidẽ hoc dicitur. Diligentissimi enim interpretes qui singulariter oratio nem dominicam uerborum explicandam sumpserunt, quales fuere S. Cyprianus, Hierony. & Augustinus, huius appendicis ne uerbo quidem meminerunt.

Hæc dixi hactenus de Oratione dominica & inuocatione nominis diuini, de quo sapientissimus hominũ Solomon uerissime pronunciauit, Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit iustus, & exaltatur, id est, in tuto uel in alto loco extra teli iactum consistit & conseruatur. Subijciemus his quædam & de altera orationis spetie Gratiarumactione. Quanquam uero & ipsa comprehendatur in oratione dominica (omnia enim orationis ueræ, ergo & gratiarumactionẽ complectitur) singulariter tamen & post illam exposità uolui de ipsa disserere, ne ex cõmixtione rerũ nascatur in animis confusio. Et requirit quidem à nobis gratiarumactionẽ dominus: cuius quidem rei euidentia in scripturis sanctis argumenta nec pauca extant. Quot enim in Psalmis laudes gratulationes & gratiarũactiones, & à Dauide, & ab alijs prophetis conscriptæ & relictæ leguntur? Quia in lege quoq; dominus peculiare oblationis uel sacrificij genus instituit, quod Eucharisticũ diximus appellari. Quid quod Cœna illa paschalis nihil aliud fuit quàm gratiarũactio pro redemptione ex seruitute Aegyptiaca? Certe dominus noster Iesus Christus & memoriam instituens omnium beneficiorum, in pri-

Prou. 18.

De gratiarũactione.

mis autem redemptionis morte sua partæ, & omnia sacrificia re-
colligens in compendium, Eucharistiam ecclesiæ tradidit. Quem-
admodum suo loco dicemus, & partim in superioribus Sermonib.
diximus. Ingenium humanum rebus secundis luxuriat, & raro un-
de res secundæ oriantur secum cogitat: ita mysteria & beneficia illa
spiritualia non æstimat tanti quanti aliàs debebat. Porci uero non
homines esse uidentur, qui non tantũ non æstimant dei beneficia
uti debebant, sed insuper & contemnunt & pedibus conculcant.
Grande hos dei manet iudicium.

Soli deo debemus gratiarũactionem.

Porrò soli deo debetur sacrificium laudis. Solus enim omnium
bonorum dator & author est: licet interim opera utatur intermedia
hominum & aliarum creaturarum. Mittit tibi princeps aliquis mu-
nus sanè eximiũ, & id quidem per aulicum non infimæ sortis, sed
selectissimum uirum: huic tamen licet nobili, non agis gratias, sed
principi, à quo munus est profectũ: etsi interim agnoscas ingenue
aulicum quoq; suam hic tibi contulisse operam. Non cõtulisset au-
tem, nisi iussisset princeps. Ita uero summa beneficij redit tandẽ ad
ipsum & solum quidem principem. Quemadmodũ autem omnis
nostra inuocatio grata est deo patri per Iesum Christum dominum
nostrũ: ita nulla gratiarũactio nostra deo grata est, nisi oblata sit per
Iesum Christum. Huc enim pertinet mysteriũ altaris thymiamatis.
De quo dictum est in Ceremonijs legis. Sed & apostolus, Gratias,
inquit, agite semper, de omnibus, in nomine domini nostri Iesu
Christi, deo & patri. Et iterum, Per ipsum, ait, offerimus hostiam lau-
dis semper deo, hoc est fructum labiorum confitentiũ nomini eius.

Agendæ deo gratiæ per Christum.

Ephes. 5.

Hebr. 13.

Agnoscenda dei beneficia.

Vt autem pro omnibus dei beneficijs grati esse, & cõtinuas gra-
tiarũactiones deo offerre possimus, necesse est ut prius agnoscamus
& probe nobiscum expendamus dei beneficia. His enim nondum
cognitis aut rectè expensis mens nostra non inardescit ad agendas
gratias, p beneficijs. Hæc planè uaria, imò immẽsa sunt. Sunt enim
priuata & publica, generalia & specialia, spiritualia & corporalia,
temporalia & æterna, ecclesiastica & politica, singularia & eximia.
Quis uero omnes species & partes cõmemoret? Creauit deus, orna-
uit, illustrauit & fœcundũ reddidit hunc mundũ propter hominẽ.
Ad huius ministerium ablegat angelicos spiritus, quos sibi creaue-
rat ministros. Dat nobis corpora & animas: quæ infinitis instruit &
cumulat donis ac facultatibus: & quod reliqua beneficia excellit o-
mnia, hominem peccato implicitum explicat, diabolo mancipatũ li-
berat. Asserit enim nos filius dei in libertatem filiorum dei, mo-
riendo nos uiuificat; sanguinem profundendo purgat ac expiat:

spiritu

spiritu suo nos donat, quo in hoc exilio regamur & conseruemur, donec recipiamur in æternam & ueram illam patriam nostrã. Hæc qui uera fide expendunt, non possunt non rapi in laudem & celebrationẽ diuinæ bonitatis, & in admirationem rei profecto stupendæ, quod deus optimus maximus tam exactam habet rationẽ hominum, quibus hæc tellus nihil habet uel miserabilius uel ærumnosius aliàs. Destituuntur hic uerbis sancti dei. Neque enim uerba satis huic negotio tanto idonea suppetunt. Clamat Dauid, Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Et quæ sequuntur Psalmo 8. Et iterum idem, Quis sum ego domine deus? & quæ domus patris mei, quod me tantum euehis? Quid uero ultra potest addere Dauid, ut ad te loquatur, cum tu noueris seruum tuum domine deus? Et cætera quæ leguntur 2. Samuelis lib. cap. 7. Extat eiusdem Dauidis elegantissima benedicẽdi uel laudandi, aut gratias agendi deo formula in Psal. 103. cuius initium est, Benedic anima mea dominum, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnium beneficiorum eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis. Et reliqua. Quid uero pluribus opus? Vnica oratio dominica poterit esse perfectissima laudandi dei, & gratias agendi deo pro omnibus beneficijs uice multarum formula. Vt enim præfatiuncula & petitiones omnes, in memoriam reducunt & absolute proponunt maxima dei beneficia, & nobis ipsis & omnibus alijs largissime exhibita: ita si cogitemus nostri officij esse pro his singulis deo gratias agere, incipiamusq; mox ab ipso dominicæ orationis principio nobiscum expendere illud maxime, quod deus pater pro ineffabili sua erga nos misericordia miseros peccatores in numerum filiorũ adoptauit, per quos sanctificari, & in quibus regnare, tandem & in regnum suum æternum transferre uelit: ut nihil de alijs petitionibus dicam, quàm copiosa quæso subnascetur laudandi dei, & gratias ipsi agendi materia? Sed intelliguntur hæc rectius ex pia religiosaq; exercitatione, quàm ex diligentissimis etiam præceptis.

Quomodo agantur deo à pijs gratiæ.

Hanc autem gratiarum actionem oblatam ex uera animi humilitate & fide deo, tanti facit dominus, ut recipiat & habeat pro sacrificio gratissimo. Huius rei frequentissima fit mẽtio in testamẽto ueteri, ut cum dicitur, Sacrificium laudis honorificabit me. Non in sacrificijs tuis arguam te, nec accipiam de domo tua uitulos: Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me. Item, Tibi sacrificabo

Gratiarum actio est sacrificium.

Psal. 50.

Psal. 115.

Oſee 14. hoſtiam laudis, & nomen domini inuocabo. Oſeas quoq; Tollite uobiſcum uerba, inquit, & conuertimini ad dominum, & dicite ei, Omnem auferiniquitatem, & accipe bonum (niſi recht ſtür gůt) & reddemus uitulos labiorum noſtrorum. Ad quem modũ & Ma-
Malach. 1. lachias ſcriptum reliquit, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, & non accipiam manus de manu ueſtra. Ab ortu enim Solis uſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomẽ meum in gentibus, dicit dominus exercituũ. Cæterum oblationem hanc mundam interpretantur magno conſenſu omnes ueteres interpretes, in primis Irenæus & Tertullianus, Euchariſtiam, id eſt, laudes & gratiarum actiones, & orationem profectam ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Certe non alia de cauſſa appellarunt ueteres ipſam Euchariſtiam ſiue Cœnam Chriſti myſticam ſacrificium, quàm quod in ea offeratur deo laus & gratiarũ actio. Nam apoſtolus Paulus oſtendit Chriſtũ ſemel immolatũ, ſæpius aut ampliusiĩmolari nẽ poſſe.

De uirtute orationis. Eſt enim non laudis aut gratiarum actionis tantum, ſed & totius orationis, ipſius inquam inuocationis etiam, magna dignitas & uirtus. De qua etſi nõnihil dixerim, ubi oſtendi efficaces eſſe preces noſtras, paucula tamen hæc adijcio. Fuit ſanè omnibus ſanctis ardentiſſimum orandi ſtudium, propter orationis uirtutem mirificam. Nam ut nihil dicam de uetuſtiſſimis illis patribus diluuium præcedentibus, & mox conſequentibus, an non Abraham acceptis promiſſionibus orat, & quoties ſedes ſuas mutat, deum inuocat? Idem cum orat liberatur à morte Abimelech rex, & quod domui eius immiſerat iratus dominus, curatur à uitio ſterilitatis. Iacob ardentiſſimas fundit deo preces, & beneficia à deo accipit inæſtimabilia. In Exodo non ſemel orat Moſes, et aufert mala ab Aegyptijs, quæ iuſto eis iudicio intulerat dominus. Orante Moſe, terga uertunt Amalechitæ: ceſſante eodem aut remittente, fugiunt Iſraelitæ. Rurſus cum ignis domini deuoraret extrema caſtrorum Iſraelis, clamauit hic ad Moſen, & is rurſus ad dominum, & ſubito abſorptus eſt ultor ignis. Iterum murmurat populus aduerſus dominum, & paratur ultio: ſed Moſes blanda & iugi deprecatione extinguit irã dei. Dicitur enim ipſi, Dimiſi iuxta uerbũ tuum. Mox ubi recruduiſſet populi murmur aduerſus Moſen & Aaronem, ac dei uindicta iam abſumpſiſſet hominum milia quatuordecim ſeptingentos, iubente Moſe incendit thymiana Aaron, ſtansq; inter mortuos & uiuos morti iam uicinos deſtinatosq;, ueniam exorat precibus. Innume-

mera huius generis alia de Mose leguntur. Successor Mosis Iosue precibus tantisper Solis & Lunæ cursum remoratus est, donec ulciscereturse de hostibus suis. Tacite deprecatur Anna sterilitatis probrum, & protinus fit plurima sobole fœcunda. Samuel Annæ piæ pijssimus filius oratione Palestinos atterit, & subito messis tempore excitat ingentem tempestatem tonitrui & hymbrium. Non dissimilia legimus & de Helia. Ionas quoq; orauit in uentre ceti, & proiectus est incolumis in aridam. Iosaphat & Ezechias reges religiosissimi, precibus ex fide ad deum fusis, triumphant de hostibus potentissimis. Nihil à rege suo postulauit Nehemias nisi prius compreeatus cœli dominum, itaq; nihil non obtinuit. Fortissima uirago Iudith insolentiss. populi dei hostem & omnium gẽtium terrorem Holophernem precibus deiecit. Et ut Daniel omnia sua precibus apud dominum conficit: ita Hesther necessariũ populo dei facinus aggreditur & feliciter perficit triduanis ieiunijs & assiduis precationibus. In auspicatissima & desideratissima natiuitate domini Iesu audiuntur chori angelorum laudes concinentium domino. Quid quod ipse dominus in summo uitæ discrimine ad preces confugit, ac mox audit uoces confortantis angeli? Orant unanimes apostoli cum reliqua ecclesia ad horam diei tertiam, et accipiunt mox spiritũ sanctum. Cum uero in periculis uersarẽtur apostoli, suppliciter dei auxilium implorat ecclesia, & sentit euestigio. Accipiũt illi multam dicendi libertatem, & edunt signa & prodigia in populo maxima. Petrus per angelũ dei educitur ex carcere munitissimo. Quid quod orantibus & laudantibus in carcere dominũ Paulo & Sila terremotu carceris fundamenta leguntur concussa, & per eam occasionem custos carceris conuersus ad deum? Cuius quidẽ generis innumera proferre possem, nisi hæc pijs sufficere crederem. Et pij uires has nõ orationi ut nostro operi, sed tanquam ex fide profectæ, adeoq; ipsi deo promittenti & fidelibus hęc exhibenti tribuunt. Notum est enim iudicium de his Pauli ad Hebræ. 11. cap. et quod uni deo omnis debetur gloria. Is dignetur omnium mentes sic illustrare, ut oratio nostra ipsi semper placeat. Amen.

De signis & signorum ratione, de signis sacramentalibus, quid sit sacramentum, à quo, ob quas causſas, & quot sacramẽta ecclesiæ Christianæ à Christo instituta sint: quibus rebus constent: quomodo consecrentur, quomodo uel coniuncta uel discreta sint signum & signatũ in sacramentis: & de loquutionibus sacramentalibus.

SERMO VI.



VPEREST tractatio de Sacramentis, quam uerbo dei & orationibus adiunctam esse audiuimus. De Sacramentis autem à Christo rege & pontifice maximo traditis, & à sancta eius catholica{que} ecclesia receptis, & legitime usurpatis, ipso domino inspirante, dicturus, hunc seruabo ordinem, ut primum de his generatim, deinde speciatim uel sigillatim differam. Atq{ue} hic primum de certa signi uel sacramenti significatione constituam. In ea re si fuero paululum prolixior, condonabit id mihi C. V. Nam spero hoc non omni fructu carituru{m}.

Signum. SIGNVM appellant Latini scriptores notam, repr{æ}sentationem, uestigium & indicium rei significantis. Sic Tull. & Fab. Hic, Signum, ait, uocant σημῆον, quanquam id quidam indicium, quidam uestigium nominarunt, per quod res intelligitur, ut per sanguinem cædes. D. Aurel. Augustin. scriptor ecclesiasticus nobilis, de Magistro cap. 4. Dicimus ea, inquit, signa uniuersaliter omnia, quæ significant aliquid: ubi etiam uerba esse inuenimus. Idem de Doct. Christ. lib. 2. cap. 1. dicit, Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem uenire: sicut fumo uiso, ignem subesse credimus.

Diuisio signorum ex Augustino. Distinguit idem ille signa, in signa naturalia & data. Naturalia uocat, quæ sine uoluntate atq{ue} ullo appetitu significandi præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt: sicuti est fumus, significans ignem. Non enim uolens significare id facit. Data sunt, inquit, quæ sibi quæq{ue} uiuentia inuicem dant, ad demonstrandos quantum possunt motus animi sui, uel sensa aut intellecta quælibet. Et Data quidem signa rursus distinguit per sensus. Alia enim ad oculos pertinent, ut sunt uexilla & signa ducum, motus manuum et omnium membrorum. Alia ad aures, ut sunt tuba & tibia, & ipsa denique uerba, quæ inter homines obtinuerunt principatum significandi.

Ioan. 12. Ad odorem refert illum odorem unguenti euangelicum, quo dominus aliquid significare uoluerit. Ad gustum retulit Cœnam do-

Matt. 14. mini. Sacramento enim sanguinis & corporis sui, inquit, prægustato, significauit quod uoluit. Addit & exemplum ad tactum, Et

cum

cum mulier tãgendo fimbriam ueſtimenti eius ſalua facta eſt, non- *Matth. 9.*
nihil ſignificat. Sic Auguſtinus de Signorum generibus & differen
tia diſſeruit.

Alij uero nihil diuerſi quidem ab illo afferentes, Signa iuxta tem *Signa ſecũ*
porum rationem diſtinguunt. Dicunt enim Signa alia quidem eſſe *dum tempo*
rerum præſentium, alia rerum præteritarum, alia uero rerum futu- *ra diſtincta*
rarum. Præſentium ſigna putant, quæ ſignificant res eſſe præſen=
tes: ueluti hædera ſuſpenſa indicat uinum ibi uendi ubi ſuſpenſa
hæret. Signa quæ patrabat dominus noſter, ſignificabant adeſſe
Meſſiam & regnum dei à prophetis promiſſum. Sub præterita *Matth. 12.*
ſigna referunt omnia defunctorum monimenta, & lapides illos in *Ioſue 4.*
Iordane erectos à Ioſue, poſteritati ſignificãtes quid præteritis actũ
ſit temporibus. Futurarum rerum ſignum dat Vellus Gedeonis, fu- *Iudic. 7.*
turæ ſcilicet uictoriæ ſignum.

Cæterum expenſis nec reiectis illis quidem, poterunt ſigna ple- *Signorum*
nius & dilucidius diuidi in ſigna, quorum alia quidem ab homi- *alia data*
nibus data, alia uero ab ipſo deo inſtituta ſunt. Ab hominibus dan *ab homini-*
tur Signa ceu notæ, quibus aliquid ſignificant aut deſignant, qui- *bus, alia in*
bus deniq; aliquid apud homines in memoria retinent: aut quod *ſtituta à*
certum & firmum eſſe uolunt, obſignant. Hac ratione omnis de *deo.*
ſcriptio & pictura demonſtratiua dicitur Signum. Nam Ezechielis *Signa data*
4. picta Hieruſalem dicitur ſignum: uetuſtas quoq; imagines mor- *ab homini-*
tuorum ſigna appellauit, quod ijs uellet memoriam eorum, quo- *bus.*
rum ſigna dicebantur, refricare & ſuperſtitem quaſi retinere: quin
ipſa etiam ſcriptura ſancta idola appellat ſigna, ſicuti uideri licet
Iſaiæ 45. & 2. Paral. 33. Ita lapides quoq; ad ſignificandum aliquid
poſiti, cuiuſmodi ſunt limites agrorum & omnia monimẽta, ſigna
ſunt. Rahab illa Hierichuntina ad exploratores Iſraelitas dicit, Da- *Ioſue 2.*
te mihi ſignum ueritatis, quod facturi ſitis mecum miſericordiam.
Et dederunt illi funem ſuſpenſum è fenestra. En fidei & ueritatis ſi-
gnum erat funis, quo illi uelut obſignabant ſe:o & uere, ſe diligen
ter curaturos ne perderetur Rahab. Germani huiuſmodi ſigna fidei
& ueritatis gratia uel data uel accepta, nuncupamus & wortzey-
chen, quia uerbis adduntur, ac ea ueluti obſignant, & warzeychen,
quia his ueluti atteſtamur bona fide, & abſq; dolo malo exequutu-
ros, quod uerbis promiſimus.

Sunt autem huiuſmodi ſigna uarij generis. Alia enim muta *Signorum*
ſunt, & pertinent ad ſenſum oculorum: cuiuſmodi ſunt militaria *ab homine*
ſigna, cruces, faſciæ, uexilla, accenſi ignes: quorum mentio fit Nu- *datorũ ua-*
meri 2. Pſal. 73. &c. Neq; enim quiſquam huius generis enumera- *rietas.*

uerit omnia. Nascũtur enim noua subinde pro hominum arbitrio.
Matth. 26. Iudas suis dabat signum, Quemcũq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Consertio datæ dextræ quæ ad sensum tactus pertiner, fidei auxilij & communionis signum est, & ipsum signũ mutum: quod
Galat. 2. Paulus appellauit signum societatis. Huc pertinent uarij motus & gestus. Alia uero ex his Vocalia sunt, quæ auditu percipiuntur, æduntuŕq; uel per humanas, uel per inanimatorum uoces. Humana uoce æditur uerba, sibilus, & quæ alia sunt huius generis. Quo
Iudic. 12. pertinent uocales tesseræ, qualis illa Iudicum 12. cap. Schiboleth. Porrò inanimes uoces sunt, quæ fiunt per tubas, tibias, cornua, tympana, bombardas, per pulsum campanarum, & per instrumenta sonora, quæ & ipsa longissime latissiméq; patent.

Signa à deo data. Iam uero dantur signa à deo in hoc, ut instruant admoneant́q; rerum futurarum, aut etiam præteritarum: uel ut res ipsas quarum signa sunt, quodam modo spectatorum oculis subijciant, & similitudine quadam repræsentent, uel ut promissiones & uerba dei obsignent, uisibili aliqua ceremonia, ab hominibus diuina institutione celebrata, ut deniq; fidem nostram exerceant, & dispersos colligant in unum aliquem cœtum. Sunt autem & hæc non eiusdem
Varietas signorũ datorũ à deo. generis, ac manifesta inter se habent discrimina. Quædam enim oriuntur causis naturalibus, & dantur tamen à deo signa, quæ præteritas res, aut etiam promissiones renouent, hominesq; rerum gestarum admoneant, cuius quidem generis est Iris apud Mosem. Gene. 9. Nam peracto diluuio, dum deus cum Noe repararet fœdus, ac fœderis signum instituëret iridem, hanc non cõdit de nouo, sed iam olim conditam, & causis orientem naturalibus, noua institutione consecrat, ut diluuium in memoriam reducat, promissioneḿq; dei ueluti reparet, nũquam uidelicet futurum porrò ut terra absorbeatur aquarum inundatione. Interim nõ habet hoc signum ullam ceremoniam, qua celebretur inter homines institutam, nec colligit nos in ullius corporis cœtúsue societatem. Imò refertur signum hoc ad deum maxime, dicentem, Erit arcus in nube, quem
Portẽta & ostenta. cum uidero recordabor fœderis æterni, inter me & uos initi. Huic non dissimilia prorsus sunt portenta & ostenta, signa inquam in
Lucæ 21. Sole & Luna & stellis, quibus homines cœlitus præmonentur futurarũ calamitatum, nisi emendentur per pœnitentiam: sed ne hæc quidem ullam uel ceremoniam habent institutam ad celebrãdum
Miraculosa signa. aut colligendum. Sunt rursus signa planè miraculosa non naturalia, licet in ipsis & naturalia quædam concurrant: cuius generis esse
Isaiæ 38. uidetur Gedeonis uellus, & Vmbra horologij recedens in Solario

Ezechiæ

Ezechiæ regis. Hæc uero ut semel facta leguntur, ita nullam habẽt institutionem, quæ iubeat imitatione & in certum aliquem finẽ celebrare. Adhibebantur tunc ad futuram uictoriã & sanitatem signi ficandam & attestandam. Ex integro & mere miraculosa sunt, quæ Marci ultimo ab ipso domino Iesu appellantur signa, beneficia, inquam, sanitatis & linguarũ, hominibus nulla humana uirtute aut medicatione, sed solius Christi potentia, collata. Declarabatur ijsdẽ ueram & indubitatã esse prædicationẽ enangelij, qua annunciatur Christus dominus esse uniuersorum, dominus uitæ & mortis, satanæ & ipsius etiã inferni. Iam enim cum in nomine Christi resurgũt mortui, & cedunt depulsi morbi, his ipsis signis approbatur uerum esse quod dicitur, Christũ esse dominum uniuersorum. Sic Mosis & Aaronis prodigia in Aegypto patrata, Exo. 4. à scriptura appellantur signa. Erant enim testimonia & missionis legitimæ à deo, & potentiæ contra Aegyptum exercendæ ingentis argumẽta. Verũ non habebant & illa ullam ceremoniam, non colligebant in ullam sanctitatem. Iam uero legimus & signa quædam paradigmatica esse, exhibita quidem ab hominibus, sed non sine præcepto dei, ut possint hæc quoq; signa à deo data dici. Sunt illa à miraculis prorsus aliena, ac petita quidem non modo à rebus naturalibus, sed etiam uulgaribus planè: qualia fuisse leguntur Ieremiæ sancti prophetæ iugum, hydria atque catena, quibus, domino iubente, res sermone copiosè expositas, nunc etiam hypotyposi ac suffiguratione aliqua, signo, inquam, uisibili, hominum oculis quasi inspiciendas uoluit subijcere. Paria uidere licet & apud Ezechielem in cap. 17. et 24. Habent autem hæc signa paradigmatica similitudinem quandam cum Christis actiuis, imò sunt Chriæ quædam mixtæ. Chriam actiuam finijt Aphthonius, quæ actione aliquid declarat aut demonstrat: ueluti cum Pythagoras interrogaretur, quanta nam esset uita mortalium? is autem breui momento se conspiciendum præberet, mox autem subsidens se subduceret à conspectu hominum: eo modo eaq; actione significans, uitam hominum esse breuem & momentaneam. Cæterum in sacris proponuntur fermè Chriæ mixtæ, sermone & actione constantes: ueluti cum dominus producto in medium puello, hæc insuper uerba adijcit, Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puelli, non ingrediemini in regnũ cœlorum. Huiusmodi autem Chriæ aut signa non habent institutionem & præceptum dei iubentis hanc ipsam actionem solenni celebratione repetere. Habent tamen cum his cognationem aliquam sacramentalia signa, Baptismus uidelicet & Cœna domini-

Signa paradigmatica.

Iere. 27. 19. 28.

Chriæ.

Matth. 18.

Signa sacramentalia secernuntur ab alijs signis, cum quibus multa communia habent.

ca. Nam diuinitus quidem nobis data, & à rebus petita naturalibus, citra ullum miraculum, imò in rebus naturalibus sensibilibusq;, & maxime uulgaribus instituta sunt, aqua, pane & uino. Habent hæc cum alijs à deo datis signis communia, quod renouant res præteritas, adumbrant etiam futuras, & similitudine repræsentant res significatas. Habent peculiare quo differunt ab alijs, quod adiunctas habent cum præcepto ceremonias, quas ipse dominus ecclesiã suam celebrare iussit: & habent hoc peculiare, quod obsignando promissa dei, nos deo & cum omnibus sanctis uisibiliter coniungunt, & sacrosanctis mysterijs fidei in Christum dedicata sunt. De his porrò differemus paulò fusius & diligentius.

Sacramentum.

SIGNA sacramentalia Christi & ecclesiæ Christianæ, quæ uidelicet Christus dominus ecclesiæ suæ tradidit, ecclesia autem Christiana ab ipso accepit, & religiosissime custodit, à scriptoribus Latinis appellantur Sacramenta. At uocabulum hoc nullibi extat in tota scriptura sancta, nisi quod eo usi leguntur interpretes: uocabulum autem signi frequens est, ac quod nostrum attinet institutum significantissime ponitur Gene. 17. & Roman. 4. interim uocem Latinam Sacramentum nec abhorrentes reijcimus, neque reijcientes nouam comminiscimur. Placet uox Sacramentum, modo quis ea utatur legitime. S. Augustinus epistola ad Marcellinũ 5. Longum esset disputare, inquit, de uarietate signorum, quæ cum ad res diuinas pertinent, sacramenta appellantur. Hinc petita est haud dubie uulgaris illa descriptio aut consignatio, Sacramentum est sacræ rei signum: quæ quidem ut reijci non potest, ita nemini obscurum est ea rei naturam plene non comprehendi exprimiue, aut ab ijs quæ & ipsa sacra sunt signa, distingui. Profertur ergo alia, certe exactior definitio, Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Quoniam uero & hæc non usquequaq; rei naturam exponit, melior multis uisa est, quæ sic habet, Sacramenta sunt ceremoniæ, quibus exercet populum suum dominus, ad fidem primum excitandam fouendamq;: deinde & ad testificandam apud homines religionem. Recte quidem hoc dicitur. Quid uero si paulò copiosius liberiusq; sic describas? Sacramenta sunt actiones sacræ, uerbis siue promissionibus euangelicis & ritibus præscriptis constantes: ecclesiæ diuinitus in hoc traditæ, ut euangelicam prædicationem attestentur atque obsignent, fidem exerceant, rebusq; terrenis & uisibilibus magna dei mysteria repræsentent, & ob oculos statuant, denicq; ut ecclesiam uisibiliter colligant, suiq; moneant officij. Est sanè longe petita, diffusa, & multiplex, multis inquã ex partibus di-

Quid sit sacramentũ.

lecta,

lecta, definitio: uerum libet aperte agere, & rem totam semel oculis conspiciendam proponere: singula deinceps per partes illustrabimus, & scripturarum testimonijs confirmabimus.

Sacramentum pro iureiurando.

Iam ut de Vocabulis huic rei inditis plenius disseram, uideo Latinos scriptores sacramentum dixisse iusiurandum, aut religiosam obligationem: quod hæc quibusdam, opinor, ceremonijs peragere tur. M. Varro linguæ Latinæ lib. 2. explicans quid sit sacramento contendere, Qui petebat, inquit, quiq; inficiabatur de rebus alijs utriq; quingentos æris ad pontem deponebant, de alijs item rebus certum numerum assium: qui uero iudicio uicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, uicti ad ærariũ redibat. Quia itaq; sacris interpositis, deo & omnibus sanctis per participationem sacramento tum obligamur, adeoq; & ipse deus sacramentorum testimonio se nobis ueluti iureiurando obstringit, Sacramenti uocabulum apposititissime signis nostris inditum apparet. Legitur apud Latinos scriptores & de Militari quodã sacramento. Non enim pugnare phas erat, nisi sacramento adactis. Conceptis autem uerbis iurabant se omnia strenue facturos (ut ait de re militari Vegetius) quæ præcepisset imperator, nunquam deserturos militiam pro republica Romana. Dabatur donatiuum ueluti pignus & authoramentum: dabant nomina: signabantur notis. Iam quia nos nostris sacramentis, baptismo maxime, recipimur & inscribimur in militiam Christi, & sacramentis sumptis nos profitemur atteſtamurq; esse Christi milites, inde nec absurde nec præter rationem signa Christi & ecclesiæ sacramenta appellantur. Interim nolo pertinaciter contendere uocem Sacramentum illa causſa potissimum sacris illis signis nostris à ueteribus esse attributam. Nam Erasmus ille Roterodamus linguarum peritissimus & in sacris uetustisq; scriptoribus, si quis alius, sedulò uersatus, in Catacheſi sua symboli 5. Qui exacti us loquuti sunt, inquit, sacramentum appellant iusiurandum aut obligationem numinis ac religionis interuentu confirmatam. At maiores nostri uocem eam accommodarunt ad significandum id quod Græci dicunt Mysterium, quod religiosum arcanum possis dicere. Quia ab his tractandis secludebatur uulgus. Hæc Eras. Fuerunt ergo ueteribus scriptoribus ecclesiasticis sacramẽta dicta quasi mysteria.

Sacramentum militare.

Mysterium μυστήριον. quid.

Eadẽ enim signa appellantur à scriptoribus ecclesiasticis Græcis μυστήρια. Quæ Latini ferè interpretantur sacra & religiosa arcana, arcana inquam sacra, à quarum celebratione (ut modo dictum) excludebatur prophanum uulgus. Nam Cœlius in Lectionibus

antiquis dicta arbitratur mysteria ἀπὸ μύσαντας τηρεῖν ὕθλον, quod oportet occludentes, siue qui concluſi ea peragunt, cuſtodire intus ac nulli proferre prophano: unde recte uocauerimus Myſteria ſecluſa & arcana ſacra, ſolis initiatis cognita, ſolisq; celebranda ſanctis. Videri tamen poterat μυστήριον deriuatū à μύστης & μύω, ſicut ἀπορρητήριον, ex ἀπὸ & ῥέω, ut etymon apud Græcos non magis ualeat q̄ teſtamenti apud Latinos, quod ſit mentis conteſtatio. Quanquam non neſciam quid hic quoq; nonnulli diſputent. Certe Myſteria dicuntur Sacramēta quod inuolucro tegant res alias magis ſacras. Libenter autem hac uoce in epiſtolis ſuis utitur Paulus. Ac ratio patet cur attributa ſit hæc uox ſacris Chriſtianæ eccleſiæ ſignis. Hæc enim ſolis nota ſunt fidelibus, excluduntq; prophanos. Certe prædicatio euangelica dicitur & ipſa myſterium regni dei, nimirum quod excluſis impuris, perſpectum ſit ſolis dei filijs. Dixit enim myſtagogus ille noſter, Ne proiecerius margaritas ante porcos, neque dederitis quod ſanctum eſt canibus. Et Paulus, Quod ſi adhuc uelatum eſt, ait, euangelium noſtrum, in his qui pereunt uelatum eſt, in quibus deus huius ſæculi excæcauit ſenſus incredulorum, 2. Corinth. 4.

Matth. 13.
Epheſ 3.
Matth. 7.

Symbolum quid.

Porrò ex Græcis eccleſiæ doctoribus plerique ſacramenta noſtra appellarunt σύμβολα, quæ uox & à Latinis recepta eſt, & uſurpatur frequentiſſime Deducitur ea à συμβάλλω, id eſt confero. Collatione enim illuſtrantur & recte perſpiciuntur ſymbola. Significat ergo ſymbolum ſignum quod relationem habet ad aliud: quemadmodum dicimus ſignum militare. Ac uarius quidem fuit olim ſymbolorum apud Græcos uſus. Habebant enim in ſacris ſua ſymbola, ſigna, inquam, allegorice aliquid inſinuantia: ut in ſacris Bacchi ſymbolum erat, quod circunferebant bacchantes cribrum, ſignificantes utiq; ebrios eſſe futiles. Quid quod ſententiæ reconditioris aliquid ſenſus comprehendentes, per allegoriam aut ænigma, ſymbola dici cœperunt? Nam nota ſunt ſymbola Pythagoræ. Ita myſtica theologia nuncupari cœpit ſymbolica, nimirum myſterijs implicita ſecretioribus. Inde ſymbolicum eſt, quod ænigmaticum & allegoricum eſt, longe aliud habens in receſſu, quàm fronte promittat. Rurſus ſymbolum dicitur, quod inter ſponſum & ſponſam ex mutuo conſenſu interponitur, fidei munus, ne liceat à pacto recedere. Deniq; dabantur militibus ſub ijſdem ſignis merentibus, ſymbola. Dabantur item in quibuſdam urbibus amicis, ad uicinas & ſocias urbes concedere uolentibus, ſymbola,

symbola, hoc est tesseræ, quibus uisis intelligebant offerentem humaniter esse tractandum, ueluti socium & amicum singularem. Veteres itaque Symboli uocem sacramentis nostris accommodarunt, quod hæc nobis maxima dei mysteria repræsentant, allegorica & ænigmatica sunt, quod denique ipse dominus sacramentorum institutione se nobis, nos illorum communione, ipsi & omnibus sanctis obstringimus, testificantes & palàm profitẽtes nos strenue sub signis domini militaturos. Præterea admonent nos sacra symbola dilectionis fraternæ, ut meminerimus eos qui nobiscum de eadem mensa participant, & eodem abluuntur baptismo, impensissime ut filios dei & fratres nostros esse diligẽdos. Hæc de sacramentis quid sint, quibus uocentur nominibus, & quare sic nuncupentur, consignasse sufficiat.

EXPONENDVM autem ante omnia uidetur, à quo authore profecta sint sacramenta, & quas ob caussas instituta. Confessum est apud omnes ferè, solum deum instituere posse sacramenta, non homines, non ipsam quoque ecclesiam. Est enim inter Scholasticos, qui submoneat ecclesiam, ut meminerit se non esse dominam sacramentorum, sed ministram, nec posse hanc magis instituere formam sacramẽtalem, quàm legem aliquam diuinam abrogare. Sed & Aquinas parte 3. quæst. 40. articulo 2. Ille instituit, inquit, aliquid, qui dat ei robur & uirtutem: sed uirtus sacramenti est à solo deo: solus itaque deus potest instituere sacramenta. Et reuera solus deus cultum legitimum instituere potest. Pertinent autẽ sacramenta ad cultum, unde solus deus sacramenta instituit. Si quis in ueteri testamento obtulisset sacrificium non præceptum à domino, nec obtulisset eo modo quo iusserat immolare dominus, non modo nihil utilitatis inde percepisset, sed insuper cõmisisset piaculum pœna ex piandum longe funestissima. Quis enim ignorat filios Aaronis ignem alienum offerentes, cœlitus delapsa flamma horribiliter esse concrematos? Displicẽt ergo domino ceu prophana: neque legitima sacramenta dici merentur, quę non habent ipsum dominum authorem. His accedit quod sacramenta diuinæ erga nos uoluntatis & beneuolentiæ testimonia & quasi sigilla sunt. At quis oro melius rectius & certius de diuina uoluntate testabitur, quàm ipse deus? Sigillum dei neutiquam appellari & haberi meretur, quod ab ipso deo non est appensum, aut impressum, imò adulterinum est sigillum quod à deo non est profectum, interim tamen dei nomine uenditatur. Iam & S. Augustinus, quod omnium in ore uersatur, dixisse legitur, Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum:

Solus deus sacramentorũ author

Isaiæ ult.

Leuit. 10.

unde colligimus in ſacramentis potiſſimas partes habere ipſum dei uerbum: uerbum inquam dei, non uerbum hominum, nõ eccleſiæ: unde denuo ſequitur ſignum proficiſci oportere ab ipſo deo, non ullis hominibus, licet numero multis, eruditione doctis, & uitæ innocentia ſanctis: ut iam alius author ſacramentorum eſſe nequeat, quàm deus ſolus.

Sacramẽta ueluti ex manibus Chriſti accipienda.

Quemadmodum uero recipimus uerbum ſalutis & gratiæ, ita neceſſe eſt nos accipere & ſigna gratiæ. Licet autem uerbum dei nobis annuncietur ab hominibus, non tamen illud amplectimur tanquam uerbum hominis, ſed ueluti uerbum dei, iuxta illud apoſtoli, Cum acciperetis à nobis ſermonem, quo deum diſcebatis, accepiſtis non ſermonem hominum, ſed ſicut erat uere ſermonem dei. Spectare enim nos conuenit primum authorem, qui ablegatis diſcipulis ſuis dixit, Ite in orbem uniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; præcepi uobis: & baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Qui autem uos audierit, me audiuit: qui autem uos repulerit, me repulit. Ideoq; tametſi hominum manibus adminiſtrentur ſacramenta, à religioſis tamen illa non percipiuntur tanquam ab hominibus, ſed ueluti è manu ipſius domini, primi ſacramentorum authoris. Huc enim pertinet quod in euangelio legimus quæſiuiſſe dominum, Baptiſmus Ioannis è cœlo ne an ex hominibus erat? Certè Ioannes qui baptizabat, homo erat: ſed quod baptizabat, ex inſtitutione dei baptizabat: erat itaq; baptiſmus Ioannis è cœlo, licet aqua flueret ex abyſſo in alueo Iordanis, ipſeq; Ioannes uerſaretur in terris. Huc præterea pertinet, quod Paulus diſerte pronunciauit, Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis. Quãquam ergo homo eſſet Paulus, & homo quidem peccator, quod tamen tradebat eccleſiæ, non ex ſeipſo, aut ullo inuento humano tradebat, ſed ex traditione Chriſti, ut iam traditio, Chriſti ſit traditio, diuina & cœleſtis. Præterea operatur uel hodie in eccleſia ſua ſummus ille & æternus pontifex noſter, cuius miniſterio funguntur, id eſt cuius iuſſu baptizãt, & cuius inſtitutione ſacrum exhibent conuiuium, qui ſunt diſpenſatores myſteriorum dei. Opus ergo illius ingenue agnoſcendum eſt à nobis omnibus. Hæc autem de Sacramentorum authore hactenus.

Matth. 28.
Marci 16.
Luc. 10.
Matth. 21.
1. Cor. 11.

Cur ſacramẽta nobis inſtituta in ſpeciebus ritibuſq; uiſibilibus rerum uiſibilium.

Cauſſas inſtitutionis ſacramentorum, cur uidelicet res ſpirituales & cœleſtes nobis traditæ aut commendatæ ſint, ſub ſignis aut ritu: quarum prima ita friget, ut eam pigeat commemorare. Meritum enim

enim in eo constituit, quod dei imperio, ut ait, salutem homo quaerit in inferioribus se. Quibus tamen mox addit, Etsi non ab illis, sed per illa à deo: satis quidem & illud ipsum effutiēs inexpensum. Reliquae duae, nempe quod propter eruditionem, & propter exercitationem, inuenta sint, non prorsus absurdae esse uidentur. Verissima & maxime propria causa, cur sacramenta sint instituta sub signis uisibilibus, uidetur esse diuina partim bonitas, partim humana imbecillitas. Difficulter enim intelligimus res diuinas atq; cœlestes, si absq; inuolucro aliquo, ita ut natura sua sunt, puras & illustres, proponantur: rectius autem faciliusq; intelligūtur, si suffigurentur nobis per terrena, hoc est per signa nobis familiariter cognita. Proinde sicuti parabolis benignus dominus negotiū regni dei obtexit, imò illustrauit ornauitq; : ita symbolis quoq; idem ipsum negotium ob oculos quodāmodo statuere, & quasi in picta tabella demonstrare, refricare, renouare & repraesentare uoluit. Hanc ut maxime propriam causam agnouit & Ioannes Chrysostomus, qui Homelia in Matth. 83. Nihil sensibile, inquit, tradidit nobis dominus. Res quidem sensibiles sunt, omnia tamen intelligibilia. Sic in Baptismo per rem sensibilem datur aqua: quod autem perficitur, nempe regeneratio & renouatio, mēte percipitur. Nam si tu incorporeus esses, nuda tibi haec tradidisset omnia dona: quia autem corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus ea quae mente percipiuntur, tradidit. Id quod non ideo adduco, quod humano innitar testimonio: sed quod uideam D. Ioannem Chrysostomum obseruato scripturarum more ita esse loquutum. Quis enim nesciat sacras literas parabolis, similibus, allegorijs symbolicisq; scatere loquutionibus? Quibus sanè dei spiritus utitur, non propter semetipsum, sed propter nos. Notissimum est enim illud domini in euangelio cum Nicodemo de regeneratione cœlesti, per inuolucra aeris & aquae disputantis atq; dicentis, Si terrena dixi uobis & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Atqui appellauit Terrena, doctrinam illam suam de regeneratione cœlesti per terrena symbola aquae & spiritus siue aeris ac flatus suffiguratam: per Cœlestia uero illam eandem intellexit doctrinam de regeneratione cœlesti, sed citra imaginationem similitudinem aut symbola nude traditam. Significauit ergo dominus facilius capi ab hominibus doctrinam rerum cœlestium inuolucro aliquo tectam, quàm nude & spiritualiter planè traditam: ut facillime ex collatione rerum nō admodum disparium colligi possit, non alia causa & sacramenta diuinitus esse inuenta, quàm perspicuae demonstrationis & illustrationis rerum

Chrysosto. de caussa sacramentorum.

Ioan. 3.

Analogia. cœlestium gratia. In qua re obseruanda uenit Analogia, quæ est aptitudo quædam, proportio, seu ut Cicero uocauit conuenientia, rerum, in quam, signis sic agnatarum, ut sine ea leuiter transmissa ratio sacramenti plene non intelligatur, excussa autem & ad plenum obseruata, ἀναγωγὴν hoc est intelligentiam reconditiorem, sine labore offerat contemplanti. Exemplis id forte in rerum tractatu illustrabitur diligentius.

Laudãdus dominus propter instituta sacramenta.

Quisquis ergo exacte hanc sacramentorum inuentionẽ expenderit, non poterit non laudibus insignem domini uchere bonitatem, quæ mysteria regni dei non tantum miseris recludit mortalibus, sed rationem quoque habet infirmitatis humanæ singularem, qua nobis condescendens, nobiscum quodammodo balbutit, dum uidelicet mysteria cœlestia terrenis adoperta symbolis, pro captu nostro formans, & declarat significantissime, & quasi oculis cõtemplanda subijcit. In eadem hac sacramentorum institutione laudare

Sapientia dei relucet in sacramẽtorum institutione.

etiam licet diuinam sapientiam: si modo paruis licet cõponere magna. Nam hic mos in mundo quasi pro lege receptus est, quod sapientissimi quiq; maxima sapientiæ mysteria, nõ uerbis modo, sed & symbolis adiunctis, suis commendarunt auditoribus, nimirum ut duo sensus nobilissimi in homine, auditus & uisus, simul percellerentur & permouerentur grauius efficaciusq;. Plena sunt exemplis philosophorum gentilium uolumina. Quid quod ueteri quoque dei populo huius generis cesserunt & ab ipso deo data sunt plurima?

Mos sanciẽdorum fœderum.

Rursus quando in fœderibus sanciendis aut in serijs magnitq; momenti pollicitationibus confirmandis, homines signa ueritatis, gratia fidei conciliandæ promissis interponunt: iccirco dominus hac quoq; in re humanum morem imitans, fœderi suo æterno, & promissionibus uitæ, signa adiecit fidei & ueritatis, ipsa inquam sacramenta, quibus promissiones suas ipsamq; euangelij sui doctri-

Hebr. 6.

nam obsignat. Nec hoc ipsi rarum aut nouum est. Iurant homines per ipsum dominum, dum alios de ueritate promissionum suarum uolunt reddere certos atq; securos: iurasse ergo legitur & dominus ipse in sacris literis, & iurasse quidem per semetipsum, cum uidelicet promissionum hæredibus eximie uellet ostendere, ut ait apostolus, consilij sui firmitatem. Præterea mos fuit priscis hominibus fœdera ferientibus, hostiam dissecare in partes, atq; per partium dissectarum medium transire, eaq; testari ceremonia, subijcere se dissectionis pœnæ aut supplicio, nisi stent pactis firmissime. Ad eũ uero

Gene. 15.

modũ dominus cum Abrahamo fœdus initurus aut reparaturus, quod

quod Moſes copioſe deſcribit Gene. 15. cap. iubet Abrahamum buculam, capram & arietem, triennes, diſſecare, & partes ex oppoſito collocare: quod cum feciſſet Abraham, ipſe dominus, ſub ſpecie lampadis aut facis ardentis, per partes illas medius tranſiuit, ut inde intelligeret Abraham terram Chanaan ſemini ipſius certò fore tradendam, neque quicquam eorum quæ ea pactione promiſerat dominus, irritum futurum. Quando ergo bonus & uerax dominus ſemper ſui ſimilis eſt, & tunc quidem eò quo diximus modo ſe ſuæ attemperauit eccleſiæ, quid mirum aut nouum obſecro, ſi nobis hodie quoq; ſub rebus uiſibilibus ſignacula uel ſigilla ſuæ gratiæ & myſteriorum regni dei reliquit? Atq; hæc hactenus de ſacramentorum cauſſis præcipuis, ob quas inſtituta ſunt, diſſeruimus.

Species ſacramentorum.

IAM uero de ſpecie & numero ſacramentorum, qui locus præcedenti proximus eſt, uaria diſputata ſunt à ſcriptoribus, poſtremi temporis maxime. Priſcis enim res illa, utpote planiſſima perſpectiſſimaq; paucis abſoluebatur. Atqui ſcripturas perueſtiganti, uidentur alia quidem ueteris, alia uero noui teſtamenti ac populi eſſe ſacramenta. Et ueteris quidem populi ſacramenta fuere Circunciſio & Paſcha, quibus acceſſere ſacrificia. De quibus copioſe diximus Decadis 3. Sermone 6. Similiter autem noui, id eſt Chriſtiani populi ſacramenta numerant literæ apoſtolicæ duo, Baptiſmum & Cœnam dominicam. At Petrus Lombardus ſeptem numerat, Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Confirmationem, Extremã unctionem, Ordinem & Matrimonium. Hunc ſequitur totus grex interpretum & turba theologorum ſcholaſticorum. Cæterum priſci doctores eccleſiæ ferè omnes duo præcipua commemorant ſacramenta: inter quos Tertull. primo & quarto libro contra Martionem, & in libro de Corona militis ſignificanter duo tantum recenſet, Baptiſmũ uidelicet, & Euchariſtiã. Auguſt. quoq; lib. de Doct. Chriſt. 3. cap. 9. Dominus ſignis nos non onerauit, inquit, ſed quædam pauca pro multis, eademq; factu facilima, & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe dominus & apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum & celebratio corporis & ſanguinis domini. Idem rurſus ad Ianuarium epiſt. 118. Sacramentis numero pauciſſimis, ait, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt baptiſmus trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis cõmendatur, exceptis his, quæ ſeruitutẽ populi ueteris, pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis, onerabant, quæ in 5. libris Mo-

Numerus ſacramentorum.

fis leguntur, Obseruandum autem uidetur quod nõ dicit, Et si quæ alia in scripturis canonicis cõmendantur: sed, Et si quid aliud, &c. Id quod palàm arguit ipsum non de sacramentis loqui, sed de obseruationibus quibusdam, & usurpatis & receptis ab ecclesia: sicuti & consequentia in Augustino uerba declarant. Fateor tamen ingenue eundem alibi & sacramenti Ordinis mentionem facere: ubi tamen illud quoq; mihi expendendum uidetur, quod idem ille & Chrisma, & Prophetiam, & Orationem, & alia quædam huius notæ, non minus q̃ Ordinem, sacramenta appellat, & quod scripturarum sacramenta idem subinde in ore habet: unde claret sacramenti uocabulum in illius scriptis aliter ac aliter usurpari. Hæc enim sacramenta uocauit, quod sacrosancta sint, è spiritu dei sancto profecta, quod sancta sint dei instituta ab omnibus obseruata sanctis: ut hæc iam differant ab ijs sacramentis, quæ actiones sacræ sunt, uerbis & ceremonijs constantes, consortes q̃ in unam colligunt societatem.

Rabanus Maurus. Sed & Rabanus Maurus diligens Augustini lucubrationũ lector, & episcopus Moguntinus, lib. de Instit. clericorum 1. cap. 24. Sunt autem sacramenta, ait, Baptismus & chrisma, Corpus & sanguis: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, uirtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur: unde & à secretis uirtutibus uel sacris, sacramenta dicuntur. Floruit hic circa annum domini 830. ut uel hinc colligere liceat priscæ apostolicæ ecclesiæ non fuisse plura, quàm duo sacramenta. Ambrosij hic nullam mentionem facio, licet & ipse in libris suis de Sacramentis, non tot enumeret ficuti numerauit scholasticorum grex: quod libri eius non recipiantur ab omnibus doctis pro genuinis Ambrosij libris. Ita nihil moueor Dionysij librorum authoritate, quibus quid doctissimus optimus q̃ quisq; tribuat in aperto est. Vtcunq; uero illa habeant, scriptura sacra unica uitæ & omnium in ecclesia rerum gerendarũ certissima regula, Baptismũ & Cœnam nobis tanquam solennia Christi instituta & sacramenta commendat. Ea ergo sufficiunt nobis, ut nihil nos moueat, quicquid tandem contra aut præter hæc afferat ingenij humani acumẽ, quod nullam unquam potestatem accepit instituendi sacramenta.

Salubres ritus ecclesiæ non contemnuntur. Interea salubres ritus, & salutaria dei instituta, obseruationes q̃ religiosas ecclesiæ Christi non contemnimus. Diximus aliàs quid sentiamus & doceamus de Pœnitentia, & de Ordine ecclesiastico: dicemus suo loco de reliquis illis, quæ neoterici uenditant pro sacramentis. Ita etiã alibi, quantũ satis esse putauimus, disseruimus de similitudine & differentia sacramentorum ueteris & noui populi.

VIDEAMVS modo quibus rebus ſacramenta conſtent. Scripturarum & omnium ſanctorum teſtimonio conſtant duobus, è ſigno & re ſignata, è uerbo & ritu, è promiſſione euangelica & ceremonia, è re externa & interna, è re, inquam, terrena & cœleſti (ut habet martyr Chriſti Irenæus) ex re uiſibili & inuiſibili, è ſenſibili & intelligibili. Huc enim pertinet quod D. Ioan. Chryſoſtomus in Matth. οὐδὲν γὰρ, inquit, αἰσθητὸν παρίδωκεν ἡμῖν ὁ χριστὸς, ἀλλ' αἰσθητὰ μὴ τὰ πράγματα πάντα ἀλλὰ νοητά. Cæterum appellauit αἰσθητὰ ſenſibilia, quæ uidelicet externis ſenſibus, utpote uiſu, auditu, guſtu & tactu percipiuntur. νοητὰ uero intelligibilia aut mentalia, quæ mente uidelicet, intellectu, conſideratione & animi diſcurſu aut ratiocinatione, non carnis quidem, ſed fidei, percipiuntur. Scripturarum demõſtratione res fiet illuſtrior. Dominus dicit in euangelio diſcipulis ſuis, Ite in orbem uniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Baptizabitis autem in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti. Eadem ſcriptura euangelica de Ioanne Baptiſta dicit, Baptizabat Ioannes in deſerto, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Ita & S. Lucas teſtatur D. Petrum ad Iſraelitas dixiſſe, Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſq; neſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. In baptiſmo itaq; aqua uel aquæ aſperſio in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, & totum illud quod fit ab eccleſia, eſt ſignũ, ritus, ceremonia, ac res externa, terrena atq; ſenſibilis, ſenſibus, inquã, patens & expoſita: at remiſſio peccatorum, participatio uitæ, conſortium cum Chriſto & membris eius, dona item ſancti ſpiritus, quæ conceduntur nobis per gratiam dei, in fide Ieſu Chriſti, res eſt ſignificata, interna, cœleſtis ac intelligibile illud, quod mente fideli percipitur. Ad eundem modum teſtificans ſcriptura et de Cœna domini altero eccleſiæ ſacramento, Dominus, inquit, Ieſus accepto pane, gratias egit, fregit, diſtribuit diſcipulis ſuis, & ait, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro nobis traditur. Similiter et poculo accepto dixit porrigẽs, Bibite ex hoc omnes, Hic eſt ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, qui pro multitudine effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Iam itaq; in Cœna domini tota illa actio quæ fit ab eccleſia ad exemplum ſummi pontificis Chriſti, fractio inquam panis, diſtributio, adeoq; conuiuium ipſum aut perceptio panis & uini ſignũ eſt, ritus, ceremonia, ac res externa ſiue terrena, ipſum illud ſenſibile quod patet ſenſibus. Cæterum intelligibile & res ſignificata, interna et cœleſtis, eſt ipſum corpus traditum pro no

Lib. contra hæreſes 4. & 5.

Signo & re ſignata conſtant ſacramenta.

Marci 1.

Actorũ 2.

Matth. 26. Lucæ 22.

bis, & sanguis effusus in remissionem peccatorum, adeoq; redemptio nostra & cõmunio quam habemus cum Christo & omnibus sanctis, & quam habet ille in primis nobiscum.

Ex his facile licebit certum constituere de uocabulis iam iam huic inditis negotio. Externa enim appellantur signa, quod sint corporea, foris incurrentia sensibus, quibus hauriuntur. E diuerso appellamus ipsas res significatas internas, non quod res ipsis inclusæ signis lateant, sed quod internis animi facultatibus per spiritum dei concessis percipiuntur. Ita quoq; eadem signa nuncupantur & terrena & uisibilia, quod rebus constent è terra sumptis, aqua uideli cet, pane & uino: & quod in his speciebus coràm uideantur. Porrò cœlestes & inuisibiles dicuntur res significatæ, quod fructus ipsarũ sit cœlestis, quodq; oculis animi seu fidei, non corporis, cernantur.

Signa externa et res internæ.

Signa terrena & uisibilia, res cœlestes & inuisibiles.

Alioqui enim ipsum domini nostri Iesu Christi corpus & sanguis, quæ in cœna specie panis & uini repræsentantur fidelibus, suapte natura nõ sunt cœlestia aut inuisibilia. Corpus enim domini nostri sua substantia & natura nostro corpori consubstantiale est: cœleste quidẽ & ipsum, ppter liberationẽ à corruptione & infirmitate, aut propter clarificationẽ, nõ naturę euacuationẽ aut depositionẽ, appellatũ. Idipsum uisibile est nõ inuisibile sua natura, residens in cœlis: uidetur tamẽ à sanctis cœnã celebrantibus, non corporis quidẽ, sed animi oculis, ideo propter nos inuisibile dicitur, quod in seipso nõ est inuisibile. Iam Verbũ in sacramentis dicitur, & est diuinæ uoluntatis testificatio, beneficiorũ & promissionũ dei cõmemoratio & renouatio, institutio itẽ & præceptũ dei, quod sacramenti authorẽ modum & finẽ ostendit. Verbum enim in baptismo illud est, quod modo recitauimus, Ite in mundũ uniuersum, &c. In Cœna domini, uerbum dei illud est, Accepit Iesus panẽ, &c. Ritus aũt consuetudo & mos est, petitus ab exemplo domini prçeuntis actione sacra, in qua & preces & ea quæ recitantur è uerbo Christi, cõprehendimus. Nã ut ille panẽ fregit & distribuit, similiter & poculũ diuisit: ita sancta imitatione & ritu sacramentali idem imitamur in actione sacra: ut ille gratias egit, ita & nos agimus gratias. Inuocamus super baptizandos certis precibus auxiliũ & gratiam domini: recitamus locos quos ad negotiũ baptismi pertinere credimus certos ex euangelio. Idem solemus & in celebratione Cœnæ dominicę exequi. Verũ nõ est instituti nostri fuse & exacte nunc de Ritibus sacramentorũ disserere: quos tamen optimos esse arbitramur, si sint petiti ex sacris, & modum non excedant. De quibus suo loco.

Verbum et ritus.

Promissio & Ceremonia.

Alij ꝓ uerbo reponũt ꝓmissionẽ, ꝓ ritu ceremoniã. Ac in uocabulo

bulo quidē Ceremoniæ nón uideo ullū periculū: siquidem per Ceremoniam intelligatur externus ille cultus & ritus, quem ipse dñs suo nobis exemplo commendauit, & celebrandum reliquit. Et reuera signa sacramentalia non sunt simplicia signa, sed ceremoniæ seu actiones religiosæ. Ita nullum periculum esse uidetur & in uoce Promissionis, modo per Promissionem intelligamus prædicationem euangelij, & commemorationem promissionum diuinarum, quas in prædicatione euangelij & celebratione sacramentorum recitantes usurpamus, Deum uidelicet nos propter Christum in fide recipere in suum consortium, abluere à peccatis, donare uarijs charismatibus: Christum pro peccatis nostris traditum, effudisse sanguinem ad expianda omnium peccata fidelium. Nam in celebratione baptismi usurpamus illa domini uerba, Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum dei &c. In celebratione cōuiuij sanctorum recitamus hæc sacra domini uerba, Cœnantibus eis accepit Iesus panem, & postquam egisset gratias, fregit & dedit eis, dicens, Accipite edite, Hoc est meum corpus, quod pro uobis traditur, Hic est sanguis meus qui pro uobis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Et reliqua. Sunt enim illæ commemorationes, & recitationes, promissiones euangelicæ pollicentes peccatorum remissionem credentibus, annunciantes pro ipsis domini corpus traditum, & pro ipsis effusum esse sanguinem: quæ sanè fides unica & certissima est uitæ & salutis apprehendendæ ratio. Christus est uis & substantia sacramentorum, per quem solū efficatia sunt, extra quem nihil possunt aut efficiunt.

Cæterum si quis per promissionem intelligat pactionem, qua se dominus singulariter obstrinxerit, ac uelut affixerit signis, in quibus aut cum quibus uelit corporaliter, essentialiter & realiter esse præsens, iam plus dicit, quàm scripturis demōstrare euincere q̄ possit. Nullibi enim promisit se Christus in signis aut cum signis corporaliter, hoc est uero suo corpore affuturum. Alioqui non nescio deum alicubi patribus nostris apparuisse sub figura corporali, id est specie aliqua uisibili: ueluti dum Iacobo Izraeli scalæ incumbens & Mosi in foramine petræ ceu in specula constituto se exhibet uidendum. Verum ea huc proprie non pertinent, qui de corporali Christi præsentia, & de signis sacramentalibus differimus. Quia uero nō pauci uerba domini Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, huc torquent ut corporalem corporis domini præsentiam in Cœna statuant: respondemus uerba illa domini non rigide ad literam exponenda esse, quasi panis & uinum essentialiter aut corpo-

raliter sint corpus & sanguis Christi: sed symbolice & sacramentaliter, ita ut corpus & sanguis Christi in sua substantia & natura, & in loco suo, in certo inquam aliquo cœli loco maneant, panis autem & uinum signum uel sacramentum sint, testimonium aut obsignatio, memoriaq; celebris traditi pro nobis corporis ac effusi sanguinis. Verum hac de re suo loco copiosius disseremus. Ex ijs quæ diximus satis claret quomodo sacramenta constent duobus, signo & re signata, uerbo dei & ritu uel ceremonia sacra.

SVNT tamen qui arbitrantur uerbis eam esse uim à deo inditã, ut pronunciata super signa, ipsa sanctificent, immutẽt, adeoq; res significatas aduehant uel præsentes faciant, & signis ipsis inserant, uel includant, aut certe coniungant. Hinc enim exaudiuntur uoces huiusmodi, Aquam baptismi uirtute uerborum regenerare: & uirtute uerborum ipsum panem & uinũ in Cœna fieri carnem & sanguinem domini naturalem. Ac uerbo quidem & signo constant sacramenta Christi & ecclesiæ. At diligenter dispiciendum uidetur quid intelligi oporteat per uerbum. Modo dixi Verbum in sacramentis esse diuinæ uoluntatis testificationem, ipsumq; dei præceptum aut institutionem dei, quæ sacramenti authorem, modum & finem ostendit. Hoc inquam uerbo & præcepto dei, hac uoluntate & institutione dei, sanctificantur sacramenta, non quod uerba à ministris sic pronunciantur, sicuti leguntur prius ab ipso domino recitata, aut ab ipsis tradita apostolis: sed quod deus sic uoluit, fecit, & facere iussit. Quod enim deus facit, aut facere iubet, ipso dei præcepto aut facto est sanctificatum. Nam omnia quæ fecit, ualde bona sunt: ergo quæ facere iubet, non possunt non esse sancta: quia ipse sanctus est & sanctificator unicus. Proinde ex natura, uoluntate, facto, aut iussu dei, non ex pronunciatione ullorum uerborum est sanctificatio sacramentorum. Cui iam, ut homini quoq; applicetur ac prosit, fidelis hominum obedientia accedat necesse est: quæ uidelicet omnem fiduciam defigat in misericordiam & potentiam dei, quæ deniq; non contemnat aut respuat institutionem dei, licet in speciem uilis & contempta uideatur. Apparebit hoc clarius in exemplo Naamani magistri militum regis Syriç. Is audit à prophera, haud dubie ex præcepto domini, septies lauet in Iordane: sic enim futurum, ut mundetur à lepra. Audis hic uerbum, uoluntatem inquam & præceptum dei: non audis autem ulla uerba recitari uel super Iordane, uel super Naamano, uel ulla uerba Naamano à propheta præscribi, quæ ipse recitet, quibus uidelicet aquæ indatur purificandi uis. Obtẽperat per fidem præcepto dei Naaman, & mundatur

Quid in negotio sacramentorum intelligatur per uerbum.

4. Reg. 5

datur à lepra, non ſuo quidem merito, aut aquæ Iordanis beneficio, ſed uirtute dei & fideli obedientia. Mundantur & in euangelio leproſi non pauci, uirtute inquam & uoluntate Chriſti domini fideiq; gratia, non ulla pronunciatione uel recitatione uerborum. Dixit ſanè dominus, Volo, mundus eſto: cæterum ſi quis hodie eadem recitarit etiam cẽties ſuper leproſo aliquo, nihil effecerit. Vnde perſpicuum eſt, uerbis nullam eſſe uim inditam ſanitatis effectricẽ, ſi pronuncientur. *Matth. 8.*

Dixerunt ſanè apoſtoli ad ægrotos languentes et claudos, In nomine domini Ieſu ſurgite et ambulate: ac ſurrexerũt quidem ſanati: ſed non uerborum beneficio ſeruati, uerum nomine, potentia inquam & uirtute Chriſti. Petrus enim qui ad claudum Hieroſolymis dixerat, In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, coram ſenatu Hieroſolymitano, Examinamur hodie de eo, inquit, quod benefecerimus infirmo, qua ratione iſte ſaluus factus ſit: notum ſit ergo omnibus uobis, quod per nomen Ieſu Chriſti Nazareni, iſte aſtat coram uobis ſanus. Et ad populum idem, Per fiduciam nominis eius, inquit, hunc quem uidetis ac noſtis, confirmauit nomen ipſius, & fides quæ per eum eſt, dedit ei integritatem iſtam. Præterea legimus in Actis apoſtolorũ, filios cuiuſdam Sceuæ ſacerdotis exorciſtas inuocare nomen domini Ieſu ſuper eos qui habebant dæmonia: hæc uero adeo non ceſſiſſe exorciſmis, ut magis in exorciſtas inſurgentia illos ferè ad mortem uſq; mulctarint. Vbi apertiſſimum eſt exorciſtas eadem ferè uſos eſſe formula, qua utebantur apoſtoli (nam per nomen domini Ieſu tentabant eiicere dæmonem) hoc autẽ cum non potuerunt, quis non uideat uerba pronunciata nihil poſſe? Nec obſtat hic quicquam, quod exorciſtæ illi fuerunt increduli. Nam apud omnes receptiſſimum eſt, ſacramenta non minus efficatia eſſe per malos adminiſtrata miniſtros quàm per optimos. *In nomine domini ſanati languentes. Actor. 3.* *Act. 19.*

At obijcitur hic nobis illud apoſtoli, Chriſtus expoſuit ſemetipſum pro eccleſia, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, uel in uerbo. Siquidem, En, inquiunt, mundantur homines aqua baptiſmi, quæ ex uerbo uim habet ſanctificandi inditam: uerbis itaq; uim ſanctificandi ineſſe neceſſe eſt. Cęterum euincemus perſpicua demonſtratione, nõ hoc ſenſiſſe apoſtolum, quod illi putant. Præſcribit apoſtolus Chriſtianis coniugibus officia ſua: ad quam rem illuſtrandam utitur exemplo Chriſti & eccleſiæ, Chriſti erga eccleſiam commendans inſignem illam dilectionem, qua inflammatus expoſuerit ſeſe pro ipſa, in hoc ut purgatam & glo- *Explicatur locus Pauli Epheſ. 5. cap.*

rioſam ſibi ſponſam adiungeret: ubi obiter mundandi modum indicat. Nam ipſe dominus Ieſus, inquit, illam mũdauit. Solius enim Chriſti eſt purgare. Iam ſequitur modus, Lauacro aquæ per uerbũ: quod quia breuiter dictum eſt, nonnihil obſcuritatis habet. Duo autem commemorat, quæ dominus ſuis adhibet mundandis, Lauacrum aquæ & Verbum. Lauacrum aquæ baptiſmus eſt, externa uidelicet actio, internæ purificationis, gratia & ſpiritu dei factæ, teſti-

Titum 3. ficatio: iuxta illud, Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulente, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Per interpretationem enim ſubijcit, Ac renouationis ſpiritus ſancti, cuius quidem ſymbolum eſt lauacrum aquæ. Porrò Verbum eſt ipſa euangelij prædicatio, teſticans gratia & miſericordia patris datum nobis eſſe filium unigenitũ, qui traditus pro peccatis noſtris, credentes effecerit hæredes uitæ æternæ: ut iam hæc Pauli uerba ad Epheſ. 5. congruant cum hoc præcepto domini apud S. Marcum, Ite in orbem uniuerſum, & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit &c. Nam his quoq; adũbrat dñs ſalutis modum & rationẽ, quod ipſe ſolus ſit, qui purget per fidem: uelit interim, ut credentes baptiſmo conſignentur, & palàm prædicetur in orbe, quod ipſe ſit qui condonet peccata, & donet etiam gratis uitam æternam. Hæc autem omnia quid oro faciũt ad illorum inſtitutum, qui Paulinis uerbis euincere uolunt, uerbis

Ioan. 15. ineſſe uim ſanctificantem baptiſmum? Elucidant noſtra adhuc clarius hæc domini uerba ad apoſtolos ſuos dicta, Iam mũdi eſtis propter ſermonem, quem dixi uobis. An enim hic dicemus propter uerba Chriſti recitata purgatos eſſe Chriſti apoſtolos: quid itaq; opus erat ipſum poſtridie crucifigi & mori? An ut uerbis illam poteſtatem impetraret? Omnis itaq; gloria uerbis porrò uindicabitur. An uero non magis dictat fides & pietas per Sermonem domini illud intelligendum eſſe, quod prædicatione domini explicatur, mors & redemptio Chriſti, cui quoniam crediderunt, purificati ſunt. Alibi

Actо. 15. enim dicit, Fide purificans corda ipſorum. Proinde error in eo uerſatur, quod non recte iudicant de uerbo aut ſermone. Dominus eñ loquitur de prædicato & credito: illi intelligunt de pronunciato, quaſi ſic uim habeat ex domino ſanctificandi. Nobiſcum facit & S. Auguſtinus, qui Tracta. in Ioan. 80. Vnde iſta, inquit, tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente uerbo. Non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam et in ipſo uerbo aliud eſt ſonus tran-

Rom. 10. ſiens, aliud uirtus manẽs. Hoc eſt uerbum fidei quod prædicamus,

ait

ait apostolus, quia si confessus fueris ore tuo, quod dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde in Actibus apostolorũ legimus, Fide mundans corda eorum. Et in epistola sua beatus Petrus, Sic & nos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordiũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est uerbũ fidei quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum uitis, cum patre agricola, dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Lege apostolũ, & uide quid adiungat, Vt eam sanctificaret, ait, mundans eam lauacro aquæ in uerbo. Mundatio itaq; nequaquam tribueretur fluxo & labili elemento nisi adderetur in uerbo. Et reliqua. Hucusq; enim S. Augustini uerba recensui, nõ quod humano innitar testimonio aut hoc quẽquã urgere uelim, aut ipse humano premi sustineam testimonio, sed quod his testimonia aliqt scripturæ de uerbo testificantia collegit, ex quibus intelligere possumus uerbũ fidei prędicatũ, & non recitatum aut pronunciatũ, accipi oportere. Hoc, inquam, uerbum uere purgat, id est gratia Christi, in quam unice & uerbum & fides intendit, purificat. Ideo enim ille diserte dixit, Non quia dicitur, sed quia creditur. Deinde Verbũ fidei est, inquit, quod prædicamus. Præterea, Verbo fidei, inquit, cõsecratur baptismus, ut mundare possit. Quod quid aliud est, quàm si dixisset, Ipsum fidei negotium efficit ut baptismus sit efficax? Sequitur enim, Mundatio itaq; nequaquam fluxo elemento tribueretur, nisi adderetur, in uerbo. *Act. 15.* *1. Pet. 3.*

Iam si prisca quoq; inspicias sanctorum mysteria, non legas in celebratione Circũcisionis, Præfæ & Sacrificiorum ulla esse recitata uerba, quibus ea formarentur, ac ueluti crearentur sacramenta, rederenturq; efficacia. Quo accedit, quod Baptista non tantum uulgus promiscuum, sed ipsum etiam dominum Iesum, aqua Iordanis baptizauit, nullis interim uerbis recitatis, quibus gratiam cœlestem euocarit super aquam baptismi. Rursus dum in euangelio Cœnã instituit pontifex noster Christus, nihil iubet recitare aut pronũciare, cuius pronunciationis uirtute, uel elementa mutentur, uel significatæ res cœlitus detractæ adferantur aut coniungantur symbolis: sed simpliciter quid fecerit dominus, & quid à nobis fieri uelit, hoc est, quomodo & in quem finem cœnam instituerit, exposuerunt euangelistæ. Nullibi legimus dixisse dominum, Quoties hæc uerba mea recitaueritis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, fiet uirtute uerborum meorum, ut substãtia signi euacuetur & incipiat *Verba recitata non formare & efficacia reddere sacramenta.*

in puncto recitationis sub speciebus panis & uini esse uerũ domini corpus, & uerus sanguis: aut manẽtibus speciebus et signi ueritate, incipiat simul etiã esse cũ pane et uino uerũ corpus et uerus sanguis. Proinde nulla est uirtus in recitatione uerborũ domini in cœna uel deuocandi uel transmutandi. Superstitionẽ hæc magis q̃ pietatem alere uidentur. Quasi uero uerba, concepta formula recitata, uim habeant euocandi, deducendi, sanandi, attrahendi, depellendi aut trãsformandi. Diuus Aur. Augustinus inter superstitiosa numerat ligaturas & remedia, quæ medicorũ quoq; ut ait, disciplina cõdemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdã notis, quas uocant characteres, siue in quibusdã rebus suspendendis, &c. Locus extat cap. 20. lib. de Doct. Christ. 2. Et Chrysost. grauiter succensens ijs, qui euangeliũ scriptũ suspendunt è collo, Vbi (inquit in Matth. 23. cap.) uirtus est euangelij, in figuris literarũ, an in intellectu sensuũ? Si in figuris, bene circum collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita sunt. Hæc ille. Atqui eadem est ratio figurarum & pronunciationis literarum aut uocum euangelij. Sicut ergo nihil potest figura literarum: ita nulla uirtus est & in pronũciatione uerborũ, uel in sono. Quid quod Plinius scriptor gentilis multa quidẽ gentilitio profert exempla, quibus ostendit uerba esse efficacia: idem tamẽ inter alia, Quæsitum est, inquit, ualeant ne uerba & incantamenta carminum? Sed uiritim sapientissimi cuiusq; respuit fides. Locus extat libro 28. cap. 2. Merito autem his omnibus ipsum dei uerbũ præfertur, quod apud Mosen Deut. 18. omnis generis superstitiones & incantamenta magna cum grauitate condemnat atq; prohibet.

An benedictione rerũ naturæ mutentur.

Scio quid mihi hic obijciant aduersarij, Benedictionem seu consecrationem, non superstitionem esse quam perficiant. Afferunt præterea plurima è sacris, posita in Decret. canonicis exẽpla, quibus ineptissime profecto demonstrare conantur benedictione, ut aiunt, rerum naturas mutari: unde colligunt & panem uerbis benedictionis uel consecrationis conuerti in carnem. Huius autem generis sunt, aqua manans è percussa petra, Nilus conuersus in sanguinem, aqua in nuptijs Canæ Galilææ mutata in uinum, aqua marath conuersa in aquam dulcem, uirga Mosis in colubrum. Cæterum quid hæc oro faciunt ad Cœnam dominicam, cum qua nihil similitudinis habent? ut ineptissima iam sit collectio, Nilus conuersus est in sanguinẽ, ergo panis conuertitur in carnem: aqua in nuptijs Cananaicis mutata est in uinum, ergo uinũ in cœna domini conuertitur in sanguinem Christi. Dum enim aqua profluere et petra percussa, dum conuerteretur Nilus in sanguinem, dum aqua in nuptijs

Num. 20.
Exod. 7.
Ioan. 2.
Exod. 15.
Exod. 7.

auptijs uino commutaretur, dum dulceſcerent aquæ marath, dum denicp uirga Moſis uerteretur in ſerpentem, certe conuerſa nempe aqua, ſanguis, uinum, aqua dulcis, & ſerpens, non erant ſub ſpecie earum rerum quæ fuerant, necp ſimul erant quod fuerant & quod facta erant: ſed aqua Nili erat uerus cruor, non aqua & cruor ſimul, necp ſub uiſibili ſpecie aquæ erat ſanguis inuiſibilis. Ita habet res & in reliquis exemplis. Nihil igitur congruunt cum ſignis ſacramentalibus, ac diſſimilia ſunt non ſimilia. Præterea quis facile dixerit qua prolatione uerborum Moſes aquam elicuerit è ſaxo, Nilum conuerterit in ſanguinẽ, amaras aquas reddiderit dulces: qua item uerborum forma uſus ſit dominus dum aquam conuertit in uinum? Ineptiſſime itacp accõmodantur illa exemplа benedictioni conuertenti rerũ naturas, cum non poſſit oſtendi qua benedictione uſi ſint ſancti. Similiter non legimus Moſen aut Ioſue ulla pronunciaſſe uerba benedictionis, quibus diſſecuerint aquas aluei maris Erithrei & fluminis Iordanis. Nil legitur benedictionis recitaſſe Heliſeus dum natans ferrum manubrio attraheret. Diuina in his omnibus operabatur potentia. At ab ea nõ colligendum eſt quidlibet. Impotentia eſt enim non potentia quæ iuſtitiæ repugnat, & contraria ueritati diuinæ patrat. Sed & potentia domini opera huiuſmodi ſunt, ut nemo non intelligat, & manifeſte talia eſſe cernat, qualia eſſe dicuntur. Dixit dominus, Fiat lux, & facta eſt lux: huiuſmodi, inquam, lux, quæ & lux dicebatur, & pro natura lucis lucebat: non autem dicebatur aut fiebat lux, quæ lux reuera eſſet, & tamen non luceret: ſicuti panis dicitur corpus Chriſti, qui tamen corporis Chriſti ne pilum quidem habet.

4. Reg. 6. *Omnipotentia dei.* *Gene. 1.*

Porrò Benedictionis uocabulum nullibi in ſcripturis ita uſurpatur, uti iſti inducunt. Benedicere in ſcripturis eſt confiteri, laudare, ſalutare, ualedicere, bene loqui & bene precari, gratulari, magnifice celebrare, gratias agere pro beneficijs, augere, ditare, multiplicare, aut fœcundare. Poſſem de ſingulis proferre exemplа ſi neceſſe foret: nullibi uero legas benedicere perinde eſſe atque dei, uel aliquibonis uerbis precationibuscp certa formula pronunciatis, rerum conuertere naturas. Legimus, inquiunt, in euangelio dominum accepiſſe panem, & benedixiſſe: ſed & Paulum eo nomine panem & poculum appellaſſe panem & poculum benedictionis, conſecrationis haud dubie, qua conſecratione ſubſtantia ſignorum commutatur mirabiliter. Ego autem reſpondeo, uerba & euangelica & apoſtolica torqueri uiolenter ad ſenſum qui in mentem nõ uenit unquam uel domino uel apoſtolis. Nam quantum attinet

De uocabulo Benedictionis.

1. Cor. 10.

ad locum euangelij, Benedicere non est pingere gestu manus signum crucis, & adhibito ore ad panem aut poculum anhelare distinctas etiam syllabas uerborum consecrationis: sed laudes deo canere, siue pro beneficijs agere gratias. Quod dixi probabo uerbis euangelicis & apostolicis. Nã apostoli & euangelistæ utuntur indiscriminatim uerbo benedicendi & gratias agendi. Vbi enim Marcus habet εὐλογήσας, Matthæus, Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας: qua uoce & Marcus paulò post utens, scribit, Et accepto populo εὐχαριστήσας, cum scilicet gratias egisset, dedit eis. Est itaq; uel ipsis apostolis interpretibus benedicere, gratias agere: cum alterum pro altero ponant. Idipsum non oscitanti lectori palàm cernere licet & in loco Pauli qui est 1. Corin. 10. ca. quem nos in sequentibus tractabimus ex integro. Nondum itaque probarunt ex scripturis aduersarij Benedicere perinde esse atque res mutare, uel res ipsas significatas uerbis, pronũciatione recitationéue uerborũ adducere. Mysticæ benedictionis quidem meminerunt ueteres, sed longe alio sensu quàm isti consecratores. Et de Consecratione uera mox dicemus: confutabimus & alio loco quæ adferuntur de benedictione aut consecratione baptismi: nunc quod cœpimus absoluemus.

Eucharistia & Eulogia.

Ad quid uerba instituta sint, et quid ualeant.

Verba per se in hoc instituta sunt à deo, ut significent, & significando testentur atq; admoneant: nec habẽt præterea ullã uim latentem conuertendi rerum naturas aut res ipsas ut corporaliter adsint adducendi: neq; illis sancti unquã sic usi legũtur: peccant ergo & imponũt hominibus, qui ipsis aliter q̃ instituta sunt utuntur. Agnouit hoc ipsum & Aurel. August. qui in Enchiridio suo ad Laurent. cap. 22. Et utiq; uerba, inquit, propterea sunt instituta, nõ per quæ se homines inuicem fallant, sed per quæ in alterius quisq; notitiam cogitationes suas perferat. Verbis itaq; uti ad fallaciã, non ad id quod instituta sunt, peccatũ est. Idem summã colligens totius libri de Magistro inscripti, interrogat, Sed iam mihi dicas uelim, quid de hoc toto sermone meo sentias? Ad quod mox respondet, Ego uero dixi admonitione uerborũ tuorum, nihil aliud uerbis, quàm admoneri hominem ut discat, & perparum esse quod per locutionẽ aliquanta cogitatio loquentis apparet: utrũ autem uera dicantur eum docere solum qui se intus habitare cum foris loqueretur admonuit. Hæc ille de Magistro cap. ult. Huc iam pertinent uerba sapientissimi Solomonis in Ecclesiasta dicentis, Sapientum sermones sunt uelut stimuli, & uelut claui plantati inter folia collectitia, tradita ab uno pastore. Vbi libenter agnoscimus magnã inesse uim eloquentiæ & orationi iustæ: sicuti Græci per Herculẽ illũ Gallicũ significarũt,

Bene dicere ult.

Eloquẽtiæ uim.

Cicero

Cicero item multis in 1. li. de Oratore expoſuit. At quod illi commiſcuntur de Pithio ſiue Suada aut Suadela, id reuera nos tribuimus ſpiritui ſancto, qui & gratiam dat dicenti, & auditorũ animos præparat atq; cõmouet. Ex his autem omnibus perſpicuũ eſſe arbitror nouum eſſe commentum hominum, non doctrinam oracularem, aſſerere uerbis recitatis in ſacramentorũ celebratione eam eſſe uim inditam, ut res conuertant, aut res ſignificatas faciant præſentes, ſignisq; ipſis uel indant, uel coniungant. Docebimus prçterea paulò poſt, ſigna non mutari uel commiſceri cum rebus ſignificatis, ſed utrumq; in ſua natura & proprietate permanere. Satis autem fuerit ſi uerbis id tribuamus, quod attribuit ſcriptura, ſignificandi & admonendi, excitandi, commouendiq; ex deo officium. Polluũt enim non decorant uerba dei, qui alienis & ementitis ornant laudibus.

Quomodo uerbo dei attributa omnipotentia.

Agnoſcimus quidem Verbo dei attribui omnem dei omnipotentis uirtutem: ſed quis non intelligat id dici & intelligi de æterno dei filio, qui in ſcripturis appellatur Verbum dei? Quis tam hebes ut non ualeat rite diſtinguere inter æternum dei uerbum, quod eſt filij dei perſona ſecunda in trinitate adoranda: & inter uerbum recitatum, aut pronunciatum ab homine? Verbum dei æternum in ſua manet ſubſtantia atq; natura, creator non creatura: non miſcetur, non inditur aut incorporatur uocibus humanis. Verbum ab homine prolatum creatura eſt non creator, et creatura manet. Nam eſt ſonus tranſiens. Fit tamen uirtus manens, ſi ſyncerum non adulteratum ſit, recipiaturq; fide. Sic enim ſeruat, non ſua quidem uirtute, aut quia ab homine eſt recitatum: ſed propter uirtutem eius qui reuelauit uerbum, qui uerax eſt, ideoq; ea ſeruat quæ per uerbum promittit: ut iam reuera ipſe deus ſeruet, qui per uerbum ſe ſeruaturum dixit credentes. Ergo uerbum quod reuelauit nobis deus per ſeruos ſuos prophetas & electos apoſtolos, non ideo uerbum dei eſt ac dicitur, quod ſyllabæ ſonus, uerba & uoces ſint natura ſua uerbum dei, hoc ipſum ſcilicet, quod ſua ſubſtantia eſt filius dei: ſed quia reuelatio uerbi facta eſt à deo in ſpiritu ſancto per uerbum uel ſapientiam dei: unde licet origo diuina ſit non humana, uerba tamen quibus uſi ſunt prophetæ & apoſtoli humana ſunt, nec aliud quàm ſignificare poſſunt. Quibus interim nolo externi uerbi dei uim iuſtam eleuatam. Agnoſco omnia ea quæ uerbo dei ſano intellectu tribuuntur. Verum ea de re aliàs fuſius diſputaui.

De uera ſanctificatione, ſeu cõſecratione.

At dicat iam aliquis, Si ex uerborum dei recitatione non ſanctifi cantur ſacramenta, unde ergo habent quod ſunt & dicuntur ſacramenta ſiue ſacra ſigna? Vana ne & nullius uirtutis eſt conſecratio?

Vana certe & nullius uirtutis est consecratio illa quam finxerunt papistę. De Consecratione autem siue sanctificatione uera, dixi in principio huius capitis, id quod nunc paulò luculentius copiosiusq; edisseram. Sacræ literæ utuntur frequentissime in commemoratione sacrorum uocabulo קדש, id quod Græci interpretes ferè reddiderũt per ἁγιάζω, Latini per sanctifico, consecro atq; initio. Latissime autem patet eius uocabuli usus. Significat enim sanctificare offerre deo, purgare & iustificare, item seligere & separare, separare inquã à prophano usu & rebus sacris dedicare, nuncupare, applicare, destinare. Dicimus itaq; Consecrare in præsenti aliud non esse, quàm sanctificare, deo utiq; dedicare, adeoq; & segregare, aut è re prophana facere sacram. Quis autem hoc facit? aut qui facit, quo obsecro medio & instrumento hoc facit? quis oro consecrat, deus ne an homo? Deus utiq; non homo. Deus enim instituens rem aliquam, & uerbo suo, quid & in quem finem instituerit, testificans atq; exponens, sua hac sancta uoluntate iusta & bona, sola institutione inquam sua, citra ullum aliud medium, rem iam à se institutam consecrauit. Sicut enim ipse sanctus, iustus & bonus est: ita quicquid ipse iusserit, sanctum, iustum & bonum est. Et homo ex uerbo dei intelligens deum sic in sanctum bonum & iustum usum aliquid instituisse, ipsum institutum pro sancto bono & iusto habet, recipit, usurpat: non ipse demum uerbis recitatis sanctum efficit atq; consecrat. Et quia instituta dei omnia sancta & bona esse credit, ideo & hoc dei institutum, ita ut deus ordinauit, celebrat, gratias deo agit, & totus à deo & regula uerbi eius dependet. De sanctificatione huiusmodi loquens apostolus in alio quodam argumento, Spiritus, inquit, certo loquitur quod in posterioribus temporibus exorientur seductores, qui prohibebunt contrahere matrimonium, iubebuntq; abstinere à cibis, quos deus creauit ad sumendum cum gratiarumactione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatẽ, quod quicquid creauit deus, bonum sit, & nihil reijciendum, si cum gratiarumactione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem dei & precationem. En sanctificatur, inquit, cibus per sermonem dei & precationem. Est autem sermo uel uerbum dei in præsenti, sicut ipse exponit apostus Paulus, testimonium scripturæ & uoluntatis diuinæ, quo erudimur quod omnia quæ deus condidit ualde bona sunt, & quod ea munda non immunda sunt quæ deus ad uescendum & ad nostros usus condidit. Audit in Actis apostolorum beatus Petrus, Surge Petre, macta & uescere. Vidit autẽ in uisione ante se omnia terræ cœliq; animantia. Respondit uero Petrus, Nequaquam

1. Tim. 4.

Acts. 10.

quam domine, quia nunquam edi quicquam cõmune & immundum. Rursus ergo audit, Quæ deus purificauit, tu ne dixeris esse communia. Sed ubi quæso purificauit? Dum condidit & usibus hominis concessit. Accedit uerbo uel sermoni precatio, non imprecatio quidem aut præcantatio, sed fidelis gratiarumactio. Semel enim & iterum ipse apostolus gratiarumactionis meminit, ut per genus, id est precationem aut orationem, aliud intelligere non liceat, quã speciem, ipsam inquam gratiarumactionem. Est enim oratio uel precatio ueluti genus ad has species Inuocationem & Gratiarumactionem. Ideo ergo cibus sanctus est, ait, quia à deo qui bonus est, conditus, & usibus hominis destinatus est: deinde quia cum fide & gratiarumactione ab homine recipitur. Cibus enim multis non est sanctus & bonus, non suo quidem uitio, qui semper est bona dei creatura, sed non agnoscentium fide dei beneficia, aut abutentium & ingurgitantium sese contra uerbum domini culpa. Sic inquam habet illa in caussa negotium sanctificationis, quod & sacramentis applicare oportet. Deus ex bona sua uoluntate & ad hominum uti litatem sacramenta ordinaturus, deligit sibi ex bonis suis creaturis, aquam, panem & uinum, & hæc in certum aliquem finem instituens, præscripto aliquo ritu usurpare uel celebrare iubet: iam itaq; iussu delectuq; diuino aqua, panis & uinum consecrata sunt, mox eadem uerbo suo signat, & quod ea pro sacramẽtis haberi, & quomodo celebrari uelit, exponit. Conflit itaq; consecratio sacramentorum, uolũtate, institutione, delectu, seu præcepto dei, uerbiq; consignatione. Proinde aqua, panis & uinum usurpata uulgari more, aut non ita ut à deo delecta & instituta sunt, insculpta quodammodo nota uerbi, cõmunia utiq; siue prophana sunt: delectu seu iussu demum diuino, usu sancto, & uerbo ceu nota accedente, incipiunt iam esse quod prius non fuerunt, sacramenta. Substantia quidem ipsis eadem manet, quæ fuerat antea, accedit autem nunc alius usus & finis, habent nunc notam uerbi dei impressam & præceptũ dei, sunt itaq; consecrata. Quibus omnibus accedit etiam usus sanctus, fide uera celebrantium redemptionis beneficium, & gratias agentium benefico redemptori precibus fidelibus. Possumus hic ex politicis quædam proferre exempla, in quibus etiam res quædam, propter nouas accedentes causlas, manente substantia sua, iam fiunt, quod antea non fuerant. Argentum enim uel aurum nondum cusum & notatum magistratus signo, nihil aliud est quàm argentum & aurum, accedit autem, iubente magistratu, noua forma per typum, & fit numisma, quod prius non fuerat, licet substantia sua

Quomodo cõsecrentur sacramenta nostra.

idem maneat quod fuerat prius. Cera priusquam notetur sigillo, communis & prophana est cera: ubi uero rege, sic uolente & iubente, character sigilli regij ceræ imprimitur appenditurq; tabulis & instrumento publico, mox eo haberi loco incipit, ut læsæ maiestatis reus habeatur, quisquis signatam tabulam aut ceram uiolarit. Ex quibus patere iam arbitror, ueram sanctificationem uel cõsecrationem sacramentorum constare uoluntate & institutione dei, fine certo, & usu sancto, quæ nobis explicantur uerbo. De quibus huc usq; uerbosius fortassis, quàm quidam faciundum putẽt, disputaui. Sed condonabunt hanc mihi prolixitatem pij lectores, cum omnino omnia fideliter, diligenter & fuse explicare cupiam.

VINDICATO iam legitimo usu uerbi, & exposita huius uirtute, declarataq; per occasionem uera sacramentorum sanctificatione seu consecratione, redimus ad propositam & cœptam disputationem: & quoniam docuimus sacramenta constare duobus, signis & rebus significatis, reliquum est, ut demonstremus partes illas, naturas suas discretas proprietate incommunicata retinere: ex qua demonstratione & præcedentibus & consequentibus, adeoq; toti sacramentario negotio mira, haud dubie, lux affulgebit. De Cõmunicatione uero nominum dicam suo loco.

Signum & signatum in sacramẽtis discretas retinere naturas.

Quod autem discretas naturas quælibet partium incommunicata proprietate retineat, hinc manifestum est, quod multi signo participant, qui tamen cum re significata nihil commune habent. Atsi naturæ partium unirentur aut coirent naturaliter, necesse esset eos re quoq; significata communicare, qui signo participant. Exempla scripturæ ut in promptu, ita perspicua sunt. Nam Simon ille magus in Actis apostolorum accipit quidem signum & baptisatur: rei uero ne tantillum quidem uel habet uel accipit. Iudas quoq; Iscariotes, domini proditor perfidus & crudelis, edit quidem panem domini, at panem dominum non edit. Alioqui enim uixisset felix, iustus & beatus in æternum. Qui enim edit me, ait ipse dominus, non morietur in æternum. Periit autem Iudas morte æterna, ergo cibum uiuificum non edit.

Actoꝝ 8.

Lucæ 22.

Impios in communione sacramẽtorum re non participare.

His claris scripturæ testimonijs adijciam modo & quædam ad idem institutum pertinentia S. Augustini, qui Tractatu in Ioan 26. Accipimus hodie, inquit, uisibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud est uirtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt & moriuntur accipiendo? Vnde dicit apostolus, Iudicium sibi manducat & bibit. Nónne buccella dominica uenenũ fuit Iudæ? & tamen accepit, & cum accipit in eum intrauit inimicus: non quia malum

lum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Et mox, Huius rei sacramentum, id est unitatis corporis & sanguinis Christi de mensa dominica sumitur, quibusdam ad uitam, quibusdam ad exitium: res uero ipsa cuius & sacramentum est, omni homini ad uitã, nulli ad exitium, quicũq; eius participes fuerint. Et iterũ, Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit sanguinem eius, licet carnaliter & uisibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Et reliqua. Similia tradit & lib. de Ciuit. dei 21. cap. 25. Libro quoq; de Doct. Christ. 3. cap. 9. ostendit in coniunctione opus esse distinctione, ne externo signo nimium inhæreamus.

Redimus ad testimonia scripturæ, Apostolus testatur in 1. ad Corinth. 10 ca. omnes patres nostros baptisatos esse, & omnes eundem cibum & potum spiritualem edisse & bibisse: sed dominum plures ex ijs non approbasse. Quod si spiritualem cibum & potum edissent & bibissent spiritualiter per fidem, proculdubio approbasset illos dominus. Nam sine fide, ut idem ille ait, impossibile est placere deo: fidem ergo habentes probantur deo. Proinde participarunt patres nostri sacramentis quidem uisibilibus, gratia autem inuisibili caruerunt. Vnde consequens est signum atque signatum non confusas aut commixtas, sed discretas retinere naturas. Præterea habent uerba euangelicæ prædicationis cum signis sacramentalibus cognationem & similitudinem saltem aliquam. Alioqui uerba signis longe præferuntur: apostolo dicente, se prædicatum non baptisatum esse missum. Atqui audiunt permulti foris uerbum domini, qui tamen cum fide destituantur, carent interno uerbi fructu, Paulo rursus dicente, Nobis annunciatum est quemadmodum & illis: at non profuit illis audisse sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus. Ita enim fit, ut plures percipiant sacramenta uisibilia, careant interim inuisibili gratia, quæ fide sola percipitur. Vnde denuo consequitur signum non confundi cum signato, sed utrũq; substantiam & naturam suam retinere discretã. Quid quod scriptura diserte & luculenter distinguit inter externum hominis ministerium & internum operatorem & largitorem spiritualium donorum, deum? Nam Ioan. Baptista, Ego quidem baptizo uos, inquit, aqua, ille uero (Christus) baptizabit uos spiritu sancto. Cum quo congruit illud Petri, Baptismus uos saluos reddit: non quo carnis sordes abluũtur, sed cõscientiæ bonæ interrogatio in deũ.

Cognatio uerbi dei & sacramentorum.

Hebr. 4.

Matth. 3.

1. Pet. 3.

Huc iam pertinet euidentissimũ illud S. Augustini testimonium,

Distinguit scriptura in ministerio hominis & operatione spiritus.

quod Quæst. lib. in Leuit. 3. Quæst. 83. in hæc uerba legitur, Animaduertendum est quoties dicit, Ego dominus qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cum hoc etiã Mosi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moses sanctificat et dominus? Nõ enim Moses pro domino: sed Moses uisibilibus sacramẽtis per ministeriũ suum: dominus autem inuisibili gratia per spiritum sanctũ: ubi est totus fructus etiã uisibiliũ sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Hæc August. Quemadmodũ uero inter suũ ministeriũ baptisandi & potestatem Christi distinxit Ioannes Baptista, ita idem ille discernens inter mi-

Ioan. 1. & 3. cap.

nisteriũ concionandi & interni doctoris tractũ, Ego uox, inquit, clamans in deserto: parate uiam domini. Et iterum, Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est, & quod uidit & audi-

2. Cor. 3.

uit, hoc testatur, &c. Cõsentiens uero his S. Paulus, Quis, inquit, est Paulus, quis autẽ Apollos? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuicq; dominus dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit: sed deus dedit incrementũ. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementũ deus. Quanq; uero prorsus & per omnia non congruat (quod & supra significabamus) ministrorũ cum signis collatio: quod ministri sint cooperarij Christi, secundum suam functionem: signa aũt inanimata non itẽ, nisi in ipsa κατ' ἰξοχήν trãsferamus, quod ministrorum est: attamen ex alijs satis liquidum fieri arbitror signum & signatum discretas in sacramentis naturas retinere.

Cõfutatur dogma Papisticum de Transsubstãtiatione.

Impugnãt hæc maxime, quibus persuasa est Papistica illa panis in corporis Christi uinicq; in substantiã sanguinis transsubstantiatio. Hi enim negant modis omnibus, panem et uinum in mysterijs consecrata, in suis manere substantijs. Has enim annihilari conuerticq; contendunt in ipsum domini corpus & sanguinem, ut à consecratione, post accidentia panis & uini, nihil substantiæ superfit prorsus. Nam aiunt dominũ diserris uerbis super pane & uino pronunciasse, Hoc est corpus meũ. Hic est sanguis meus. Posse autẽ dominũ nullo quidẽ negotio efficere sua illa omnipotẽtia, ut quod dixit, ita fiat sicut dixit. Ad hoc illustrandũ proferunt similia non pauca, dominum uidelicet hominem formasse ex limo terræ: mox & ex costa hominis mulierem: ex uxore item Loth statuam salis: eundem itaq; eadem sua potentia efficere posse ex pane corpus, ex uino autem sanguinem. Et hæc quidem illorum firmamenta sunt. Nos uero aliàs abunde satis disputamus de sensu uerborum domini, Hoc est corpus meum: ut superuacaneum sit eadem hic multis repetere.

Ostendimus

Ostendimus item ex omnipotentia dei, non quidlibet colligendũ atq; statuendum esse: sed & potentiam dei nihil facere contra ueritatem, adeoq; contra seipsam: neq; fideli quicquam suscipiendum esse prætextu potentiæ diuinæ quod pugnat cum apertis scripturis & catholicæ fidei articulis.

Panem & uinum manere in suis substantijs post consecrationem.

Iam uero clarissimum est post consecrationem manere in sacramento panis uinicq; substantiam. Nec alijs hic opus habemus testibus, quàm ipsis sensibus: qui aliud nihil sentiunt, uident, gustant & palpant quàm panem & uinum. Atqui dum terra conuerteretur in corpus hominis, costa in mulierem, uxor item Loth in statuam salis, non erant sicuti sacramentum altaris quod fuerant prius, neq; quicquam apparebat sensibus terræ, costæ, uxoris Loth. Ineptissime ergo applicantur illa exempla negotio cœnæ dominicæ, cum quæ nihil congruunt. Quam rem & superius attigimus. Scriptura euangelica & sacrosancta Cœnæ institutionem & modum diligentissime describens, nullius meminit conuersionis miraculosæ: quin panem & uinum à domino acceptum & distributũ discipulis, adeoq; & ab his receptum, ac post recitata uerba consecrationis, ut uocant, panem & uinum, sicuti ante consecrationem, appellat. Quid quod Matthæi 26. cap. dominus uinum consecratum, iam non uinũ tantum, sed etiam genimẽ uitis emphatico quodam loquendi genere, nuncupat, ne quis uinum uere uinum esse & manere ignoraret. Apud Marcũ de poculo hæc legimus: Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, &c. En biberunt, inquit, ex poculo omnes, priusquam essent recitata uerba, quæ uocant, cõsecrationis, uinum itaq; biberunt. Quod si illi responderint locum euangelistæ explicandum esse per hysteronproteron figuram, admiserunt tropos in negotium cœnæ: quod tamen simpliciter et absq; troporum auxilio contenderunt esse intelligendum. Sed & Paulus apostolus in 1. ad Corinth. 10. cap. panem dominicũ in sacro usu iam existentem, & ut sic dicã consecratum, panem nominat. Et in 1. ad Cor. 11. cap. tertiũ panem nuncupat. His accedit quod Acta apostolica testantur totam actionem mysticam ab apostolica ecclesia denominatam esse Fractionem panis, non fractionem corporis aut distributionem sanguinis. Claret itaq; panis & uini substantiam in sacramento Cœnæ dominicæ manere in sua natura, & transubstantiationem figmentum esse sophisticum.

Marc. 14.

Act. 2. & 20. cap.

An panis & uinum, propter priorẽ substantiam, post consecrationem sic nominentur.

Est & illud sophisticum & egregie Papisticum, quod dicunt panem & uinũ cõsecrata in Cœna, ideo in literis apostolicis appellari

panē & uinum, quod antea fuerint panis & uinum. Hoc enim in præsenti fieri quod quondam legitur factum in Exodo, ubi uirga Aaronis dicitur deuorasse uirgas incantatorū, quæ tamē tunc non fuerint uirgæ, sed serpentes, uirgæ autem nunc nominentur quod ante conuersionem fuerant uirgæ, quæ nunc erant serpentes, non uirgæ. Quis autem rursus non uideat exemplū illud nihil similitudinis habere cum pane & uino dominico? Virga enim dicebatur quidem uirga, sed erat interim & uidebatur clare iam non uirga, sed serpens: panis uero dicitur panis, nec aliud esse apparet quàm panis, nulla hic cernitur species carnis, sicuti ibi uidebatur forma serpentis. Dicitur præterea uirga conuersa esse in serpentem, & pro miro aut prodigio ostentatur: nullibi autem legas panem conuersum in carnem, miraculo quodam: sed sacramentū instituitur, quod sanè sacramenti nomen & naturam amittit, cum subuersa aut annihilata signi substantia, nihil hic nisi res ipsa remane ↄsignificata. Nā quod de accidētibus sine subiecto miraculose subsistentibus signiq; loco manentibus nugātur, nebulæ sunt. Quod si prexerimus quæliber nostra somnia uenditare pro miraculis, nihil porrò tam absurdum & ineptum fuerit, quod nostris figmentis mendaciisq; nō coloraverimus. Quid quod uocabulū ipsum transsubstantiationis manifeste euincit, totum hoc nugamentum, non è simplici apostolorum doctrina, sed è spinosa sophistarum schola esse petitum? Ar apostolus Paulus præcepit, ut caueremus uobis cum à philosophia ipsa tum à uerborum nouitatibus. Quanquam in præsenti non tantum de uocabulo nouo, sed noua itē re & noua doctrina apostolicę per omnia aduersa agatur. Pugnat enim hęc doctrina de transsubstantiatione, cū doctrina apostolica & euangelica de uera incarnatione dñi, & uera humani corporis eius natura & proprietate, deq; uera corporū nostrorū resuscitatione. Coguntur enim hic plurima cōmentari planè prodigiosa de inuisibili corpore Christi, et de subtili corpore Christi, sua subtilitate per corpus ianuæ & lapidis, oper culi, inquā, sepulchri, penetrante, de corpore dñi uero, et tamē simul & semel in pluribus locis existente, omniaq; implente: & quæ huius notæ absurda sunt & impia innumera. Iam & Ioan. Scotus doctor subtilis scripto suo in Sentent. Distinct. 11 lib. 4. Quæst 3 author est articulū Transsubstantiationis nec in symbolo apostolorū, nec in priscis illis symbolis esse expressum: sed declaratum demum definitumq; ab ecclesia (sic ille loquitur, Romanam intelligens) sub Innocentio tertio in Consilio Lateranensi. Vnde colligimus doctrinam de Transsubstantiatione planè neotericam seu nouam esse:

Coloss. 2.
2. Tim. 6.

Ioan. Scotus doctor subtilis.

Anno domini 1215.

esse: cuius historiam alicubi copiosius cõtexuimus. Istis autem demonstratum arbitror aperte & efficaciter satis, signa non commisceri significatis rebus, uel in ipsa commutari, sed discretis manere naturis.

QVANQVAM uero utraq; partium suam retineat impermixta naturam, coeunt tamen illa duo in unum sacramentum, & coniuncta non diuisa, faciunt unum plenum ac legitimum sacramentum. Aqua enim sola & priuatim quidem uulgariterq; aspersa non est sacramentum, nisi accommodetur & usurpetur secundum institutum Christi. Purgatio item siue ablutio peccatorum & insertio aut receptio in fœdus & consortium dei omniumq; sanctorũ, per se non est sacramentum, nisi accedat & aquæ in nomine benedictæ trinitatis aspersio. Pari ratione sacramentum non est si edatur in publico cœtu panis, & bibatur de eodem poculo uinũ, more uulgari: nec sacramentum est si fideli commemoratione contemplatis traditum pro te corpus domini fusumq; sanguinem, pro quibus & gratias agas: nisi quatenus omnia dei & salutis nostræ mysteria, sacramenta generaliter id est arcana & spiritualia dei & salutis nostræ mysteria dicuntur. Nam in pleno legitimoq; sacramento concurrant necesse est & actio sacra corporalis, siue sensibilis, & spiritualis celebratio eius cuius gratia inuenta est, peragiturq; actio sacramentalis. Atq; hic nonnulli multa & uaria disputant de Vnione sacramẽtali, personalis ne, realis, an rationalis sit. Ego quoniam nihil huius uideo anxie traditum ab apostolis, adeoq; rem planam per se, huiusmodi sophisticationibus reddi contortam, implicatam, obscuram & difficultatibus plenam, simpliciter & clare dico signũ & signatum in sacramentis coniungi institutione diuina, contemplatione & usu fideli, significatione deniq; rerum & similitudine: nego autem modis omnibus duo illa uniri naturaliter, ita ut signũ in sacramento id esse incipiat, quod signatum est sua substantia atq; natura: nego rem signatam corporaliter cum signo coniungi, ita ut signum in sua quidem maneat substantia atq; natura, interim tamen nihilo minus rem signatam corporaliter secum habeat coniunctam, ut quisquis signo participet, pariter & rei ipsius, per signũ aut cum signo, fiat particeps. Id cur tam constanter negem apparet, opinor, ex ijs quæ hactenus disputaui, & quæ mox subiungentur. *De Vnione sacramẽtali.* *Explicatur quomodo in sacramẽtis coeant signum & signatum.*

Porrò institutione cõiuncta dico signum & signatum: quia qui sacramentum Baptismi & Cœnæ instituit, non in hoc instituit, ut aqua corporis sordes abluerem us, uti consuetum est fieri quotidiano balneorum usu: neq; ut pane & uino nos satiaret: sed ut redem-

ptionis & gratiæ ſuę, deniq; ſalutis noſtræ myſteria nobis commendaret ſignis uiſibilibus, eaq; repreſentando renouaret, obſignãdoq; confirmaret. Contemplatione fideli coniuncta dico, quia religioſe participantes ſacramentis, oculos ſuos non in ſenſibilia tantum, ſed magis in res inſenſibiles in ſignificatas & cœleſtes defigũt: ut in ſeipſis quidem duo illa coniuncta habeant, quæ in ſigno aut cum ſigno alioqui nullo connectuntur uinculo. Corporaliter enim & ſenſibiliter ſigna percipiunt: ſpiritualiter uero res poſſident, uerę ſant, renouant atq; exercent ſignificatas. Significatione uero rerumq; ſimilitudine cõiuncta dico, quia ſignum ſignati ſignum eſt: ac niſi ſigna ſimilitudinem haberent cum ijs rebus, quarum ſigna ſunt, ſigna utiq; non eſſent. Habent ergo appoſitiſſimam coniunctiſſimamq; inter ſe cognationem. Sicut enim Aqua abluit ſordes corporis: ſicut Panis & Vinum exatiant exhilerantq; cor hominis, ita gratia dei purgatur populus dei: ita corpus & ſanguis domini pro nobis tradita, fide hauſta, & ſatiant & exhilerant totum hominem, ut totum ſeſe in gratiarum actionẽ & obedientiam dei effundat. Dicerem hic copioſius de Analogia ſigni & ſignati, niſi commodiore loco me id poſtea facere poſſe uiderem. At plaribus ſcripturæ locis ut hæc euidentius demonſtrentur opus eſſe non arbitror: cum ſponte ſua conſequantur ex ijs, quæ hactenus ſcripturarum teſtimonijs confirmauimus, & porrò copioſius confirmaturi ſumus.

Signa mutuare rerũ ſignatarum nomina.

Cæterum propter ſimilitudinem ſigni & rei ſignatæ communicantur uocabula, aut nomina rerum ipſis ſignis. Id quod euidentiſſimis ſcripturæ teſtimonijs demonſtrabimus. Gene. 17. ſic dicit ad Abrahamum dominus, Et tu cuſtodies fœdus meum, tu inquam et ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc autem eſt fœdus meum quod obſeruabitis inter me & uos, circumcidatur uobis omnis mas. Circumcidetis uero carnem præputij ueſtri, quod erit ſignum fœderis inter me & uos. Hæc dixit os domini: quis uerbum dei ſuggillabit? Verbum dei appellat Circumciſionem fœdus: ergo ſigno datur nomen rei. Nam circumciſio reuera non eſt ipſum fœdus. Fœdus enim eſt ipſum pactum & conuentio inter deum & homines, certas habens conditiones, certaq; capita. Proinde per interpretationem mox Circumciſio eadem appellatur ſignum fœderis. At quis hanc interpretationem dei reprehendet? Accipiunt ergo uel deo interprete ſigna rerum nomina. Ita legis Exodi 12. Comedetis agnum cum feſtinatione, Pæſa ſiue tranſitus hic domini. Et mox, Et ſanguis ille erit uobis in ſignum in domibus ueſtris &c.

Circũciſio.

Agnus paſchalis.

Item,

Item, Erit autem uobis dies illa monimentum &c. Quid denuo clarius, quàm quod agnus appellatur Pæsa, siue transitus? Quid autem est proprie Pæsa? Audiamus hic rursus dominum sese exponentem atque dicentem, Transibo per terram nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra Aegypti, tam in hominibus quàm in iumentis: ubi autem uidero sanguinem agni, prœteribo seu transibo uos, nec erit in uobis plaga internecionis. En Pæsa, ipso deo interprete, est illa transilitio uel præteritio, qua angelus domini prætereiens ædes Izraelitarum sanguine agni notatas, ipsorum pepercit primogenitis, cæsis interim Aegyptiorum primogenitis. Agnus uero si ignoras quis aut qualis fuerit, audi rursus dicentem dominum, Decima huius mensis tollant singuli sibi pecudem pro familia. Pecus seu agnus sit integer, masculus anniculus, quem ex ouibus aut capris accipietis. At hic agnus aperte appellatur pæsa uel transitus. Quis autem non uideat agnum non esse transitum? attamen quia signum uel monimentum est transitus, ut ait os domini, certe nomen accepit transitus aut prætereitionis. Rursus legis Numeri 19. *Sacrificia.* Sic dicit dominus ad Mosen, Loquere ad filios Izrael, ut ducant ad te buculam rufam sine uitio, tradetisq; eam Eleazaro sacerdoti, qui educat ipsam extra castra, ubi sacrificet, atq; totam comburat. Colligat autem uir mundus cineres illius buculæ, & reponat extra castra in locum mũdum, ut reseruentur ab ecclesia Izraelitica ad aquas spargorias siue lustrales. Peccatum enim est. Vide iterum morem loquendi scripturarum. Iuuenca uel bucula est peccatum, hoc est sacrificium pro peccato: sicut & Christus dicitur factus pro nobis peccatum, ut de peccato condemnaret peccatum, nimirum ut unica corporis sui hostia oblata, expiaret peccatum. Huc pertinet, quod apostolus quoq; ad Hebræos de sacrificijs loquẽs, Atqui in istis, inquit, commemoratio fit peccatorum quotannis. Non enim potest sanguis taurorum aut hircorum peccata auferre. Quoties ergo sacrificia, uelut iuuencæ, hirci, tauri & ouiculæ, sanctificationes aut peccata appellantur, signa rerum nomina accipiunt. Fuerunt enim hæc typi quidam uenturi sacerdotis & hostiæ Christi, cui imponuntur peccata nostra. Hic enim est agnus ille dei qui tollit peccatum mundi. Venimus iam & ad noui testamenti sacramenta, quorum signa & ipsa rerum participant nominibus. Petrus enim in Actis cap. 2. Baptizetur unusquisq; uestrum, inquit, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Et Paulus in illis ipsis Actis apostolicis, audit, Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu, Ideo uero appellatur baptismus purgatio & ablutio pec

Galat. 3. *Rom. 8.* *Heb. 10.* *Zacha. 3.* *Isa. 53.* *Ioan. 1.* *1. Pet. 1.* *Baptismus.* *Actor. 22.*

catorum. At Petrus alibi dicit, Baptiſmus uos ſaluos reddit, quo nõ carnis ſordes abijciũtur, ſed quo fit, ut bona conſciẽtia bene reſpon-
2.Cor.6. deat deo. Et Paulus quoq;, Abluti eſtis, ait, ſanctificati eſtis, iuſtifica ti eſtis per nomẽ dñi Ieſu, & per ſpiritũ dei noſtri. Euincit ergo iuſta horum inter ſe locorũ collatio, quod ſigno baptiſmi, aquę uidelicet, imponitur nomen rei ſignificatæ. Ad eundem modum habet & ne-
Cœna dominí. gotium Cœnæ dominicæ uel euchariſtiæ. Panis appellatur corpus Chriſti, uinum ſanguis Chriſti. Verum cũ fides uera, credat uerum corpus Chriſti ex hoc elatum mundo, agere nunc in cœlis, neq; redi re dominum in hunc mundum amplius, donec ueniat in nubibus cœli iudicaturus uiuos & mortuos, nemo non intelligit, ſigno, puta pani & uino, attribui per communicationem nominum, rerum ipſarum, corporis uidelicet & ſanguinis nomina.

Sacramentales & figuratæ loquutiones. Sacramentalibus loquutionibus ſunt non admodum diſſimiles & multæ aliæ in ſacris literis & in uſu quotidiano. Legimus enim Chriſtum eſſe & dici leonem, agnum, paſtorem, uitem, oſtium, uiã, ſcalam, diem, lumen, ſolem, aquam, fontem, panem, petram: quæ ſi quis rigide urgeat hodie, cõtendens Chriſtum eſſe agnum realem, oſtium ſubſtantiale, uitem naturalem aut ſimilia, quis oro diſputan tem ferat? Exploderemus talem tanquam inſanum & peruerſorem oraculorum dei. Legimus ſanè, Petra autem erat Chriſtus: conſide randum interim, quid conſequatur. Si enim petra realiter fuiſſet Chriſtus, nemo eorum, qui de petra biberunt, fuiſſet reprobatus. Pla cẽt enim deo, qui ſunt participes Chriſti. Plures autem illorum qui de petra biberunt, non approbauit dominus. Proſtrati ſunt enim in deſerto: ergo bibentes de petra, quæ erat Chriſtus, Chriſti partici-
Vſus quotidianarum loquutionũ. pes facti non ſunt: proinde petra non erat realiter Chriſtus. Videa tes quoq; inſignia regum, principum atq; urbium, ſigna appella mus regum, principum atq; urbium nominibus, dicentes, Hic eſt rex Galliæ, Hic eſt princeps Germaniæ, Hoc eſt Tigurum, Hæc Ber na. Ita cernentes annulum cõiugalem, uel imaginem aliquam prin cipis, nuncupamus fidem coniugalem, aut cõiugem, deniq; ipſum principem. Proferentes enim matronæ annulum dicunt, Hic eſt meus ille coniunx. Demonſtrantes ſtatuam uel imaginem princi pis Saxoniæ dicimus, Hic eſt princeps Saxoniæ. Quod ſi quis per geret pertinacius contendere, ſignum reipſa eſſe rem ſignatam, quod huius nomen gerit: an non omnes clamarent, talem deſtrui ſenſu communi, & pertinacem rixatorem omnibus modis eſſe con temnendum?

Intelli-

Intelligunt itaq; periti rerum, catholicum, receptum ab omnibus & orthodoxũ fuisse semper, quod multis modo ostendimus, signa rerũ mutuare nomina, nõ autẽ transire in illa. Ideo uero priscis nullæ fuerunt de sacramentis rixæ & altercationes, quales inter nos hodie uigent. Vt enim signa rerum ornabant nominibus, ita genus loquendi agnoscebant, nec rigide urgebant uerba, quasi ipsa signa realiter & corporaliter illud ipsum essent, quod significabant. Ideo uero & apud Aurel. Augustinum hæc regula uel hic canon, Signa usurpare uel mutuare rerum nomina, toties repetitur & inculcatur. Eodem canone obscura quædã loca illustrat: cuius rei iam aliquot subijciemus testimonia. De Baptismate paruulorum ad Bonifaciũ epist. 23. Si sacramenta, inquit, quandam similitudinem earũ rerum, quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerũq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut de ipso Baptismo apostolus, Consepulti, ait, sumus Christo per baptismum in mortẽ. Non ait sepulturã significamus, sed prorsus, ait, consepulti sumus. Sacramentũ ergo tantæ rei non nisi eiusdem rei uocabulo nuncupauit. Et in Tracta. super Ioan. 63. Exeunte immundo omnes mundi remanserunt. Tale aliquid erit, cum uictus à Christo transierit hic mũdus, & nemo in populo Christi remanebit immũdus, cum zizanijs à tritico separatis iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Hoc futurũ prœuidens dominus, & nunc significatũ esse contestans, discedente Iuda tanq̃ zizanijs separatis, remanentibus tanquam tritico apostolis sanctis, Nũc, inquit, clarificatus est filius hominis: tanquã diceret, Ecce in illa clarificatione mea quid erit, ubi malorũ nullus erit, ubi bonorum nullus perit? Sic autem non est dictũ, Nunc significata est clarificatio filij hominis: sed dictũ est, Nunc clarificatus est filius hominis. Quemadmodũ non est dictũ, Petra significabat Christum, sed Petra erat Christus: nec dictũ est, Semẽ bonũ significabat filios regni: sed dictũ est, Bonum semẽ, hi sunt filij regni, zizania autẽ filij maligni. Sicut ergo solet loqui scriptura, res significãtes tanquã illas quæ significantur appellans: ita locutus est dominus dicens, Nunc clarificatus est filius hominis, postquã separato inde nequissimo, & secũ remanentibus sanctis significata est glorificatio eius, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum sanctis.

De sacramentis nullæ rixæ uetebus.

Nõ dicitur Petra significat Christum, sed Petra est Christus.

Idem in Epist. ad Euodiũ 102. Sonitus ille uocis et colũbæ species corporalis, & linguæ diuisæ uelut ignis, qui insedit super unũquẽq; eorum, sicut illa in monte Sina, quæ terribili specie facta sunt: & sicut colũna illa nubis per diem, & flammæ per noctẽ significatiua

operatione acta atq; trãsacta sunt. Illud in his maxime cauendũ est, ne cuiquã dei natura uel patris, uel filij, uel spiritus sancti cõmutabilis & conuertibilis esse credatur. Nec moueat quod aliquando res quæ significat, nomen eius rei, quã significat, accipit. Spiritus sanctus dictus est corporali specie tanquã colũba descendisse & mansisse super eum. Sic enim & Petra Christus, quia significat Christũ.

Error eorũ qui nolunt sacramentales locutiones exponi sacramẽtaliter.

Ex his autẽ & recensitis scripturarũ exemplis perspicuũ est signa rerum mutuare nomina, non naturas atq; substantias: unde inuibitatũ est, eos toto errare cœlo, quibus persuasissimum est sacramentales locutiones, non ut translatinas & figuratas, sed maxime proprias esse exponendas: ideoq; aquã, panem & uinũ non iam signa aut symbola duntaxat esse regenerationis & corporis Christi sanguinisq; pro nobis tradiri atq; effusi: sed ipsam met regenerationẽ, ipsissimũ domini nostri Iesu corpus & sanguinẽ. Sic enim sentientes peccant contra omniũ sæculorum cõmunem & loquendi & interpretandi rationẽ, pugnant & cum uera fide adeoq; & cum sensu cõmuni. Quibus accedit, quod sua illa figni figmentiq; cõfusione seruilem infirmitatẽ, carnalemq;, ut Augustini uerbis utar, seruitutem inducunt. Hic enim lib. de Doctr. Christ. 3 cap. 9. de Sacramẽtis differens Christianorũ, Pauca, inquit, „p multis, eaq; facta facilima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse dominus et apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi sacramentum, & Celebratio corporis & sanguinis domini. Quæ unusquisq; cũ percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate uenereture. Vt autẽ literã sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, seruilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari male uagantis erroris est. Et adhuc significantius cap. 5. Principio cauendum est, ne figuratam locutionẽ ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait apostolus, Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Cum enim figurate dictũ sic accipitur, quasi proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neq; ulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam, quod in ea bestias antecellit, hoc est intelligentia, carni subijcitur sequendo literã. Qui enim sequitur literam, translata uerba sicut propria tenet: neq; id quod proprio uerbo significatur, refert ad aliã significationẽ: sed si sabbatum audierit (uerbi gratia) non intelligit nisi unum diem de septẽ, qui cõtinuo uolumine repetuntur: & cum audierit sacrificiũ, non excedit cogitatione illud quod fieri de uictimis pecorum terrenisq; fructibus soler. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad

Carnalis seruitus, & seruilis infirmitas.

tis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Hæc August. Colligimus autem ex his S. Augustini uerbis, eos sacramenta libertate spirituali uenerari, qui neq; literæ inhærent, neq; res uisibiles et elementares, aquam puta, panem & uinum, ueluti ipsas res significatas colunt & uenerantur: sed per ipsa potius admoniti & excitati, animis in illarum contemplationem efferuntur.

Idem ille in eodem lib. cap. 15. docens, quando & quomodo recipiendus aut agnoscendus sit tropus, Seruabitur, inquit, in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tam diu uersetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnũ charitatis interpretatio deducatur. Si autem hoc iam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio. Et adhuc planius in sequenti 16. cap. subiungit, Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatẽ aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si aũt flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem beneficentiámue uetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere: figura ergo est præcipiens passioni domini esse communicandum, & suauiter atq; utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit. Ait scriptura, Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Hic nullo dubitante beneficentiã præcipit. Sed quod sequitur, Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius, maleuolentiæ facinus putes iuberi: ne igitur dubitaueris figurate dictum. Et reliqua. Hæc uidelicet omnia illor ũ redarguunt errorem, qui sacramentales locutiones ceu proprias interpretantur, & à figuris aut tropo, in negotio cœnæ potissimum, abhorrent. *Quomodo recipienda & agnoscenda oratio figurata.*

Non nescio tamen, quid huic postremo S. Augustini testimonio opponant, Verba saluatoris Ioan. 6. nihil facere ad interpretationẽ negotij sacramentarij, ergo & locum S. Augustini non congruere nostro instituto. Cæterum clarum est S. August. eo libro disputare de Signis & de locutionibus sacramentalibus. Clarum est & illud ex multis alijs Augustini locis, hunc frequenter ad illustrandum Cœnæ negotium adducere uerba saluatoris ex cap. 6. Ioan. Quare uero illa ad negotium Cœnæ nihil faciunt? An de alio corpore loquitur in Cœna, de alio uero apud Ioan. in ca. 6. Ergóne credemus dominum fuisse & esse bicorporem? Vnũ modo est corpus domini Iesu, quod ut corporaliter cõmestum nihil prodest apud Ioã. in ca. 6. ita illud ipsum corporaliter cõmestum nihil prodest apud Matth. in cap. 26. Verum hanc rem attigimus aliàs. Nihilo plus salis habet & ista eorundem obiectio, Vitiosam uidelicet consequentiam esse *Verba domini Ioan. 6. faciunt ad explicanda uerba Cœnæ.*

Argumentari à sacramentis ueterum ad nostra.

cum colligimus, Circũcisio est fœdus, Agnus est transitus, Sacrificia sunt peccata & sanctificationes, &c. locutiones sunt sacramentales, symbolicæ ac figuratæ: ergo illa quoq; Hoc est corpus meum, est locutio symbolica & figurata. Cum enim par sit ratio sacramentorum, cur non liceret ab uno argumentari ad alterum? Quod autem par sit ratio sacramentorũ, receptum est ab omnibus ueritatem recte agnoscentibus, & probabitur postea quoq; plenius. Quod si non licet à sacramentis ueterum argumentari, & per illa collatione quadã nostra interpretari, nostrisq; illa illustrare, peccauit certe apostolus, qui uitiosa consequentia per collationem ab illorũ sacramentis ad nostra argumentatus legitur in 1. ad Cor. 10. & ad Colos. 2. cap. Sed redimus.

Sacramentalibus locutionibus uti licet.

Ergo ut finiamus tandem hunc locũ, locutiones sunt sacramentales & symbolicæ, cũ legimus & audimus, Panẽ esse corpus Christi, Vinum esse sanguinẽ Christi: ac corpus et sanguinẽ Christi manducare & bibere, qui edunt & bibunt sacramentum corporis & sanguinis domini: purgari item à peccatis, & regenerari in nouã uitã, qui baptizantur in nomine Christi: & baptismum esse ablutionem omnium peccatorũ. Atq; hoc modo loquuntur scripturæ, hunc loquendi modũ seruarunt & ueteres ecclesiæ doctores: quos hoc nomine nemo prudens uituperat, neq; nunc quisquã quẽquam uituperare potest qui sic loquitur, modo hic quoq; in ea maneat synceritate, qua sanctos illos dei uersatos constat. Nam ut libenter & simpliciter locutionibus illis utebantur, ita rigide literam & locutiones non urgebant, interpretabãtur easdẽ, ut nemo tam rudis esset, quin intelligeret signa non esse id ipsum, quod significabant, sed signa

Sacramentaliter.

usurpare rerũ nomina. Vtebãtur ergo uocabulis significatiue, mystice, symbolice, sacramentaliter. Ergo quod nonnulli nolunt sacramentales exponi, quasi plus authoritatis, maiestatis, grauitatisq; inexplicatæ habeant, ingens trahit secũ periculũ noxiũq; scandalũ ponit, pugnat item cum canone apostolico, cũ sana ratione & cũ ueterum cõsuetudine. Cũ enim huiusmodi locutiones, Panis est corpus Christi. Cum uinũ bibis dominicũ, ipsum bibis dñi cruorẽ. Baptismus nos saluos facit, &c. inexplicatæ simplicibus ꝓponũtur, quid oro aliud q̃ laqueus carnalis seruitutis, sed & scandalũ idololatriæ periculosissimũ ꝓponitur? Verbis hic pluribus opus non est, cũ experientia quid factũ sit, & quid fiat in diẽ, abũde satis hũc locũ illustret. Canon uero apostolicus iubet oracula diuina interpretari in ecclesia, et ad sanũ intellectũ omnia scripturę mysteria ꝓferre, sicut uidere licet in 1. ad Cor. 14. cap. Ratio q̃q; ipsa dictat rebus nõ intellectis,

Sacramentales locutiones exponendæ sunt.

parum

parum aut nihil moueri mentē hominis. Quis ergo fructus erit sacramentorū apud simplices, ad quos nulla explicatio sacramentorū peruenit? Rectius ergo ueteres omnia regni dei mysteria, sacramentorum in primis, non explicarunt modo, sed & exponenda esse docuerunt. Quod quanquam ex præcedentibus clare colliquescat, adiiciā tamen duo S. Augustini hac de re testimonia. De catechisandis rudibus cap. 26. De sacramento quod accepit, inquit, cum ei bene cōmēdatum fuerit signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia, sed res inuisibiles in eis honorari: nec sic habendā esse illam speciem benedictione sanctificatā, quemadmodū habetur in usu quolibet. Dicendum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit: quid in illo condatur, cuius res illa similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramq; uitā pertineat. Et quæ sequuntur. Idem lib. de Doct. Christ. 4. cap. 8. prohibet omnino doctoribus ecclesiasticis, ne ideo se putent obscure loqui oportere de mysterijs scripturarum, quia uident hęc paulo intricatius tradita esse in scripturis, lucē magis perspicuitatēq; postulat. Verba eius si quis requirat, hæc sunt, Si nos de literis canonicorum nostrorum authorum doctorumq;, quæ sine difficultate intelliguntur nonnulla sumimus eloquutionis exempla, nequaquam tamē putare debemus, imitandos eos nobis esse in his quæ ad exercendas & elimandas quodammodo mentes legentium, et ad rumpenda fastidia atq; acuenda studia discere uolentium, zelandos quoq; siue ut ad pietatem conuertantur, siue ut à mysterijs secludātur animos impiorum, utili & salubri obscuritate dixerunt. Sic quippe illi loquuti sunt, ut posteriores, qui eos recte intelligerent & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem uerūtamen subsequentem in dei ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tanquam se ipsi exponendos simili authoritate proponant: sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maxime ut intelligantur elaborent ea quantū possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligit: aut in rerum quas explicare atq; ostendere uolumus difficultate ac subtilitate, non in nostra loquutione sit caussa, quo minus tardiusue quod dicimus possit intelligi. Hæc August. Et hæc hactenus de loquutionibus sacramentalibus dixisse sufficiat. Laudemus dominum.

Religiose differendum esse de sacramentis. Ea per se non conferre gratiam, neq; hanc in se ipsis inclusam continere. Rursus quæ sit uirtus, quis finis & usus sacramentorum legitimus. Hæc sine fide non prodesse, eadem fidem habentibus non esse superuacanea: neq; ipsa pẽdere à dignitate, uel indignitate ministrantiũ.

SERMO VII.

Epilogus particularis.

LIBRI C.V. exposui quid sit sacramentum, quo authore sint profecta, & quas ob causas instituta sacramẽta, quibus rebus constent, signo nimirum & re signata, quid item signum sit, quid res significata, & quibus insigniantur nominibus, quomodo consecrentur, quod signum cum re signata non commisceatur, sed utrũq; in sua natura naturaq; proprietate maneat, quod signum nõ annihiletur, aut miraculose conuertatur, nec ita cum hoc signatum coniungatur, ut quicunq; illius sit particeps & huius habeat communionem: exposui denicq; quomodo aut qua ratione coniuncta sint signum & signatum, ut plenum & legitimum sacramentum constituant, ubi & de sacramentalibus locutionibus disserui: iam ergo restat ut etiam de natura, uirtute & efficacia sacramentorum, & de ijs quæ cum eis coniuncta & cognata sunt, consequenter dicã: ita enim ratio ordinis in finitione proposita requirit.

Religiose uersandum in caussa sacramentorum.

De uirtute & natura sacramentorum, quid uidelicet in homine efficiant, uarie & copiose disputatur à scriptoribus: mihi uidetur in hac disputatione uersandum religiose, cauendumq; ne in dextram uel finistram inclinem, hoc est, ne illis tribuam nimium in euangelicæ & apostolicæ doctrinæ derogationem: neue ijs detraham aut adimam, quod ipsis tribuit scriptura, uerbum dei, in meam ipsius condemnationem. Abunde uero satis magnam laudem et gloriam institutis dei tribuerimus, si id de eis prædicauerimus, quod tradidit in sacris spiritus dei: plura uelle ijs tribuere, non modo error est humanus, sed peccatum grande, afferens exitium atq; interitum horribile. Exemplis memorãdis id nobis in sacris est expositum. Arca testificationis, populo Izraelitico, per Mosen data, testimonium erat diuinæ in populo præsentiæ, fœderis item & amicitiæ inter deum & hominem. Nam in hæc uerba pepigerat cum populo deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Ex ea institutione ac pactiõe appellabatur arca ipsa, Dominus deus exercituum, sedens inter cherubim, ut uidere licet 2. Samuelis 6. & in libro Paralipomenon; appellabatur & arca fœderis do-

Arca fœderis.

Leuit. 26.

ris domini. Hæc autem cum ipsi sacramento dei prophetæ dei tribuerent, abunde satis & magnifice de sacramento dei senserunt & loquuti sunt: ubi uero indocti & malitiosi sacerdotes, & per hos corruptus populus, longe maiora arcæ seu sacramento dei tribuerent, quid oro factum est? Audi prius quid arcæ tribuerint. Clamãt seniores Izraelis, Quare strauit nos hodie dominus coràm Palestinis? Adducemus ad nos de Silo arcam fœderis domini, ut illa ueniens inter nos, seruet nos de manu hostis nostri. Audisti quid arcæ tribuerint, audi iam quid fecerint, Misit itaq; populus in Silo, & attulerunt illinc arcam fœderis domini exercituum, sedentis inter cherubim. Et factum est cum uenisset arca fœderis domini in castra, ululatus est cunctus Izrael iubilo magno, ut terra tremeret. Quod cum audissent Palestini, dixerunt, Quid sibi uult clamor iste? Et audientes arcam castris illatam Hebræorum, clamant & ipsi, Væ nobis, Venit deus in castra, quis eruet nos è manu deorum istorum fortium, qui percusserunt Aegyptum? Sed audi modo quid factum sit, & quomodo declarauit deus arcam illam non esse deum, sicuti dicebatur & ab imperitis rerum sacrarum habebatur, quomodo item puniuerit peccata populi sui, id quoq; quod nimium tribuerunt sacramento. Sequitur ergo, Pugnauerunt itaq; Palestini, & Izraelitæ cæsi sunt, fugerunt singuli in tentoria sua, & cædes facta est uehementer magna, ut caderent ex Izraele triginta milia peditum: sed & arca dei capta fuit, ac cæsi sunt duo filij Heli. Hæc omnia leguntur 1. Samuelis 4. Rursus cum irreligiosius tractaretur sacramentum dei à porcis Palestinis, percutiuntur & hi plaga & fœda & exitiali. Gloriabantur quod dij sui & religio Palestina uicisset deum Izraeli tarum & religionem Izraelitica m, sed cadunt & confringuntur dij Palestini, confunditurq; religio ethnica. Quid quod Izraelitæ iam leuius contrectantes sacramentum à Palestinis reductum in Bethsames, curiosiusq; illud contra legem dei Numeri 4. scrutantes, grauiori plaga nunc quàm prius concidunt? Percussit enim dominus septuaginta uiros, & quinquaginta milia hominum 1. Samuelis 6. Cum Moses negligentius distulisset circumcisionem in liberis suis, in graue incurrit periculum. Sichimitæ ob temere receptam Circũcisionem delentur. Et Simeon ac Leui propter prophanatum sacramentum graues accipiunt à patre suo sententias, Gene. 49. Quibus congruit quod apostolus de indigne celebrantibus cœnam dicit, Propter hoc multi inter uos imbecilles & inualidi, et dormiunt multi. Huc pertinet etiam exemplum Ozæ uiri non omnino mali, sed non legitime hoc ipsum sacramentum tractãtis, unde & subitanea

Nimiũ tribuere sacramentis.

Grãde peccatũ non tribuere tantũ sacramẽtis, quantũ tribuit scriptura.

morte conficitur à domino, idq; non priuatim in tabernaculo, sed in celebri pompa. De quo facto dei postea in synodo & ecclesia Izraelitica pronuncians Dauid dicit ad Leuitas, Dominus constituit ut portetur arca à Leuitis (non uehatur nouo plaustro à bubus) sanctificate ergo uos et transferte arcam domini dei Izraelis ad locum, quem parau i ei. Quandoquidem enim hoc ab initio non feciſtis, rupturam in nobis fecit dominus deus noster, quia non requisiuimus eum, sicuti oportuit. Et sequitur mox, Sanctificati sunt igitur sacerdotes & Leuitæ ut adducerent arcam domini dei Izraelis: portaruntq; filij Leuitarum arcam dei, sicut præceperat Moses iuxta uerbum domini, humeris suis impositis uectibus. Extant hæc omnia 1. Paralip. 15. cap. Ex quibus colligimus nolle dominum nostras bonas intentiones & celebrationes magnificas in celebratione sacramentorum: sed illud requirere unice, ut ita iudicemus & loquamur de sacramentis, sicuti ipse per uerbum iudicat & loquitur, & ut ipse instituit & celebrauit, ita nos usurpemus atq; celebremus. Proinde abunde satis tribuit sacramentis, quisquis id eis tribuit, quod ipse deus in scripturis sanctis tribuit.

Num. 4.

Docetur sacramenta cõferre gratiam.

Excutiamus ergo ante omnia quid nostro ferè sæculo tributum sit sacramentis, ut inde rectius quid tribuendum uel non tribuendũ sit intelligatur. Docuit uulgus sacerdotum & monachorum sacramenta nouæ legis non tantum esse signa gratiæ, sed simul etiam gratiæ causſas, hoc est quæ habeant uirtutem conferendi gratiam. Esse enim illa ceu instrumenta, organa & infundibula quædam passionis Christi, per quæ in nos gratia Christi transfundatur: at signa ueteris testamenti patribus data, signa tantum, non causſas quoq; gratiæ fuisse, utpote quæ uim duntaxat significandi nõ conferendi gratiam habuerint.

Augusſt. nõ docuit sacramenta conferre gratiam.

Videntur autem id dogmatis hausisse ex uerbis Augustini perperam intellectis. Scribit enim is in Psal. 73. Sacramenta nouæ legis salubriora & feliciora ijs, quæ in ueteri lege: eò quod illa promittãt, hæc dent. Atqui non uoluit his uerbis aliud dicere S. Augusſt. quàm quod alibi sic protulit, Sacramenta ueteris legis Christum prænunciarunt, nostra annunciant. Nam & contra Faustum lib. 19. cap. 14. sacramenta ueterum uocat promissiones rerum complendarũ, nostra nominat indicia rerum completarum. Proinde in Psal. 73. Dant dixit pro eo quod est datum testantur, aut exhibitum significant. Fateor quidem illum non semel dixisse, nostra esse feliciora & uirtute præstantiora: atqui id dixit non alia ratione quàm quod præstito nobis Messia in nouo testamẽto omnia nostra pleniora, illustriora, siue

siue luculẽtiora sunt. Christus enim plenissime omnia absoluit: unde reuera nostra plenius significant, & quodammodo uiuidiora sunt. Cæterum si Augustinus omnino in ea fuisset sententia, quam sequuntur isti, an non suaderet ipsa pietas, ut deserta hominum authoritate, uerbo ueritatis adhæreremus?

De similitudine & differentia sacramentorum ueteris & noui testamenti.

Videamus ergo quid colligatur ex uerbo ueritatis, id est, ex scripturis canonicis, de sacramentorum ueteris & noui testamenti similitudine & differentia. E scripturis habemus hoc certissimum, unũ esse utriusq; ecclesiç æternum & immutabilem deum ac dominum, unam per Christum in illũ utriusq; ecclesiæ fidem, unam in utraq; ecclesia propositam promissionibus salutis rationem, deniq; unam unius perpetuo dei ex utroq; populo collectam ecclesiam. Non arbitror autem copiosa ex scripturis confirmatione horum opus esse, quod Decadis 3. Serm. 8. illa fusius tractaui. Illis uero ita præstructis, & scriptura apostolica confirmatis, ita demum, non ex nostris capitibus, sed ex authoritate diuina colligimus, Quorum unus est perpetuo æternus & immutabilis deus, una omnium salutis ab æterno in Christo proposita ratio, una fides, una ecclesia, unus baptismus, idem spiritualis cibus & potus, eorũ non possunt esse nisi eadem quod substantiam attinet sacramenta. Atqui Iudæorũ & Christianorum est unus deus, una fides, & una salutis per Christum ratio, una deniq; ecclesia: sunt itaq; eadẽ quoq; sacramenta: nisi quod nostra sub alijs data sunt signis, & quod propter exhibitum solem iustitiæ Christum multo sunt illustriora & euidentiora. His addo scripturam testari sacramenta ueterum & nostra idẽ usqueadeò ualere, ut Paulus dicat circũcisos qui sunt baptisati, baptisatos qui sunt circumcisi? Docet idem ille patres nostros eandem nobiscum escam spiritualem edisse, & de eodem potu spirituali bibisse, nimirum de petra. Sed addit mox, Petra uero erat Christus. Verba apostoli notissima sunt, & leguntur 1. Cor. 10. Idem ad Coloss. cap. 2. In Christo, inquit, estis completi, per quem & circũcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circũcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismũ, &c. Quid his oro clarius dici potuit? Circũcisio quæ fit sine manibus, est circũcisio Christiana, baptismus uidelicet. Cæterum in superiore loco Pauli ad Corinth. obseruandũ est (quod & alibi monuimus) In Mosen Baptizari, non idem esse quod est in Christum baptizari. Nam In Mosen baptizari, perinde est ac si dixisset per Mosen baptizari, aut ministerio Mosis. Constat enim Mosen suæ fidei creditum populum unice deo adduxisse.

Auguſt. quoq; docuit eadem ſacramenta uetera & noſtra.

Non diuerſa his legas & apud Aurel. Auguſt. non uno loco, ut cunq; aduerſarij differentiam illam ſuam inter ueterũ & noſtra ſacramenta inductam ad Auguſtinũ referre cupiant. Nam contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37 Fuerũt, inquit, in ſignis diuerſa, in re quæ ſignificatur, paria Item in Tract. in Ioan. 26. in hunc locũ, Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.) Hunc panẽ ſignificauit manna: hunc panem ſignificauit altare dei. Sacramenta illa fuerunt. In ſignis diuerſa ſunt, ſed in re quæ ſignificatur paria. Nõ diſſimilia legas contra Fauſtũ Manichęum lib. 19. cap. 13. 16. 17. Rurſus Tract. in Ioã. 45. Ante aduentũ domini noſtri Ieſu Chriſti, quo humilis uenit in carne, præceſſerũt iuſti, ſic in eum credentes uenturũ quomodo nos credimus in eum qui uenit. Tempora uariata ſunt, non fides. Et reliqua. Et mox, In ſignis diuerſis eadem fides, ſic in ſignis diuerſis quomodo in uerbis diuerſis: quia uerba ſonos mutant per tẽpora, & utiq; nõ aliud ſunt uerba q̃ ſigna. Significãdo enim uerba ſunt: tolle ſignificationẽ uerbo, ſtrepitus inanis eſt. Significata ſunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant per quos hæc ſigna miniſtrabantur: per quos eadẽ quæ credimus prophetata prænũciabantur? Vtiq; credebant, ſed illi uentura eſſe, nos autẽ uenifſe. Item in Pſal. 77. Idem in myſterio, inquit, cibus & potus illorũ qui noſter, ſed ſignificatione idẽ non ſpecie. Quia idẽ ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus. Sed non in omnibus illis beneplacitũ eſt deo. Omnes quidem eundem cibũ ſpiritalem manducauerunt, & eundem potũ ſpiritalem biberunt, id eſt, ſpiritale aliquid ſignificantem: ſed non in omnibus illis beneplacitum eſt deo, & cum eſſent omnia cõmunia ſacramenta, non cõmunis erat omnibus gratia, quæ ſacramentorũ uirtus eſt. Sicut & nunc iam reuelata fides, quæ tunc uelabatur, omnibus in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti baptiſatis cõmune eſt lauacrũ regenerationis, ſed ipſa gratia cuius ipſa ſunt ſacramenta, qua membra corporis Chriſti cũ ſuo capite regenerata ſunt, non cõmunis eſt omnibus. Hęc Auguſt. docens eorum ſigna, temporis diuerſitate excepta, non imparia aut diſſimilia eſſe, quorum eadem eſt fides & religio.

Gratia quid ſit.

PERSTRICTA autem ſimilitudine & differentia ſacramentorum ueteris & noui teſtamenti, idq; ex occaſione dogmatis recepti ſacramenta nouæ legis conferre ex ſe gratiã, expendamus & ipſum quale ſit. Ac de uocabulo quidem gratiæ primo paucula hæc admonemus, Gratia fauor eſt numinis & beneuolentia, qua deus pater nos propter Chriſtum complectitur, purgat, iuſtificat, donis inſtruit & ſaluat. Nam apoſtolica ſcripta gratiam aperte uocant, quã

ſaluamur

ſaluamur & iuſtificamur ex fide Ieſu Chriſti. De hac ſcriptum eſt, Non irritam facio gratiam dei. Nam ſi per legem eſt iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. De hac ſcriptum eſt, Chriſtus nobis factus eſt otioſus, quicũq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis. De hac ſcriptum eſt, Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquĩ gratia iam non eſt gratia. Quid quod ipſe dei filius gratia & donũ dei appellatur? Ioan. 4. Tit. 2 cap. Iam uero Conferre quid aliud eſt q̃ dare, uel rem aliquam, quam prius nõ habebas, donare? Si ergo ſacramenta conferunt gratiã ſumentibus, profecto eas res non habentibus dant, quas ſignificant, ipſum, inquã, Chriſtum cum omnibus eius donis, id eſt, gratos & acceptos deo faciũt, iuſtificant & ſaluant, idq; ex ſeipſis, utpote quæ uirtutẽ ex paſſione Chriſti accepiſſe dicuntur ſanctificandi, & non tantũ ſignificandi aut iuuandi, commendandi aut prouehendi gratiam. Sed & perceptionẽ gratiæ attribuũt noſtro opi quo ipſa ſumimus ſacramẽta. Verũ quantũ hæc doctrina pugnet cũ ueritate prophetica et apoſtolica nũc demõſtrabo.

Vetus fuit error Iudaici populi ſacramenta iuſtificare. Hinc eſt quod ſancti dei propheræ cum populo ſuæ fidei credito, falſis tamen imbuto opinionibus, concertantes, clamarunt, Fruſtra illũ niti ſuis ritibus & ſacrificijs: deũ autẽ delectari obedientia fideli, fide, inquã, charitate, innocentia, uera utiq; pietate. Inter quos Ieremias dicit, Sic ait dominus exercituum deus Iſraelis, Holocauſta ueſtra addite uictimis ueſtris, & comedite carnem: quoniã nihil locutus ſum cum patribus ueſtris, neq; præcepi eis, eo tempore quo educebam eos è terra Aegypti de ratione holocauſti & ſacrificij: ſed hoc uerbũ præcepi eis dicendo, Audite uocem meam, et ero deus ueſter, uos autem eritis populus meus: & ambulate in omni uia quam præcepi uobis, ut bene ſit uobis. Similis locus eſt & apud Iſaiam in cap. 1. Non reiecit dominus, neq; damnarunt diuini uates in uniuerſum omnia ſacrificia, cum ea ipſe dominus per Moſen inſtituiſſet: ſed falſam opinionem uanamq; in ipſa fiduciã oppugnabant. Vana fiducia & falſa opinio eſt, ſacrificia per ſe ac propter opus noſtrũ reddere nos gratos domino. Nã fides acceptos efficit nos deo per Meſſiam. Et dominus ſacramenta uel ſacrificia non inſtituerat ut gratiã oblata conferrent aut iuſtificarent, ſed ut teſtimonia eſſent gratiæ dei, & ut in ordine retinerent populum, ut ipſum retraherent ab idolis & cultibus ethnicorum, ad Chriſtũ autem ſummum pontificem, & unicam totius orbis hoſtiã deducerent. Pædagogia enim ſiue exercitia fuerunt, Paulo hoc approbante atq; dicente, Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificaremur. At poſtquã uenit

Sacramenta non conferunt gratiam.

Ierem. 7.

Galat. 3.

fides, non amplius sub pædagogo sumus. Iccirco sacrificia ueterũ sacrificantibus non conferebant gratiam, neq; iustificabãt, sed sym bola & testimonia erant deum sanctificare, & iustificare quidẽ per hostiam omnibus sæculis destinatam, per Messiam, ad cuius fidem ueluti pædagogus quidam deducentia dirigebant.

Error in ecclesia apostolica.

Ac prædicantibus quidem apostolis purã doctrinam euangelij, sola dei gratia per Christum seruari credentes, auitus ille error tam alte Iudaicis infedit animis, ut illi quoq; qui Christum receperant contenderent tamen, Christũ non posse plene, nisi sacramentis Iudaicis accedentibus, sanctificare aut iustificare. Cõtra quos apostoli magna grauitate & ualidissimo spiritus impetu disputantes, euicerunt hominem Christianum nullis legalibus interuenientibus, nullis deniq; operibus adiuuantibus, sed sola & mera siue gratuita dei gratia misericordiáue per Christũ sanctificari, purificari, iustificari, atq; saluari. Quæ sanè prora, quod dici solet, et puppis est doctrinæ euangelicæ & apostolicæ, quam qui negat, nullã haud dubie sortẽ habet in hæreditate Christi & euangelij ipsius. Nec obscurũ aut dubium est quod modo paucis his proposui. Quis enim nesciat memorabilem illam concertationẽ maximorũ apostolorũ Christi Pauli ac Barnabæ institutam, contra eos qui docebant, nisi circũciderentur Christiani iuxta legem Mosis, nullo pacto saluari posse? Contra quos & Petrus concludit, Fide purificari corda, & gratia domini Iesu Christi saluari credentes.

Actor. 15.

Gratis conferri gratiam, recipi per fidem.

Verum quidem est, abrogata apostolorum aduersarios reducere uoluisse, interim uero indubitatũ est & illud, apostolos non alio ariete incusso aduersariorũ de sacramentis purificantibus debilitasse ualidius, adeoq; & subuertisse felicius q̃ hoc, Gratia dei per Christũ iustificari credentes: cumq; ubiq; ferè adijciunt non lege non ceremonijs aut ullis ritibus, an putamus illos in participatũ admissuros sacramenta, quæ sub censum ueniunt ceremoniarum aut rituum? Fides Christiana gratiam dei, remissionẽ peccatorũ, sanctificationẽ & iustificationẽ tribuit in solidũ gratuitæ misericordiæ dei, adeoq; & merito passionis Christi, & ita tribuit, ut præterea admittat nihil prorsus in participatum. Quod ergo Lombardus dixit, Sacramenta uirtutẽ conferendi gratiam accepisse ex merito passionis Christi, ex se finxit. Nam ut Christus gloriam suam nõ dat ulli uel sanctis siue homini, nedum inanimatæ creaturæ: ita qui credit se iustificatũ plene per mortẽ & resurrectionẽ domini, is in nulla alia re amplius q̃ in solo Christo quærit gratiã aut iustitiã, in q̃ acquiescit, quẽ et in fide per spiritũ sanctũ iã sentit in corde uel mẽte uires suas exerere. Huc enim

enim pertinent illa ex euangelio, Vade in pace, fides tua te ſaluam *Lucæ 7.* fecit. Item, Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Quiſquis au- *Ioan. 4.* tem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitierit in æternũ, &c. Huc pertinet & illud Pauli, Iuſtificati ex fide, pacem habemus er- *Rom. 5.* ga deum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, per quem & con- tigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ dei.

Non neſcio quorundam ſutelas commentantium eſſe genera- *Cõfutatur* lem quandam deinde & ſpecialem fidem. Generalem uocant, qua *cõmentum* credimus nos morte & reſurrectione Chriſti uere iuſtificari. Specia- *eorũ qui fin* lem uero, qua credimus per ſymbola & opus noſtrum peculiariter *gunt fidem* & cuilibet noſtrum ſingulariter applicari dona dei. Verum quor- *generalẽ &* ſum attinebat è terra, in qua licebat ueſci manna, reſpicere ad ollas *ſpecialem.* & allia Aegyptiꝰ? Quid Chriſtianis, oro, negotij cum diſtinctioni- bus ſophiſticis? Aut unde probabunt nobis hãc ſuã diſtinctionem? Vna modo fides eſt, eaq; non alia in uſu ſacramentorum, quàm ex- tra uſum. Extra uſum credimus nos morte & reſurrectione Chriſti ſanctificari. In baptiſmo & Cœna dominica non aliam exercemus fidem, quàm qua credimus domini gratia & miſericordia purgari nos à peccatis, eiuſdemq; tradito corpore & effuſo ſanguine nos re dimi à morte & hæredes fieri uitæ æternæ. Applicant hæc nobis non ſacramenta, ſed fides per ſpiritum ſanctum. Id quod uniuerſa teſtatur ſcriptura apoſtolica, quam huiuſmodi commenta obſcurãt. Breuiter, Vnus eſt omnino deus & ſaluator, una ſalus, una redem- ptio & purgatio, una fides, qua recipimus quidem oblatam nobis ſalutem à deo in Chriſto per ſpiritum ſanctum. Eadem annuncia- tur aut prædicatur nobis in uerbo per miniſtrum, & repræſentatur obſignaturq; per ſacramenta.

Iam uero quis neſciat Paulum apoſtolum in omnibus ſuis ſcri- ptis unice contendere fide in dominum Ieſum, non per ulla opera iuſtificari credentes? Rurſus quis ignoret, ſub cenſum operum no- ſtrorum uenire & perceptionem aut celebrationem ſacramentorũ? Quibus & illud adijciam, Illud ſacramenta non dare quod non ha bẽt: gratiã et iuſtitiã donáue cœleſtia non habent, ergo nõ cõferunt.

Hinc uero exoritur nobis noua quædam diſputatio, An gratia *An gratia* dei & uirtus quædam diuina ſymbolis ſit indita incluſáue & uelut *dei in ſacra* in ipſis contenta ut ex eis in ſumentes deriuetur? Vulgus ſacrifico- *mentis con-* rum & monachorum tam uerbis quàm factis ſuis prodit ſe ſen- *tineaturẽ* tire, ipſis ſymbolis diuinam eſſe incluſam uirtutem, adeoq; deum ipſum ijs contineri. Non enim alia origine emergunt anxiæ illo-

rum disputationes de eo quid arrodat mus, cum sacramentum corporis Christi arrodit. Innocentius Papa libro de sacramento altaris 4. cap. 11. Miraculose reuertitur substantia panis, inquit, nõ illa quæ transiuit in carnem, sed quod eius loco alius panis miraculose creatur, qui corroditur &c. Vide acumen & miraculosam quandã theologiam. Omitto hic studio alia huius generis permulta. Adde his, quod characteribus impressis, & mirificis quibusdam uerbis, gestibus & exufflationibus, quæ omnia benedictionis titulo ornant, aquam baptismi consecrant. Ac inter alia canunt, Deus aquam hanc regenerandis hominibus præparatam, arcana sua luminis admixtione fœcundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis utero in nouam renata creaturam, emergat. Sit hæc sancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incursu, nõ insidiando circumuolet, Sit fons uiuus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. Vnde benedico te creatura aquæ, per deum uiuum, per deum uerum, per deum sanctum, per deum qui te in principio per uerbum separauit ab arida &c. Rursus sufflando in aquam ter, hęc protinus subiungit uerba, Tu has, domine, supplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces. Deinde accipit minister sacrorum cereum ardentem, & impositum aquæ baptismi ter dicit, Descendat in hanc plenitudinem fontis uirtus spiritus sancti. Addit, Et totam huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. Et reliqua. Hæc omnia sine tropis simpliciter dicta intelligunt & exponunt. Id quod satis euidenter euincit, quid homines isti aquæ consecratæ tribuant, & quod signis res sacras contineri sentiunt. Torsit se hac in re mirum in modum Bonauentura, qui scripto suo in 4. Magistri Distinctio. 1. quæst. 3. inter alia, tandem, Non est aliquo modo dicendum, inquit, quod gratia contineatur in sacramentis essentialiter, tanquam aqua in uase, uel medicina in pyxide, imò hoc intelligere est erroneum Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significãt, & quia nisi ibi fit defectus ex parte suscipientis; in ipsis gratia semper confertur, ita intelligendo quod gratia sit in anima, non in signis uisibilibus. Pro tanto dicũtur etiam uasa gratiæ. Possunt etiam dici uasa alia ratione. Quia sicut quod est in uase, non est de ipso nec ex ipso, sed tamen ab ipso hauritur: sic gratia non est à sacramentis, nec de sacramentis, sed oritur à fonte æterno, & ab illo hauritur ab ipsa anima in ipsis sacra-

Canũtur illa in benedictione baptismi, in festis Paschæ

Bonauentura dicit gratiã non contineri in sacramentis.

mentis

mentis. Et ſicut quis recurrit ad uas cum requirit liquorem, ſic quæ-
renti liquorem gratiæ & non habenti recurrendum eſt ad ipſa ſa-
cramenta. Hæc Bonauentura, qui recte gratiam retulit ad fontem
omnium bonorum deum: utinam purius & ſimplicius reliqua etiã
ſubieciſſet. Recte is quoq; ſedem ſeu receptaculum gratiæ & dono
rum dei animam hominis, non ſigna inſenſibilia eſſe ſenſit. Scri- *Sedes gra-*
ptura enim ſancta ubiq; docet, mentem hominis, non elementum *tiæ dei.*
ullum, aut quicquid humana eſt conditum arte, domicilium eſſe
gratiæ dei, & hanc non peti aut coli ceu incluſam in ulla re inſen-
ſibili. Si cœli cœlorum, inquit Solomon, te non continent, quanto *3. Reg. 8*
minus domus hæc? Ad quę alludens conſtantiſſimus Chriſti mar- *Actorũ 7.*
tyr Stephanus, Non is eſt excelſiſſimus ait, qui in manufactis tem-
plis habitet, ſicut propheta dicit, Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem
ſcabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi, dicit
dominus, aut quis locus requietionis meæ eſt? Nónne manus mea
hæc omnia fecit? Quæ ſequutus magnus ille Chriſti apoſtolus Pau
lus dixit, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt: hic cœ- *Acto. 17.*
li & terræ cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec
manibus humanis colitur, indigens aliquo, cũ ipſe det omnibus ui
tam &c. Vnde ipſe dominus in euangelio ſignificantiſſime pro-
nunciauit, Venit hora quando neq; in monte hoc, neq; Hieroſoly- *Ioan. 4.*
mis adorabitis patrem: ſed uenit hora, & nunc eſt, quando ueri ado
ratores adorabunt patrẽ ſpiritu & ueritate. Fideles itaq; animi ocu
los à terrenis rebus q; uiſibilibus attollunt in cœleſtia. Vnde & ſan-
cti maiores noſtri Cœnam celebraturi illud ſacris myſterijs con-
gruentiſſimum audierunt ſibi occini, Surſum corda, reſpondente
toto populo, Habemus ad dominum. Quid quod ipſa rei abſur-
ditas planè euincit gratiam ſymbolis nõ contineri. Si enim per gra-
tiam intelligis fauorem & beneuolentiam dei: ſi indulgentiam pec
catorum q; ueniam, purgationem inquam et iuſtificationem creden
tium: ſi dona deniq; & chariſmata ſpiritus, quid abſurdius quæſo
fingi poterat, quàm res tantas incluſas contineri aqua, pane & ui-
no? Signis profecto nulla opus eſt gratia, nulla indulgentia & ue-
nia peccatorum. Ad quid ergo contineretur gratia in ſacramentis?
Quis oro fructus ad homines redibit? Aut quis ignorat omnia dei
inſtituta ad utilitatem hominis eſſe ordinata? An uero dicemus gra
tiam ideo incluſam teneri ſacramentis, ut inde in nos trãsfundatur
tanquam per canales? At non ita loquitur ſcriptura. Gratia enim,
quod ſæpe iam repetitur, eſt fauor & beneuolentia dei, qua ille in
nos non per ſenſibilia, ſed ſuapte propenſione potentia & uirtute

fertur. Spiritualia hæc sunt: ergo spiritus munere & interuentione perficiuntur. Spiritu suo coniungitur nobis deus, nos illi fide, spiritus dono copulamur: id quod in euangelicis apostolicisq; literis nuspiam non obuium est.

Canon Nicenus de Baptismo.

Proinde uerba Canonis Cons. Niceni, Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est. Aquam uides, considera diuinam uim, quæ in aquis latet &c. non ita crasse & ruditer intelligenda sunt. Nam oratio symbolica est, quàm nemo non eo quidem tempore intelligebat: sicuti & nobis hodie nouum & difficile non est, si quis dicat in sigillo esse fidem & ueritatem: in annulo coniugali fidem & amorem coniugalem: in sceptro & corona regiam potestatem. Nam nemo tam ineptus est, ut propter huiusmodi loquutionem contendat res ipsas in signis contineri inclusas: loquutionis genus & consuetudinem quisq; agnoscit.

Apostoli baptizarũt in aqua non consecrata.

Huc iam pertinet quod Ioannes Baptista in Iordane flumine, quod apostoli deniq; ipsi baptisarunt aqua non cõsecrata parataue ullis excantationibus, insufflationibus et characteribus ad recipiendam et transfundendã dei gratiam in baptizandos. Vidit Aethiops in Actis apostolorum fontem, nullo deliburum oleo, nec ullis consecratum carminibus sacris, nullis deniq; exufflationibus, cereorum immissione, & crucium picturis formatum, nihilo minus Philippo apostolo dicit, Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer. At Philippus fidem requisiuit in dominum Iesum, & confitentem protinus baptizauit, nulla fontis consecratione præmissa, qua uidelicet gratiam spiritus sancti & uim regenerantem in aquam deuocaret, protinusq; Aethiopi ad purificationem affunderet.

Elementis gratiam indere, idololatriam gignit.

Quod si perrexerimus elementis indere ipsam dei gratiam, & res ipsas signis repræsentatas, quis non uideat, quanto cum periculo, apud simplices maxime, id facturi simus? His enim suppeditabitur occasio idololatriæ, inhærendiq; sensibilibus: à quibus etiam requirent & postulabũt, quæ eleuatis in cœlum mentibus ab authore omnis boni Deo fuerant petenda. Quod eñ obijcitur diuina quadam pactione sic constitutum esse diuinitus, ut in se habeant sacramenta gratiam, & ex se ipsis ueluti canales aquam gratiæ transfundant in sitientes, sine scripturarum authoritate & contra ueram religionem dicitur. Id quod ex disputatis hucusq; satis patere arbitramur. Quibus & illa subijcimus,

Sãcti prius iustificati receptiq; in gratiã quã initiati sacramentis.

Sancti & electi dei non tum primum gratia dei donisq; cœlestibus participant, cum sacramenta percipiunt. Etenim rebus prius quàm signis participant. Nam aperte traditur nobis, quod Abrahã pater

pater noster prius fuerit iustificatus, quàm circũcisus. Inde uero quis non colligat, circũcisionis sacramento ipsi non collatam & exhibitam esse iustificationem, sed eam quam fide prius possidebat obsignatam potius? Quis præterea inde non colligat nos, qui filij Abrahæ sumus, non alia ratione iustificari, quàm patrem iustificatum constat, ac sacramenta nostra in nobis non aliud efficere quàm quod in illo effecerunt? præsertim cum eadem sit ratio sacramentorum ueterum & nostrorum. De quo paulò post dicemus copiosius, exposituri locum apostoli ad Rom. 4. Eunuchus ille, cuius modo meminimus ex Actis, uisa ex itinere aqua, dicit Philippo, Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet, Et respondens ait, Credo filium dei esse Iesum Christum. Post ea demum sequitur, Et descenderunt ambo in aquã, & baptizauit eum. Credidit, inquit euangelista, eunuchus ex toto corde, id est, uere & non hypocritice. Videamus iam quid scriptura de huiusmodi fide prædicet. S. Ioannes apostolus & euangelista, Omnis, inquit, qui credit Iesum esse Christũ, ex deo natus est. Idem, Quisquis confessus fuerit quod Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Sed & Paulus electum illud organum & doctor gentium, Si confessus fueris ore tuo, inquit, dominũ Iesum, & credideris in corde tuo quod deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Rursus autem beatus Ioan. in epistola sua dicit, Qui credit in filium dei, habet testimonium in seipso. Et hoc est testimoniũ, quod uitam æternam dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam non habet. Ex his porrò omnibus ita colligimus, Eunuchus credidit priusquam accepisset baptismum: ergo ante acceptum baptismum natus erat ex deo, in quo manebat ipse, & deus in ipso, iustus ac deo acceptus erat, adde quod uitam habebat in semetipso: ideoq; subsequens baptismus eunucho non cõferebat quod habebat prius: sed cessit ipsi in testimonium ueritatis, & in obsignationem iustitiæ fidei, adeoq; in donorum continuationem & incremẽtum. Ad eundem modum legitur de Cornelio centurione in ijsdem apostolorũ Actis, quod prædicationi Petri apostoli credens acceperit spiritum sanctum etiam specie uisibili, sicuti apostoli acceperant Hierosolymis in die pentecostes. Petrum uero ea re cõperta, dixisse, Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum perinde acceperunt uti nos? Quoniam ergo Cornelius cum suis ante baptismum accepit spiritum sanctũ, manifestissimum est quod eundem nõ primum per baptismum aut cum baptismo ex-

Rom. 4.

Act. 8.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 4.

Rom. 10.

1. Ioan. 5.

Act. 10.

Act.2. hibitum consecutus sit. Rursus legimus in Actis apostolorũ, Qui libenter acceperunt sermonem Petri, baptizati sunt: priusquã ergo tingerentur à Petro, erant consecuti gratiam dei per fidem. Aut cur obsecro baptizamus infantes nostros? an quia corde credunt & ore confitentur? Non arbitror. An nõ ideo baptizamus, quia illos deus sibi adducere iussit? quia promisit se & nostrũ & seminis nostri deũ futurum? deniq; quia nos credimus deum ex mera sua gratia & misericordia in sanguine Iesu Christi illos mundasse ac adoptasse, & hæredes uitæ æternæ conscripsisse? Ex his ergo caussis baptisantes infantes, abunde testamur baptismo eis non primũ cõferri, sed obsignari quod habuerũt prius. Coniungamus his quoq; testimoniũ

1.Cor. 11. de cœna domini, Apostolus docens quomodo sancti se præparent cõiuio dominico, Probet autem homo seipsum, inquit, & sic de pane hoc edat, & de poculo bibat. Cæterũ probare significat scrutari, quantum ab homine fieri potest, cor uel mentem, diligentiq; examine excutere conscientiam. Dicitur & deus probare corda nostra.

Rom.12. Et idem apostolus iubet nos probare quæ sit bona seu bene placẽs dei uoluntas. Discussio autem illa fieri non potest citra scientiã & iudicium. At scientia & iudicium Christianorũ fides est: ergo quisquis se probat antequã ad cœnam ueniat, fidem habet. Si fidem habet: ergo illis non caret quæ cum fide coniuncta sunt. Proinde in cœna illa non primum accipiuntur diuina beneficia, sed pro acceptis aguntur gratiæ. Effeci his, opinor, euicisq; sacramenta non conferre gratiam.

Sacramenta euacuare, et deum arguere mendacij.

Opponunt his, sat scio, (quibus persuasum est sacramenta cõferre gratiã, ac in seipsis inclusas cõtinere res significatas) euacuare uel exinanire nos sacramenta, & docere fideles, in his aut per hæc nihil nisi nudam aquam, nudum q; panem & uinum percipere: atq; ea ratione deum per nos redargui falsitatis & mendacij. Respondemus paucis, Si uacua plenis (ut sic dicam) opponunt, ut uacua sint quæ res ipsas in se non habent inclusas, sanè uacua quàm plena ingenue confiteri malo. Si uero uacua dicunt & prophana intelligunt, quæ uidelicet à prophanis signis nihil differunt: si per nuda intelligunt inefficacia, palàm profitemur nos sacra non prophana, efficacia non inefficacia, diuinitus exornata non nuda, et iccirco plena non uacua aut inania habere sacramenta. Sacra enim sunt non prophana, quia à deo & pro sanctis non pro prophanis instituta sunt hominibus. Efficacia non inefficacia sunt. Nã in ecclesia apud pios seu fideles eum cõsequuntur effectum & finem, ad quem instituta sunt diuinitus. De quo mox pluta. Diuinitus item exornata

non

non nuda iure dicuntur, quæ ipsum dei uerbum habent quo exornantur pulcherrime. Itaq; & plena non inania sunt sacramẽta, quia ea habent quæ plenum constituunt sacramentũ. Repetimus hic parabolas, quas superius quoq; de consecratione differentes ferè adduximus, quo plus lucis huic tractationi affulgeat. Cera cum fidei testimonijq; gratia literis uel tabulis non appenditur, uulgaris, uacua & nuda est cera, hoc est, nihil aliud quàm cera. Vbi uero signatur & apponitur instrumentis, nec uacua nec nuda est iam cera: nã fides & ueritas appellatur. Signum principis uel reipub. alicuius dum pingitur in fenestris aut parietibus, nudum est signum: at si idipsum appendatur tabulis, aut imprimatur literis, magnum hoc ab illo habet discrimen. Nunc enim principis aut reipub. uoluntatem declarat & obsignat, iccirco eam apud omnes existimationem habet, ut hoc uiolasse aut præter principis aut reipub. uoluntatem alteri alicui diplomati applicasse, crimen reputetur falsationis & læsæ maiestatis. Lapis cum nondum est terminus & limes agrorum constitutus, nudus & uacuus, id est, uulgaris est lapis, quem pedibus proculcasse aut loco mouisse nihil habet piaculi: at dirimendis agrorum finibus adhibitus amplius, non est uacuus aut nudus lapis, sed testimoniũ legitimæ diuisionis & iustæ possessionis, quem mouisse loco iudicatur crimen capitale. Itaq; aqua, panis & uinum extra institutionem & usum sacramentalem, nihil aliud sunt quàm aqua, panis & uinum, cæterum in usu sacramentali ab illis longe lateq; discrepant, & sacramenta sunt à Christo signata uerbo & ad salutem fidelium instituta.

Sacræ non prophanæ res sacramenta.

Ideoq; qui sacramentis participant, non nihil, ut isti dicunt, percipiunt, nisi pro nihilo uideatur habenda dei institutio. Instituit hic sacramenta ut sint gratiæ eius testimonia, & ueritatis promissionũ eius sigilla. Id quod mox copiosè demonstrabimus. Vt ergo deus uerax est, nec mentiri potest: ita uerissima sunt promissionum eius sigilla. Promisit ille se nostrum futurum, & in Christo se nobis cum omnibus donis suis communicaturum. Talem ergo se nobis certò præstat & cõmunicat: licet id faciat non nunc primum cum sacramentis participamus, ueluti se nobis per illa ut canales & in his ut uasis inclusum effundat. Statim enim à mundi exordio suam nobis gratiam promisit: statim atq; credere cœpimus, talem ille se nobis præstare cœpit, & præstat magis magisq; per omnẽ uitam nostrã: nos fide ac spiritualiter ipsum recipimus atq; haurimus. Ergo cum participamus sacramentis, pergit is se nobis singulari modo, id est, sacramentis proprio communicare, adeoq; nos, qui dudum par-

Non nihil percipimus in sacramentis.

ticipes facti sumus Christi, communionem illam in sacramentorũ celebratione fide ac spiritualiter continuamus atq; reparamus, eandem nobis obsignantibus signis sensibiliter. Quis autẽ posthac dixerit sic sentientes de sacramentis & hac fide his participantes inania habere spectacula, & in his nihil percipere: licèt nec signis includamus gratiam, neq; ex illis hanc deriuemus? Si quis uero aliam de deo & eius institutis opinionẽ concepit, id non magis deo fraudi fuerit, aut ipsum mendacij arguerit, quàm si quis uiro iusto mendacium impingat quod id non prçstet quod ille expectauerat: cum interim id quod expectauit, hic non promiserit, sed ille pro corrupta & erronea sua opinione sibi promissum somniauerit.

ET hactenus per occasionem ostendimus, quæ sit similitudo & differentia sacramentorũ ueteris & noui testamenti, & quod nostra sacramenta neq; conferunt, neq; continent gratiam, redimus modo ad id quod cœperamus, ad caput, inquã, huius disputationis primarium: ut quandoquidẽ quid illa non efficiant diximus, tandẽ quid reuera efficiant adijciamus, explicãtes uidelicet quæ sit uirtus, quis finis & usus sacramentorũ legitimus, ad quem à deo instituta sunt. Attigi quidẽ caussarũ locũ ferè in principio Serm. 6. cçterũ modo & alia adiungã, quæ huc pertinẽt, & singula tradã fusius & plenius.

Sacramenta sunt testimonia ueritatis.

Præcipuus sacramẽtorum finis ille est, quod ueritatis testimonia sunt, per quæ dñs in ecclesia sua etiã uisibiliter testificatur res euangelica prædicatione annũciatas promissionibusq; ab exordio mundi ꝓmissas fidelibus, ita omnino gestas esse & certò sic habere, quẽadmodũ annũciantur & ꝓmissa sunt uerbo ueritatis. Ita Baptismus diuinũ & publicũ in ecclesia Christi testimonium extat, quo testificatur dominus, se eum esse qui recipiat homines in gratiã gratuito, & qui purget ab omnibus maculis, deniq; participes hçredesq; nos faciat omniũ bonorũ suorũ. Ad eum enim modũ Circũcisio quondam publicũ & diuinũ fuit testimoniũ, deum esse qui purget & adopter. Ideo enim Moses Deut. 30. Circũcidet, inquit, dominus deus tuus, cor tuũ & cor seminis tui, ut diligas dominũ deũ tuum ex toto corde tuo, &c. Eadẽ ratiõe ipse dominus instituta in ecclesia Cœna sacra, palàm attestatur signis exhibitis, corpus suũ certò ꝓ nobis tradi tũ, & sanguinẽ suum uere in remissionẽ peccatorũ nostrorũ effusum esse: se item uiuificum esse cibũ, qui reficiat ad uitam æternam. Iccirco legimus apud Chrysost. homelia 83. in Matth. in hæc uerba, Sicut in ueteri eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam mysteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt, Vnde patet Christum immolatũ fuisse, & alia multa

multa mysteria. Hæc enim afferentes ora eorum cõsuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Hæc ille. Intelligis, opinor, ut hic scriptor symbolum Cœnę pro testimonio ueritatis, ueræ inquam mortis dominicæ, contra hæreticos proferat. Quemadmodum itaq; euangelium appellatur testimonium, & prædicatores euangelij testes, sic sacramenta nuncupamus ueritatis eiusdem testimonia, muta quidem illa, sed uisibilia tamen: quo nomine S. Augustinus eadem appellauit uerba uisibilia. Euangelij enim prædicatio, quæ constat uerbis quæ hauriuntur auribus, testimonium est loquens: sacramenta uero quæ signis conflant, & percipiuntur uisu, testimonia sunt muta & quasi appendices & monimenta euangelicæ prædicationis. *Euangeliũ testimoniũ.*

Imò inuenta sunt diuinitus sacramenta, ut bonam & propensam erga nos dei uoluntatem, adeoq; prędicationem euangelicam atq; omnes promissiones uitæ & salutis uisibiliter obsignent, sintq; euangelio & promissionibus diuinis uelut appensa sigilla, quæ testificentur atq; confirment fidem in Christum ueram esse iustitiam. Quod dixi scriptura approbabo apostolica. Docui autem superius eandem esse rationem sacramentorum ueteris & noui testamenti, pauculis modo exceptis, ut iam iure optimo possimus ex collatione utrorumq;, nostrorum uim, finem & usum æstimare. Paulus ergo ad Roman. 4. cap. Dicimus, inquit, quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo imputata est? cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: ut esset pater omnium credentium per præputium, uidelicet ut etiam ipsis imputaretur iustitia, simul & pater circumcisionis esset, nõ eorum modo, qui ex circumcisis sunt, sed & eorum, qui ingrederentur uestigijs fidei, quæ erat in præputio patris nostri Abrahæ. Hæc omnia Pauli sunt. In quibus primũ quidem uoces aliquot explicandæ uidentur: deinde indagandus sensus uerborum apostoli: postremo adaptanda illa nostro negotio sacramentario. *Sacramẽta beneuolentiã dei erga nos obsignant uisibiliter.*

Vtitur in præsenti apostolus duabus uocibus Signi uidelicet & Signaculi. Signum σημεῖον generalius est, & patet latissime. Signaculum uero σφραγὶς, singulare est sacramentis obsignãtibus. Neq; enim omnia signa obsignant. Nam quædam significando duntaxat absoluunt suum officium. Est autem σφραγίσαι proprie obsignare fidei faciendæ confirmandæq; gratia: unde σφραγὶς sigillum erit, quod fidei seruandæ confirmandæue, cauendisq; fraudibus adhibetur. *Sacramẽtæ sigilla sunt, & quis sit usus sigillorum.*

Imitatur hic quoq;,ut aliâs sæpe,morem humanum dominus. Solemus enim homines scripta fœdera,seu uerbis datam fidē, appensis roborare sigillis. Et sigillorum institutionē & usum huiusmodi semper fuisse, colliquescit ex his scripturæ testimonijs, Cum filij Izrael sub Ezra fœdus inirent cum domino, mox fœdus in literas referunt,& scripturam in ueritatis testimonium obsignant:sicut uidere licet Nehemiæ 9.cap.Haggei 2.cap.legis,Assumam te Zorobabel fili Salathiel,serue mi, dicit dominus, & ponam te quasi annulum signatorium,quia te elegi. Quasi dicat,In Salathielis filio omnes certò discent,supereſſe,per quem sit propaganda Messiæ posteritas. Ita scribit Ieremias in 22. cap. Viuo ego dicit dominus,quia si esset Chonenias filius Iehoiakim regis Iuda,sigillum in manu mea dextra, tamen inde auellam te. Id quod perinde est, ac si dixisset, Quamuis ille sis,in quo promissiones meas seruabo,attamen in Ba
Matth.27. bylonem abduceris. Huc pertinet illud ex Matthæo de Iudæis scriptum, Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum obsignato lapide,nimirum cōtra fraudes,adhibitis custodibus.Liquet ergo ex his, quis sit usus sigillorum.

Exponitur locus Pauli Rom. 4. *Et accepit signum circumci. &c.* His sic expositis,perquiramus iam consilium & sensum uerborum apostoli. Demonstrat Paulus iustificationem hominibus obtingere nullorum operum, nullarúmue ceremoniarum uel sacramentorum uirtute,sed solius Christi beneficio per fidem. Ad hoc confirmandum adducit exemplum Abrahæ, de quo scriptura pronunciauit, Credidit Abraham deo & reputatum est ei ad iustitiam. Inde colligit Abrahamum esse iustificatum fide,imò hāc illi imputatam esse pro iustitia. Vbi & ex uocabulo aut ui imputationis, & ex tota Mosis sententia,prævalide argumentatur, demonstrans gratiæ per fidem esse iustitiam. Quibus coniungit & ex Dauide testimonium,de imputatiua iustitia. Tractaui eum locum Decadis 4. Sermone 1. Deinde redit iterum ad Abrahæ exemplum, & locum adductum ex Genesi applicat suo instituto, excussis circumstantijs modi temporisq;, ac dicit, Quomodo ergo imputata est,cum esse in circumcisione,an cum esset in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Quæ quidem apertiora sunt,quàm ulla expositione indigeant. Quia uero Iudæus obijcere poterat,Inanis ergo et uacua,inutilis & uana fuit circumcisionis institutio & usus. Si enim prius iustificatus quàm circumcisus fuit Abraham, quid potuit illi amplius conferre circumcisio? & si nihil contulit, certe superuacanea & inutilis fuit:Paulus per anthypophoram respondens, Et signum accepit,inquit,circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei &c.

Circum

Circumcisio,ait,nec inutilis fuit,neq; uacua est. Licet enim non iustificet,purget,dona dei applicet, ideo tamen non sequitur, nullum eius usum esse amplius. Alium enim finem habet. Nam signum circumcisionis accepit in signaculum quoddam iustitiæ fidei. Hoc est, deus instituit circumcisionem,ut esset sigillum ratificans atq; confirmans,adeoq; uisibiliter etiam testificans,fidem esse iustitiam,homines q; fide iustificari,ita inquam,ut his quoq; fides imputetur ad iustitiam,sicuti Abrahę imputata fuit. Nam sequitur, Vt esset pater omnium credentium per præputium,ut imputaretur & illis iustitia. Et reliqua. Et quamuis hæc luce clariora sint, conabor tamen eadem illa magis illustrare parabola. Finge enim principem aliquem ex gratia & mera munificentia sua, seruum aliquem in aulam adeoq; in participatum omnium bonorum recipere, insuper beneficium hoc ad liberos quoq; posteritatem q; adoptati extendere: mox uero iubere ut transactio, priuilegium & gratia illa confecta uerbis uiuis,referatur in literas,quas & appenso suo sigillo roboret,quo istæ posteris certum sint testimonium contra omnes tergiuersatores,gratiam illam ad ipsos quoq; pertinere, principem q; in bona & propensa sua uolũtate perseueraturum erga posteros adoptati, si & ipsi fideles principi esse perrexerint. Ad hunc enim modum deus optimus maximus,rex regum & principum munificẽtissimus,gratis & nullo præcedente nostro bono merito,euocat Abrahamũ, in quem cumulatim innumera congerit beneficia, cui & fœdus communionem q; offert bonorum omnium,nec ipsi modo,sed et omnibus posteris eius,dicens, Ego deus omnisufficientia,ero deus tuus & semini tui post te. Benedicam tibi & semini tuo. Imò in semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Priuilegium hoc etiam iuramẽto interposito firmans sacrauit, mox & patres liberis ceu per manus,uice scripturæ tradere, deinde uero seruos suos prophetas in literas referre iussit, ipse deniq; circumcisione instituta,ueluti iam literis aut traditioni appresso sigillo aut diplomate obsignato, totiposteritati obsignare & roborare uoluit, quo certò ad se quoq; illud pertinere scirent. Vbi tamen illud non uidetur nobis dissimulandum, sacramenta diplomatis signatis aliquid maius & uiuidius habere. Inscribuntur enim priuilegia principum membranis,sigilla q; scriptis appenduntur membranis: deus uero ipsis suorum corporibus suum imprimit sigillum. Membro enim genitali,unde posteritas propagatur, circumcisionem indit, ut ueluti nota impressa ipsis corporibus,plus iam quàm obsignaret testaretur q; benedictionem & communionem bonorum omnium pertinere ad circumcisos,

Parabola res illustrat.

Sacramẽta aliquid uidius habere tabulis obsignatis.

ſi pergant fideles eſſe domino deo hominibus confœderato. Ideo enim ſignificanter circumcisio à Paulo non ſignaculum iuſtitiæ dicitur, ſed ſignaculum iuſtitiæ fidei: id eſt ratificatio, quod fides ſit iuſtitia, quod fide uidelicet iuſtificati iam ſumus, quod credentibus debeatur iuſtitia, quod deus fidelibus certo benedicere uelit, hisq; fidem imputare ad iuſtitiam: ſicuti & Abrahæ imputauit.

Quomodo obſignet baptiſmus.

Iam cum par ſit ratio ſacramentorum, licet hæc quoq; noſtris applicare ſacramentis. Chriſtus ergo domini, redempto per mortem innoxiam mundo à poteſtate ſatanæ, & iam aſcenſurus ad patrem

Marci 16. in cœlos, uocatis ad ſe diſcipulis ſuis dicit, Ite in orbem uniuerſum & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptiſatus fuerit &c. Euangelica prædicatio explicat ingens, pretioſum, ſalutare, uiuificum et munificum, regium atq; diuinum priuilegium, quod filij dei ex filijs diaboli facti ſumus, hæredes inquam dei, cohæredes autem Chriſti, qui ſanguine fuſo tantam nobis ſalutem parauit. Hac gratia dei nemo excluſus eſt, niſi qui ſe ſuo uitio & culpa per inobedientiam excludit. Nam de liberis ſiue infantibus cre-

Marci 10. dentium idem dominus in euangelio pronuncians ait, Sinite pueros uenire ad me, & ne prohibueritis illos: talium enim eſt regnum

Matth. 18. dei. Et iterum, Amen dico uobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Et qui recepe-rit unum puellum talem, me recipit. Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis. Dico enim uobis, quod angeli eorum in cœlis ſemper uident faciem patris mei, qui in cœlis eſt &c. Neq; ueriſimile eſt, exhibito nobis Chriſto, deum inclementiorem factum, quàm erat dum nondum eſſet exhibitus. At tunc dixit, Ero deus tuus & ſeminis tui poſt te. Valet ergo id ipſum nunc magis, cum dominus uenerit quærere & ſeruare quod perierat, gratiam denicq; & dona ſua liberaliſſime in omnem effundere carnem. Ergo priuilegium illud regium, ampliſſimum & diuinum, primum quidem ipſius Chriſti domini prædicatione, mox & apoſtolorum eius annunciatione mundo expoſitum eſt: deinde uero deo ſic uolente idem ab apoſtolis & euangeliſtis relatum eſt in literas, ſacramentum uero ipſe dominus ceu appendicem & ſigillum adiecit prædicationi aut ſcripturæ, baptiſmum ſubſtituens circumciſioni: quam, quia cruenta, denicq; ſignum uenturi ſeminis benedicti erat, quod tum exhibitum fuerat, abrogari oportebat. Baptiſmus autem ſuccedens circumciſioni & ipſe eſt ſignaculum iuſtitiæ fidei, teſtimonium & diploma obſignans, deum certo nos mundare & hæredes conſtituere uitæ æternæ, totamq; euangelij gratiam ad baptiſatos pertinere,

ſi in

stin fide uera consistant. At non credunt, ais, infantes Christiano- *Baptizantur infantes non credentes.*
rum baptizandi. Fateor. Cæterum non credebant Iudæorũ infantes, qui nihilominus circũcidebantur, erantq; in fœdere dei & communione omnium bonorum: ut idem nostris tribuere infantibus uera iubeat pietas. Vbi adoleuisset semen Iudaicum, & præuaricaretur impie, exciderat fœdere dei: unde & Christianorum infantes euangelica gratia exciderunt, quando adulti impie agunt, recipiuntur tamen rursus in eandem per fidelem pœnitentiam. Sed redimus. Baptismus sigillum iustitiæ fidei, non apponitur membranæ aut scripto euangelio, sed accommodatur ipsis filiorum dei corporibus, ijsq; ueluti infigitur imprimiturq;. Toti enim corporibus nostris immergimur, aut toti aspergimur aqua baptismi: quæ sanè uisibilis obsignatio est, confirmans deum uerum, esse deum nostrũ, sanctificantem ac purificantem, purificationẽq; & omne bonum dei nobis tanquã hæredibus dei deberi. Atq; huc iam pertinet euidens ille Pauli locus, qui in epistola ad Gala. sic legitur, Omnes filij dei estis, eò quod credidistis Christo Iesu. Nã quicũq; baptizati estis, Christum induistis. Et reliqua. Similis est ratio Cœnæ dominicæ, quæ & ipsa est sigillũ iustitiæ fidei. Moritur enim filius dei, morte sua redimit credentes, corpore irẽ sanguineq; suo cibat & potat nos ad uitam æternam. Ac singulare quidem excellensq; hoc priuilegiũ fidelibus datũ, annunciatur & scribitur ab apostolis, sed ab ipso domino consecratur & obsignatur sacramento corporis & sanguinis sui, quo obsignat fide nos in traditum dominum iustificari, cõmunicari nobiscũ omnia Christi bona, pasci & uegetari nos Christo. Porrò ut obsignatio uiuidior esset, sigillũ non apponit membranæ scriptæ, sed infertur atq; adeò mãducandũ præbetur corporibus nostris, ut testimoniũ intra nosipsos habeamus, totũ uidelicet Christũ cũ omnibus donis suis ad nos, pprie pertinere, si in fide perseueremus. Nã ipse dominus in euangelio, Qui edit me, inquit, uiuet & ipse propter me. Ac edit, qui credit. Ibidẽ enim dicit dominus, Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me, nõ sitiet unquam. *Quomodo cœna dominica sit sigillũ iustitiæ fidei.* *Galat. 3.* *Ioan. 6.*

Ex his iam summã rei colligimus, sacramenta obsignare diuinas euãgelicasq; promissiones: ac proinde toties in ecclesia tabulas seu literas aut diplomata atq; sigilla prædicationis euangelicæ diuinarumq; promissionũ proferri, atq; adeò & totum salutis nostræ negotium renouari & continuari, quoties actiones illæ diuinitus institutæ, sacramenta uidelicet, in ecclesia celebrantur.

Huc pertinere arbitror, quę fidelis Christi minister Zuinglius de

Zuinglius de sacramẽtis testificantibus certificantibusq;.

Sacramentis in hæc uerba tradidit, Sacramenta testimonium rei gestæ præbent. Vniuersæ enim leges, mores ac instituta authores suos initiatq; prædicant. Baptismus ergo cum Christi mortem ac resurrectionem significando prædicat, eas uere gestas esse oportet. Extat hæc in Expositio. fidei ad Regem Christianum, Idem ad Principes Germaniæ cõtra Eggium, Cum homo ille nobilis, inquit, abiturus in regionem longinquam, panem ac uinum præbens, longe uiuidius & peculiarius sese nobis dabat, cũ diceret, Hoc est corpus meũ, quàm si dixisset, Hoc est symbolum corporis mei: etiamsi naturale corpus suum ablaturus ac cœlo illaturus esset. Nihilo tamẽ minus sese totum, quod ad fidem & gratiam pertinet, his uerbis donat. Quasi diceret, Nunc in mortem pro uobis eo, paulò post ex integro hinc migraturus. At nolo de amore & cura in uos mea ambigatis. Totus uester sum, quantus quantus sum. In cuius rei testimonium, huius meæ traditionis & testamenti symbolum uobis commendo, quo memoriam mei, meorumq; beneficiorum exciteris: ut cum uobis hunc panem & hunc calicem exhiberi uideatis in memoriali Cœna, non aliter fitis mei memores, quod scilicet me pro uobis tradiderim, quàm si uideretis me coràm: quemadmodum nunc uidetis & uobiscum conuiuari, & mox ad supplicium pro uobis à uobis rapi. Hactenus Zuinglij uerba recensui, recensebo autẽ rursus alia paulò post: non quod illis aut ullis humanis testimoniis innitar, sed ut perspicuum fiat, uirum illum non contemptisse, uti à quibusdam falsò putatur, sacramenta.

Spiritus sanctus proprie obsignat.

Interim agnoscimus hæc sancta sacræ scripturæ testimonia, Qui confirmat nos unà uobiscum in Christo, & qui unxit nos deus est: qui etiam obsignauit nos, deditq; arrham spiritus in cordibus nostris. 2. Corinth 1 Item, Postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis in laudem gloriæ ipsius Ephes. 1. Et iterum, Ne contristetis spiritũ sanctum dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Ephes. 4. Agnoscimus dei ueritatẽ per se satis solidam, ueram & certam esse, nec aliunde quàm ex seipsa meliorem accipere confirmationem: nisi uero undiq; animus noster confirmetur, fluctuat: deus ergo se attemperat nostræ imbecillitati, & per sacramenta quoq;, quantum fieri potest, nos fulcit, ita tamen ut omne confirmationis beneficium referamus ad ipsum spiritum & eius operationem magis quàm ad elementũ. Quemadmodũ ergo doctrinæ atq; doctoribus confirmationem tribuimus, ita obsignationem sacramentis. Legimus autem in Actis cap. 14. & 18. Reuerẽtebantur

tebantur apostoli, & denuo confirmabant animas discipulorũ, exhortantes, ut perseuerarẽt in fide. Rursum 1. Thess. 3. cap. Misimus, ait Paulus, Timotheum fratrem nostrum, & ministrum dei, ut confirmaret uos & consolaretur. Cæterum nisi interior spiritus uis rapiat, & cõmoueat auditorum corda, nihil efficiet exterior doctoris quantũuis bene instructa oratio: si uero exerat uim, ac cooperetur, firmissime corroborantur animi. Sic habet & negotium sacramentarium. Si enim desit interior unctio & obsignatio spiritus sancti, actio exterior pro ludo ab incredulis habebitur, nec efficit tantillũ sacramentorum obsignatio: cum uero præcesserit fides spiritus sancti donum, firmissima est sacramentorũ obsignatio. Recte alij quoq;. Si desit mentibus, inquiunt, spiritus sanctus, nihilo plus ipsa præstant q̃ cæcis oculis iubar solis illustrissimum licet. Si uero isti per spiritus illuminationẽ pateant, ualde afficiuntur diuino sacramentorũ spectaculo. Et Zuinglius in libello ad principes Germaniç, Nos nõ offendit, inquit, etiãsi uniuersa quæ spiritus operatur, ad externũ sacramentum referantur: dummodo symbolice dicta, quomodo patres locuti sunt, intelligamus. Hæc ille.

Incredulis nihil obsignant sacramenta.

Et quãuis sacramenta incredulis nõ obsignẽt promissiones, quibus diffidunt, nihilo minus tamen sacramenta ut obsignent diuini tus instituta sunt. Non recipit doctrinã euangelicã impius, ideo tamen nemo colligit, doctrinã à deo non esse ad docendũ institutam. Est qui obsignato diplomati non credat: ideo tamẽ nõ sequitur, diploma signatũ fidei faciendæ aut cõfirmandæ nõ seruire. Ergo cũ doctrina apud rebellẽ nihil efficit, cum sacramenta prophanũ nihil mouent, nec quicquam prosunt impio, id sanè non instituentis, aut uerbi sacramentorũ mue culpa fit, sed uitio increduli. Per se interim instituta sunt, ut prosint & obsignent, suum q̃ in sanctis sanctum usum & finem habeant. Hæc autem hactenus de prima sacramentorum uirtute attulimus, quod diuinæ ueritatis, adde & beneuolentiæ erga nos diuinæ testimonia, & sigilla sunt euangelicarũ promissionum omnium, obsignantia fidem esse iustitiam, & omnia Christi bona pertinere ad credentes.

Sacramenta repræsentat res.

EST & alius signorum sacramentaliũ finis & usus, quod uidelicet significant & significando repræsentant. Id quod superuacaneum esset pluribus approbare testimonijs, cũ hoc omnibus sit manifestissimũ, saltem ex præcedentibus. Est autẽ significare, indicare, notisq̃ & signis rem declarare aut demonstrare. Repręsentare uero non significat rem ablatã quondã nunc rursus corporaliter, ut quidam nugantur, præsentẽ sistere, dare aut facere, sed similitudine &

imitatione quadam referre, eamq; rursus reuocare in animũ, & oculis uelut obijcere. Dicimus enim filiũ repræsentare uel referre patrẽ, cum uidelicet forma & morũ similitudine patrẽ exprimit: ita ut qui hunc uidet, putet seipsum patrem ueluti præsentem cernere.

Sacramenta excitant & iuuant fidem.

Et hac quidem ratione excitant & adiuuant sacramenta fidẽ nostram, dum uidelicet foris obijcitur nobis, quod animũ impellit, excitat & cõmonefacit, imò illud ipsum quod animo iamdudũ comprehensum est, nũc etiã modo quodã sensibus, in similitudine, parabola, aut typo seu inuolucro, contemplandũ uolutandũq; mẽte, uisibiliter offertur, utiã mutua inter se opa iuuẽtur. Similitudo ergo seu analogia signi ad signatũ obiter & in trãscursu hic cõsideranda est.

De Analogia in baptismo.

Dixi superius Analogiam esse aptitudinẽ, proportionem & conuenientiã quandã signi ad rem significatam: ita ut hæc in illo quasi in speculo perspiciatur. Exemplis res fiet illustrissima. Recipit ex mera gratia benignus dominus genus mortalium in omnium bonorum suorum cõmunionem, & adoptat fideles, ut iam nõ modo fiant fœderati dei, sed etiam filij dei. Id quod sancta baptismi actione, quæ uice signi aut ipsum signum est, euidentissime omnium oculis repræsentando obijcitur. Adstat enim ad fontem sacrum dei minister, cui offertur baptisandus, qui ab isto recipitur & baptizatur in nomẽ uel in nomine patris et filij et spiritus sancti. Nã utrũq; est inuenire, in nomen & in nomine. Porrò baptizari in nomen domini, est in uirtutẽ & potentiam (significat enim nomen dei potentiam) in gratiam, misericordiã, & auxiliũ dei consignari, imò inseri, & deo ueluti agglutinari, dedicari, & incorporari. Baptizari in nomine domini, est iussione aut imperio dei baptizari, ex cõmissione, inquã, dei patris & filij & spiritus sancti, recipi in consortiũ filiorum dei, adeoq; & accenseri familiæ dei, ut baptisati sint & dicantur Christiani, nominenturq; nomine Dei, appellati filij dei patris, &c. Refert ergo locutio illius non nihil, quod alibi legimus nomẽ dei inuocari super aliq̃, quod perinde est, ac si dicamus, aliquẽ nomine dei uocari, id est, seruũ & filiũ dei appellari. Ergo qui antea per gratiam inuisibiliter à deo recepti sunt in consortiũ dei, illi idem uisibiliter iam per baptismum eidem dei familiæ inscribuntur à ministro dei: atq; ideo & nomen simul accipiunt, ut semper meminerint se Christo nomen in baptismo dedisse, uicissim & accepisse. Ad hunc modum refert per analogiam accommodatissimam ipsum signum rem significatam. Fit denique Baptismus per aquam. Aqua uero in rebus humanis duplicem habet usum. Purgat enim sordes, hominemq; ueluti renouat: sed & potat ac refrigerat æstuantem.

Nomina dare & accipere in baptismo.

Sic

Sic autem repræsentat gratiam dei, quũ fideles suos emundat à peccatis, regenerat & refrigerat spiritu suo. Porrò aspergit aut affundit potius aquam minister Christi, aut immersos extrahit ex aquis: quare significatur deum liberaliter dona sua effundere in fideles suos: significatur denique nos cum Christo sepeliri in mortẽ eius, & cum eodem resurgere in nouitate uitę. Suffocat sinus erithrei maris Pharaonem, transmittit autem populum dei. Nam uetus Adam submergi ac extingui, nouus de die in diem reuiuiscere & emergere debet. Pulchre ergo baptismo repræsentatur mortificatio & uiuificatio Christianorum.

De analogia in negotio Cœnæ.

Iam in Cœna domini Panis & Vinum repræsentant ipsum corpus & sanguinem Christi. Ratio huius hæc est. Vt panis alit & roborat hominem, uiresq; sufficit ad laborandum: Sic Christi corpus per fidem manducatum cibat & satiat animam hominis, totumq; hominem ad omnia pietatis officia instruit. Vt uinum potat sitientes & lætificat corda hominum: Sic sanguis domini Iesu haustus fide restinguit sitim æstuantis conscientiæ, & gaudio ineffabili perfundit corda fidelium. Frangitur uero in Actione cœnæ panis domini: funditur uinum. Confractum enim, id est modis omnibus afflictum est corpus saluatoris nostri, cruorq; largissimus per hiantia erupit & manauit uulnera. Ac nos ipsi quidem panẽ domini proprijs frangimus manibus. Nos enim ipsi in culpa sumus, quod ille attritus est. Peccata nostra uulnerauerunt illum, & nos ipsi crucifiximus eum: id est, ille propter nos, ut morte sua nos à morte liberaret, crucifixus est. Præterea accipimus in manus nostras panem, accipimus in manus nostras similiter & poculum: eo quod ille dixit, Accipite, edite. Accipite, & diuidite inter uos: nec reponimus, aut recondimus illa, neq; alijs modo porrigimus: sed accepta edimus & bibimus in nostra traijcientes corpora, deinde uero & alijs communicantes offerimus. Qui enim legitime cœnam domini celebrant, non tantum credunt Christum passum esse, aut pro alijs non pro se passum esse: sed credunt illum pro ipsis esse passum, credũt Christum omnia bona sua ipsis liberalissime communicare, adeoq; & communicasse. Ergo sicut alimentum panis & uini traiectum in uiscera mutatur in humani corporis substantiam: ita Christus fide haustus à sanctis, ijs spiritu suo unitur, ut unum sint cum Christo, & hic unus cum illis. Et ut cibus splendide apparatus & cõspectus duntaxat in mensa, non satiat: ita si audias magnifice tibi prædicari Christum, non autem credas tuum esse Christum cum omnibus bonis, nihil prodest quantumuis pulchre instructa sit oratio aut

mensa. Facit & ad amicitiam conciliandam reparandam & confirmandam, quod de uno pane participamus, quod panem offerimus fratribus, quodq; de manu fratrum poculum accipientes bibimus.

Synaxis. Non enim aliam ob causam uidentur ueteres Cœnam appellasse Synaxim. Verum ea de re dicemus nonnihil aliâs. Ista uero exempli gratia de Analogia signi & signati attuli, plura dicturus, nisi hęc diligentibus satis esse considerem. Occasionem enim plura atque maiora cogitandi inueniendiq; suppeditaui.

Quomodo sacramenta fidem excitent. Ex hac autem perfunctoria analogiæ tractatione perspicuum esse arbitror, quomodo sacramenta excitent, & adiuuent fidem sanctorum. Nam dum animus dei beneficia Christi, benedictionem, redemptionem, & dona animo comprehēdit & uoluit, dum ijs magna cum uoluptate spiritus fruitur, dum in his gestit & exultat, accedunt foris iam et sacramenta, quæ oculis adeoq; omnibus incurrentia sensibus, uisibiliter ea repræsentant, quæ animus interne comprehendit, agitat & uoluit. Quoniam enim tota actio, quæ uerbis & ritu constat, signo accensetur, uident oculi symbola & omnia quæ in tractatione symbolorum geruntur, quæ quasi loquuntur omnia. Audiunt aures uerba & instituta Christi. Tactus & Gustus sentiūt & ipsi, quàm suauis & bonus sit dominus: ut iam totus homo uel corpore & anima in cœlum raptus, fidem excitari iuuariq;, fructum deniq; ex fide in Christum suauissimū sentiat atq; percipiat. Hæc omnia in credentibus locum habent, apud incredulos inanimata manent signa: ergo fidei & spiritus in legitimo usu sacramentorum operantis uirtute illa fiunt, sine fide & spiritu sancto nō sentiuntur. Non dissimilis energia est & in prædicatione uerbi domini.

Energia in prædicatione uerbi dei. Cum enim hoc adhibitis parabolis, paradigmatis ac per hypotiposim proponitur auditoribus, si in animo reluceat, spiritus fidesq;, hi res expositas nō audire modo, sed & coràm cernere sibi uidentur. Qua ratione arbitror Paulum dixisse, O stulti Galatæ, quis uos fascinauit, ut non crederetis ueritati? quibus præ oculis iesus Christus ante fuit depictus, inter uos crucifixus. Nullibi enim uel pictum uel crucifixum constat Christum apud Galatas: loquitur ergo de euidentia sermonis, qua res dicuntur quidem, sed energia oculis etiam quodammodo subijciuntur. Eadem est ratio & in sacramentis, quæ eo nomine à priscis appellata fuere uerba uisibilia.

Zuinglius de sacramētis fidē fulcientibus. De his ad hunc modum disseruit Zuinglius in libello ad Principes Germaniæ contra Eggium, Nónne cupit fidelis, ubi fidem labi senserit, fulciri & in locum reduci? Id autem ubi gētium commodius, quàm in ipsa sacramētorum actione inuenturum sperare poterit

rerit, quantum ad omnia sensibilia attinet? Esto enim omnes creaturæ inuitent nos ad contemplationem numinis: at omnis ea inuitatio muta est: in sacramentis uero uiua & loquens inuitatio est. Loquitur enim dominus, loquuntur & elementa: atq; idem loquuntur & suadent sensibus, quod menti sermo & spiritus. Adhuc tamē hæc uisibilia omnia nihil sunt, nisi spiritus sanctificatio præcedat. Hæc copiosius tradit primum quidem in Annotationibus suis ad uigesimū septimum cap. Ieremię: deinde in Expositione fidei ad regem Christianum.

PRAETEREA legimus S. Augustinum contra Manicheos disputantem lib. contra Faustum 19. cap. 11. dixisse, In nullum nomen religionis seu uerum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorum uisibilium consortio colligantur &c. Hanc Augustini sententiam ex scripturis petitam agnoscentes, de sacramentis docemus, his nos colligi ac colligari in unitatem corporis Christi, segregariq; ab omnibus alijs religionibus consortijs & societatibus: adde ijsdem nos ceu iureiurando obstringi in unius dei cultum uerum, inq; unam religionem synceram, in quam nos consentire cum omnibus qui communicant sacramentis, palam profitemur. Vbi illud maxime obseruandum uenit, collectionem aut colligationem in unitatem corporis Christi, duplicem habere respectum. Vel enim cum Christo coniungimur, ut is in nobis sit, nos in ipso uiuamus. Vel copulamur cum omnibus Christi membris, nempe cum fidelibus Christi, cum ipsa inquā ecclesia catholica. Porrò Christo cōnectimur spiritu & fide. Ecclesię uero aut membris Christi coniungimur per fidei spiritusq; unitatem & uinculum charitatis. Quæ quidem omnia interna spiritus dona sunt, quæ gratuito nobis per solum conferuntur dominum, non per ullas creaturas, non per ulla elementa. Sacramenta itaq; inserunt nos uisibiliter consortio Christi & sanctorum eius, qui inuisibiliter quidem per ipsius gratiam inserti fueramus, priusquam sacramentis participaremus: participatione autem nunc aperimus & manifestamus, cuius corporis membra simus atq; esse uelimus, domino signis aut notis suis per ministrum nos uisibiliter quoq; pro sua familia proq; suo populo signante. Id quod scripturis iam plenius illustrabimus.

Coniunctio cū Christo & cum ecclesia.

Sacramēta uisibiliter colligimur in unā religionē, separamur ab alijs.

Qui olim ex ui fœderis, ex gratia, misericordia, & promissione dei, populus dei erat, circūcisione uisibiliter colligebatur in unam ecclesiam & unius corporis compagem. Apostolus enim Paulus ad Ephesios, Mementote, inquit, quod uos quondam gentes in car-

me uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur circumcisio in carne, quæ circumcisio manibus fit: quod inquam eratis in tempore illo sine Christo, abalienati à repub. Izraelis, & extranei à testamentis promissionis &c Ex quibus facile quoq; intelligitur, quomodo circumcisione segregati sint ab alijs religionibus & societatibus Iudæi: quodq; circumcisio alibi hanc ob caussam ponitur pro ipsis circumcisis: & cur Incircumcisi uocabulum probro datum sit. Habe-

Philip. 3. Rom. 15. bantur enim incircumcisi pro impijs impurisq; hominibus, quibus nullum erat consortium, nulla pars aut hæreditas cum deo & sanctis eius. De Baptismo qui in locum Circũcisionis substiturus est, dicta sunt quædam in præcedentibus. Sed & apostolus significantissime, Quemadmodum, inquit, corpus unum est, & membra habet multa: omnia uero membra corporis unius, multa cum sint, unũ

1. Cor. 12. sunt corpus: sic & Christus. Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: et omnes unum spiritum hausimus. Obstringimur ergo baptismi sacramẽto in unitatem corporis Christi, ita ut hoc rupisse uinculum & in aliud concessisse consortium religionis & societatis, sacrilegiũ atq; proditio rite uocetur. Huc respexisse uidetur apo-

1. Cor. 1. stolus, cum interrogaret Corinthios, An non in Christi nomen baptisati estis? Innuens utiq; baptisatos in nomen Christi palàm iurasse, fidemq; suam coram Christi ecclesia obstrinxisse, ut iam nec possint, nec debeant de ullo alio quàm Christi nomine gloriari, in cuius familiam recepti sint per baptismum. Sic inquam baptismo separamur ab omnibus alijs religionibus & Christianæ duntaxat consecramur.

Exponitur locus Pauli 1. Cor. 10 Panis quẽ frangimus. Similis per omnia locus est de Cœna domini apud eundem in 1. ad Corinth. cap. 10 Cum enim apostolus Corinthijs demõstrare uellet, ab omni pietate alienum indignum & sacrilegum esse Christianos in idolorum templis ad idolothyta accumbere sacrisq; gentilitijs communicare, à ratione & natura sacramenti Cœnæ dominicæ argumentans, Fugite, inquit, à simulachrorum cultu. Ut prudentibus loquor: iudicate uos quod dico. Poculum benedictionis quo benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne cõmunio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Videte Izraelem iuxta carnem. Nónne qui edũt uictimas, cõsortes altaris sunt? Quid ergo dico, quod simulachrum aliquid sit? Aut quod immolatũ simulachris aliquid sit? Illud potius dico, quod quæ immolant gentes, dæmonijs immolant & nõ deo.

Nolim

Nolim autem uos consortes dæmoniorum esse. Non potestis poculum domini bibere, & poculũ dæmoniorũ. Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ. Et cætera. Hæc enim omnia Pauli sunt: quæ cum instituto nostro mirifice cõueniant, & clarissima sint, perstringam obiter. Principio statũ & scopum rei ponit, ad quem mox omnia sua dirigit. Fugite, inquit, simulachrorum cultum. Intelligit autẽ idololatriæ uocabulo, quicquid pertinet ad idololatriam, idolothytorum esum maxime. Si autẽ nescis quid sit idolothytũ, scias uocem esse Græcã, qua Paulus in hac caussa utitur, ac significare idolo sacrificatum, aut sacrificio publice idolo consecratũ. Fuit autem in usu Corinthijs sacrificare ad aras deorũ suorũ in idoleis, id est, idolorũ templis, ac ad sacrificia illa sua uocare Christianos: hi uero accedentes accumbebant ad idolothyta, promiscuedentes cum idololatris, existimantes id citra omnem culpam fieri posse, quod euangelica luce coruscante clareret, neq; idolum, neq; ipsum deum, quem repræsentabat idolum, & iccirco ne idolothyta quicquã esse aliud, quàm nomina inania, res uanas & nihili. At cõtra hos Paulus ab 8. cap. usq; ad 11. disputãs, docet à Christianis esse alienissimum sacris cõmunicare prophanis: ac dicit, Loquar uobiscum ut cum prudentibus, qui, uestigijs aliquot cõmonstratis, ipsi uestri ingenij perspicacia, quid uerũ, quid falsum, quò deniq; uobis inclinandũ sit, intelligitis. Deinde semina quædam argumentorum spargit, quæ illi mox sua excutientes industria, excolant. Qui, inquit, cœna domini (in qua panis domini frangitur, poculumq; domini hauritur) participant, eiusdem sunt communionis cœtus aut corporis cum domino. Nam κοινωνία, quo uerbo hic utitur Paulus, & quod uerterunt interpretes communio uel communicatio (quanquam melius sit communio quàm communicatio: sicuti & in Germanica uersione melius est gmeinò quàm gmeinschaffi) nõ actiue, ut sic dicam, pro distributione, exhibitione aut porrectione corporis Christi per ministrum: sed passiue pro consortio & societate, pro corpore, inquam, ecclesiastico accipitur: uelut cum ecclesia appellatur communio, id est, cœtus, collectio & societas sanctorum. Porrò hæc appellatur κοινωνία siue communio corporis & sanguinis Christi, quia Christi corpore & sanguine redempta est, ac particeps Christi, uiuit per eundẽ. Nam ipse uiuit in sanctis, omnia sua uitæ dona ipsis cõmunicans. Quod autem participantes cœna domini sint corpus aut communio Christi, per subiectam rationẽ declarans, dicit, Quia unus panis, unũ corpus multi sumus. Cui mox & aliam rationem expositionis caussa illustriorem suppingit, Nam

Mos sacrificandi Corinthiorũ.

κοινωνία *pro cœtu.*

omnes ex eodem pane participamus. De uno, inquit, pane participantes, palàm teſtamur nos eiuſdē corporis eſſe cōſortes cum Chriſto & omnibus ſanctis. Quibus pulchre ad analogiam reſpexit. Vt enim ex multorum granorum adunatione, ſicut Cyprianus ait, unus fit panis: ut de botris ſiue acinis plurimis uinum confluit: ita ex multis membris coaleſcit corpus eccleſiæ, quod eſt corpus Chriſti. Veniunt autē in his Pauli uerbis hæc obſeruanda. Principio, quod nunc multitudinem ſignantiore uocabulo nuncupat, quod prius communionem appellauit. Eſt ergo communio nihil aliud, quàm multitudo ſiue cœtus. Dixit enim, Panis eſt cōmunio corporis Chriſti: iam uero dicit, Nos multi ſumus unus panis, unū corpus. Multi, inquā, id eſt, nos omnes, qui ſumus multitudo & eccleſia, Chriſti corpore tradito & fuſo ſanguine redempta. Deinde, Multi, inquit, unum corpus ſumus: non dicit, Vnum corpus efficimur. Nam non primum per ſacramentorū participationem (quod iam ſæpius inculcamus) inſerimur corpori Chriſti: ſed qui inſerti eramus per gratiam inuiſibiliter, nunc etiam uiſibiliter conſecramur. Rurſus ex ſimili ſacramentorum ratione, ſiue per exemplum ſcripturæ à ſacramentis populi ueteris petitum, demonſtrat ſacris participantes unū eſſe corpus, & cum eo cui offerunt, & cum ijs quibus cum offerunt, aut cum quibus de idolothytis edunt. Contemplamini mihi, ait, Iſraelitas, carnales adhuc uictimas offerentes. Nónne qui edunt uictimas κοινωνοὶ, id eſt, cōmunicatores ſocij ſiue conſortes ſunt ſacrarij aut aræ? Complexus eſt autem uoce ſacrarij aut aræ (θυσιαστήριον habet) quicquid ad cultum & religionem dei Iudæorum pertinet: ut ſit ſenſus, An non omnes illi unum corpus ſunt, una communio, unus populus, & cum deo Iſraelis, & cum populo eius, qui edunt de uictimis deo Iſraelis, à populo Iſraelitico immolatis? Quaſi dicat, Nemo eſt qui id neſciat, aut neget, cum confeſſum & manifeſtū ſit apud omnes. Ex his ſua ſponte colligendum relinquit Corinthijs, Proinde qui ſacramentis communicant ethnicorum, unum corpus & una ſunt communio cum dijs ethnicorum & ethnicis ſacrificantibus. Iam per occupationem interponit, Propterea autem non dico, quod idolum aliquid ualeat, aut idolothytum aliquid diuinæ maieſtatis habeat. Quibus mox addit, Hoc autem ſentio, quod quæ gentiles ſacrificant, non deo ſed diabolo ſacrificant. His intuliſſet legitime, Ergo ſi uos perrexeritis participare de idolothytis, eritis certe unum corpus & una communio, & cum ipſo diabolo, & cum omnibus membris eius. Sed quia hoc acerbius à multis fuiſſet exceptum, reponit aliud paulò lenius & ciuilius

Membra diaboli ſunt participantes ſacris illegitimis.

uiſtius, ac dicit, Nolui autem uos κοινωνοὺς, id eſt, cõmunicatores ſeu ſocios & conſortes eſſe dæmoniorum. Poſt quæ mox collatis partibus contrarijs ſummam rei infert, ad quam omnia direxit, & ait, Non poteſtis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Sacramenta itaque ſeparant nos ab omnibus alijs cultibus & religionibus, & obſtringunt, atque conſecrant, adeoq; & incorporant nos uni deo uero & ſynceræ religioni Chriſtianæ. Quoniam ijs participantes palàm profitemur nos eſſe membra Chriſti, quæ nemo ſanus tollit & facit fornicatiõis & idolorũ membra.

Huc pertinet, quod Zuinglius in Expoſitione fidei Chriſtianæ ad regem Chriſtianum, Sacramenta, inquit, uice iuriſiurandi ſunt. Nam & ſacramentum Latinis pro iureiurando uſurpatur. Qui enim unis eiſdemq; ſacramentis utuntur, una quædam gens & ſancta coniuratio ſunt: in unum corpus, inq; unum populum coëunt: quem qui prodit, periurus eſt. Populus ergo Chriſti cum eius corpus ſacramẽtaliter edendo in unũ corpus cõiungitur, iam qui perfidus eſt, attamen ſeſe huic ſocietati audet inſinuare, corpus Chriſti prodit, tam in capite quàm in membris, &c. Hæc ille. *Zuinglius de ſacramẽtis obſtrictis gentibus, &c.*

Ex his uero omnibus nullo negotio intelligere licet, quomodo ſacramenta nos noſtri admoneant officij: maxime ſi obſeruemus in apoſtolorum literis, quomodo ex ratione ſacramentorum ſuas exhortationes inſtituerint apoſtoli. Vbi denuo analogia conſiderata, plurimum habet & lucis & uirium. Nos in tranſcurſu quædam huius generis attingemus. Putantur arbores, reſecanturq; ex ipſis arida, ſterilia & ſuperuacanea: itaq; circũciſione admonebantur circũciſi, omnia ea cultro ſpiritus reſecare, quæ ex carne contra legem dei enaſcuntur. Huc reſpexit Moſes, cum in Deut. dixit, Circũcidite præputium cordis ueſtri, & ceruicem ueſtram amplius ne indureatis. Quem imitatus Ieremias in cap. 4. Circũcidimini domino, & auferte præputia cordis ueſtri, &c. Quæ uero de paſchate celebrando tradidit apoſtolus, planiora ſunt quàm hic referri debeant. Et nos de illis omnibus copioſe diſſeruimus Decadis 3. Sermone 6. Idẽ apoſtolus in epiſtola ad Romanos, An ignoratis, inquit, quod quicunq; baptiſati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius baptiſati ſumus? Sepulti ergo ſumus unà cum illo per baptiſmum in mortem: ut quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Et cætera. Admonemur ergo baptiſmi myſterio, ut renunciemus ſatanæ & mũdo, ut mortificemus carnem noſtram, ſepeliamusq; ueterẽ Ada- *Sacramenta fideles ſui admonent officij. Deute. 10. 1. Cor. 5. Rom. 6.*

mum, quo nouus in nobis homo per Christũ resurgat. Porrò Cœna domini admonet nos charitatis fraternæ, & unitatis cum omnibus membris Christi: admonet nos puritatis & synceritatis in fide: ut quoniã palàm professi sumus nos cũ Christo, et omnibus mẽbris eius adunatos esse, diligentissime etiã curemus, ne perfidi simus in dominũ Christũ & ecclesiã eius, ne nos peregrinis cõtaminemus sacris: admonemur etiã gratitudinis, ut laudemus gratiã eius, qui nos
1.Cor.11. redemit, iuxta illud, Quotiescũq; de pane illo ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciabitis donec uenerit.

Atq; hactenus differui de uirtute, fine, & effectu sacramentorum: quibus tantum, opinor, tribui, quantum debui, id est, quantum ex scripturis demonstrari potest. Institura sunt Christi, non ergo amant laudes fucatas & alienas: satis laudum habent, si eas habent, quas ipsis institutor eorum deus & summus ecclesię catholicæ pontifex Iesus Christus tribuit.

QVONIAM uero fidei toto hoc libro creberrima facta est mentio, paucis ostendam porrò sine fide non prodesse sacramenta, rursus fide illa percipientibus non esse superuacanea. Hoc enim uidetur adhuc ad plenam sacramentorum explicationem considerationemq; pertinere. Sine fide non prodesse sacramenta, facile est osten
Sine fide nõ prodesse sacramẽta. dere. Dictum est enim sacramenta esse appendices & sigilla euangelicæ prædicationis. Cæterũ si prædicatio euãgelica audiatur citra fidẽ, non modo nihil prodest ad uitã, sed cedit magis ad iudiciũ, ipso
Ioan.12. dño attestante atq; dicente, Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Veni enim ut seruem, non iudicem mundum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die.
Heb.4. Sermoni dominico quadrat hic apostolicus, Annunciatũ est nobis euangeliũ quemadmodũ & patribus. At nõ profuit illis audisse sermonẽ, quod is nõ esset fide cõiunctus ijs qui audierãt. Quis iam usqueadeo stupidus sit, ut nõ colligat sacramẽta sine fide inutilia esse, præsertim cũ idẽ apostolus dicat, Quisquis ederit panẽ hunc, aut biberit poculũ domini indigne, reus erit corporis & sanguinis dñi. Omnis aũt dignitas nostra corã deo fide constat, eodẽ apostolo rur
Rom.1. sus ex propheta dicente, Iustus fide sua uiuet. Itẽ, Patres fide meru-
Hebr.11. erunt testimoniũ. Quo & illud pertinet, quod in euangelio legitur,
Matth.22. Qui inuitati fuerãt, non erant digni: unde cõsequens est dignitatẽ fideli cõstare obedientia. Huc referenda puto exempla, quorũ etiam superius non semel mentio facta est, Patres nostri omnes baptisati sunt, et omnes eandẽ ederunt escam spiritualem, sed quidã ipsorũ di
Hebr.11. splicuerunt deo. At Paulus iterũ, Sine fide, inquit, impossibile est placere

cere deo: unde sine fide nihil proficiunt sacramenta. Notissima sunt Simonis magi & Iudæ proditoris exempla, quorũ ille tinctus, hic Cœnæ adhibitus, fructu caruerunt omni: quoniam fidem ueram non habuerunt.

His diuinis & luculentis testimonijs adiungemus iam aliquot S. Augustini locos. Is contra Faustum lib. 19. cap. 12. Petrus ait, baptismus nos saluos facit: & ne sufficere putarent uisibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perdite uiuendo uirtutem eius abnegarent, continuo subiecit, Non carnis depositio sordium, sed conscientię bonæ interrogatio. Item contra literas Petiliani lib. 2. cap. 7. Non ideo, ait, putandi sunt esse in Christi corpore, quod est ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt & eis indigne tractantibus & sumentibus ad maius iudicium ualebunt. Ipsi autem non sunt in illa ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum dei. Illa quippe ecclesia in petra est: sicut dominus dicit, Super hanc petram ędificabo ecclesiam meam: illi autem in arena ædificant. Sicut idem dominus dicit, Qui audit uerba mea, & non facit ea, similabo eum uiro stulto. Et rursus Tract. in Ioan. 53. Non aliquid prosunt syllabæ nominis Christi & sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi & sacramenta, est credere in eum, qui iustificat impium, credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur deo. Hactenus August. *Augustinus docet sacramenta sine fide esse inutilia sumẽtibus.*

Obijcitur, si sacramenta sine fide nostra non prosunt, pendent ergo à nostra dignitate uel indignitate, ut integra non sint inter malos & infideles. Respondeo, Per se quidem sacramenta ex institutio ne diuina satis rata & firma sunt, nec pendet ipsorum integritas ex conditione communicantium, ut uel meliora sint inter bonos, deteriora inter malos. Manet enim firmum & integrum, quod instituit dominus, retinetq; institutionem suam bonam semper, utcunq; uarient & perduelles sint homines. Nam apostolus, Num incredulitas illorum, inquit, fidem dei faciet irritam? Absit. Imò sit deus uerax: omnis autem homo mendax. Verum attigimus hoc negotij nonnihil & in superioribus. Quia tamen aliud est offerre, aliud accipere, offert quidem deus ex bonitate sua bona dona sua hominibus in hoc, ut prosit ipsis & seruet eos: quemadmodum & medicus ægroto offert medicinam, ut sanet: quoniam uero ineptus ac uę sanus beneficium non agnoscit, & ægrotus medicinam oblatam respuit, nihil prodest oblatum beneficiũ inepto, neq; ualet quicquam *Sacramenta non pendent à nostra dignitate uel indignitate.* *Rom. 3.*

medicina repellenti: non culpa offerentis beneficij aut medicinæ, sed repellentis uitio. Ad hunc modum disputauit hac de re & sanctus Augustinus. Nam de Baptismo cõtra Donatistas lib. 3. cap. 14. Nec interest cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis uiam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Item cõtra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. Memento, inquit, sacramentis dei nihil obesse mores hominum malorum, quo illa uel omnino non sint, uel minus sancta sint: sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimoniũ damnationis non ad adiutorium sanitatis. Idem Tractat. in Ioan. 26. Si carnaliter accipis, air, spirituale esse non definit, sed tibi non est.

De baptismo infantium.

Eadem facilitate diluitur, quod obijcitur, infantibus non profuturum baptismum, si perrexerimus asserere sine fide non prodesse sacramenta: infantulos enim non habere fidem. Sic illi loquuntur. Respondemus enim principiò, baptismũ infantium gratuitæ misericordiæ & gratiæ dei inniti, dicentis, Ero deus tuus & seminis tui. Item, Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnũ dei, &c. Numerantur ergo censenturq; infantes ab ipso domino inter fideles, ut his iam baptismus debeatur, quatenus debetur fidelibus. Imputatione enim dei fideles sunt infantes. Quo nimirũ pertinet hoc saluatoris dictum, Qui offenderit unum de pusillis qui in me credunt, &c. Manifeste enim appellat pusillos credentes: certè propter imputationem, non propter confessionem, quæ nulla adhuc est in pusillis. His accedit & illud, quod pater infantuli ideo cupit signo populi dei, baptismo, fœtum suum insigniri, quia credit promissionibus dei, infantulum uidelicet suum esse de familia dei: est itaq; in infantium baptismo fides. Atqui non credit pater. Esto. Neq; uero id fraudi est infantulo. Nam in fide ecclesiæ affertur ad baptismum. Credit autem ecclesia infantes adducẽdos esse ad dominum: credit istos esse de familia & populo dei, ergo initiari mysterijs iubet: ut rursus in baptismo paruulorum inuenias fidem. His addit sanctus Augustinus de peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 19. dicẽs, Propterea fideles recte dicuntur pueri, quoniam fidem per uerba gestantium quodam modo profitentur. Plura is eadem de re disputat in epistola ad Bonifacium, quæ ordine est 23. à quo qui plura cupit, petat.

Cæterum hæc omnia, inquiunt, non euincunt, infantes habere fidem propriam. Nam aliena fides est fides parentum, gestantium, aut fides ecclesiæ. Esto. Certissimum tamen illud est, quod dominus infan

infantulos inter ſuos, hoc eſt inter fideles numerat: ut iam non tantum in aliena fide baptizentur, ſed in propria, quam uidelicet ipſis imputat dominus. Præterea alienum non eſt, quod eidem corpori commune eſt. At ſunt in eodem corpore eccleſiaſtico infantes, unde ipſis proprium non alienum eſt, quod eccleſiæ eſt. Neq; uero quiſquam hominum facile dixerit, quos præterea habeant motus ſpiritus ſancti infantes, &c. Quia enim dei ſunt, ſpiritum dei habent: quem qui non habent, dei non ſunt. Rom. 8.

Sacramẽta fidẽ habentibus non eſſe ſuperuacanea.

Vt autem in ſiniſtram nimium declinant, quibus uiſum eſt, ſacramenta etiam ſine fide prodeſſe ſumentibus: ita in dextram nimium recedunt, qui putant, eadem fidem habentibus eſſe ſuperuacanea. Fides, inquiũt, plene abſoluit nos, ut poſt illam nihil poſſint addere ſacramenta, iccirco neceſſe eſt ipſa eſſe inutilia. Tales quondam fuiſſe leguntur Meſſaliani, qui & Euchitæ & Εὐχομιασταὶ appellantur, diuini, ſi diis placet, & afflati numine. Contendebant enim fidelibus poſt ſpiritum ſanctum acceptum, nullis opus eſſe ſacramentis. Cæterum ſunt iſti in deum ipſum iniurij, qui uidelicet ſacramenta inſtituit fidelibus, non ſine magna cauſa, nec inutiliter. Et Abraham quidem credidit deo, id quod ipſi imputatum eſt pro iuſtitia, amicusq; dei iuſtus & ſanctus, non utiq; ſine ſpiritu ſancto, habitus eſt: at idem ille circumciſionem accepit, ſignaculum iuſtitiæ fidei quæ fuerat in præputio. Eidẽ Abrahæ dicitur, Maſculus cuius *Exodi 4.* pręputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritũ fecit. Certe angelus domini cædem intentans iminet Moſi, quod circũciſionem iuſtius æquo, uel ſua negligentia, uel Madianiticę uxoris culpa, in liberis ſuis diſtuliſſet. An uero quiſquam iuſtior & ſanctior inuenietur dei filio? utpote qui plenitudine ſpiritus accepta, ut caput, de illa in ſua membra, diffudit liberaliſſime? attamen hic uenit ad Baptiſtam, & poſtulat ab eo baptizari in Iordane: cumq; is tergiuerſaretur ac diceret, Mihi opus eſt *Matth. 3.* abs te baptizari, & ego te baptizarem? audit, Sine modo, ſic oportet nos omnem implere iuſtitiam. Iuſtitia certè cuiq; ſuũ tribuit. Fides ergo quæ Chriſtianorum iuſtitia eſt, tribuit gloriam deo, creditq; hunc ſumme ſapientem bene uelle hominibus, atq; ideo nihil inutiliter inſtituiſſe, ſed omnia in ſalutem ſuorum fidelium: utitur ergo omnibus dei inſtitutis homo fidelis abſq; diſputatione ac contradictione. Nec quiſquam hic, opinor, dixerit nihil ad ſe pertinere factum Chriſti, quo utiq; nobis exemplum prætulit, quod imitaremur. Imò quod ipſe fecit, alios quoq; facere iuſſit, dum diſcipulos amandaret & diceret, Ite in orbem uniuerſum, & prędicate euange-

lium omni creaturæ, baptisantes eos in nomine patris, &c. Qui enim crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: coniungens uticq; & fidem & baptismum, quod haud dubie non feciſſet, ſi ſacramenta ſuperuacanea eſſent, ubi fides eſt. Vbi manifeſte claret & illos errare toto cœlo, qui arbitrantur ſacramenta eſſe indifferentia, hoc eſt, in noſtro conſtitutum arbitrio, ſiue illis utamur, ſiue non utamur. Nam ut de baptiſmo iam apertum præceptum audiuimus: ita Cœnam inſtituens & celebrans dominus ait, Hoc facite in mei commemorationem. Qui ergo hæc dei præcepta contemnit, non uideo quomodo fidem habeat, qua inuiſibiliter ſanctificari poſſit. Huc iam pertinet, quod fidelis ille princeps Aethiopicus confitetur, ſe toto corde credere in dominum Ieſum, nihilominus tamen uiſa aqua dicit, Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Non dicit, Credo toto corde, & ſentio me iuſtificatum eſſe atq; purgatum, quorſum ergo aqua abluerer, qui nihil ſordium habeo reliquum? Proinde ubicunq; uera fides eſt, ibi non contemnuntur aut repelluntur, ſed petuntur magis ſacramenta. Nam & Cornelius Centurio accepto ſpiritu ſancto non cõtradicit Petro dicenti, Quis iam prohibere poteſt, quo minus baptizentur aqua hi, qui perinde ut nos ſpiritum acceperunt? Fidelis erat euangelij præco Petrus, peritus ueritatis doctor, neminem ergo fallit, & ſuo nos facto docet, fidem tum maxime ad communionem ſacramentorum incitare, cum uera eſt in fidelibus. Cui conſentiens collega Paulus, Probet ſeipſum homo, inquit, & deinde edat de pane, & bibat de poculo hoc. At probatio illa fide fit: fides ergo ſacramenta non reſpuit, ſed perfidia.

Sacramẽta non ſunt indifferẽtia.

Sine uiſibilibus ſacramentis ſanctificantur multi.

Scio ſane plurimos citra uſum uiſibilium ſacramentorum ſanctificatos eſſe, & hodie quoq; ſanctificari: ſed nullus illorum ſpreuit aut contempſit illa: neceſſitate adacti his non communicarunt, ut hodie ſunt, qui ſub tyrannide antichriſti & Turcæ captiui tenentur, interea uero toto corde credunt in dominum Ieſum. Ergo horum aut ſimiliũ exempla ijs nihil patrocinantur, quibus liceret communicare ſacramentis, ſi inſtituta dei curarent, tantiq; æſtimarent, quanti facerent merito. Aſcribam hic in lectorum gratiam elegantem ſancti Auguſtini de hac re diſputationem, quod inſtitutum noſtrum pulchre illuſtret. Quæſtio. lib. in Leuit. 3. cap. 84. Merito, ait, quæritur, utrum etiam inuiſibilis ſanctificatio, ſine uiſibilibus ſacramentis, quibus uiſibiliter homo ſanctificatur, nihil proſit? Quod uticq; abſurdum eſt. Tolerabilius enim quiſq; dixerit, ſine illis iſtam non eſſe, quam ſi fuerit non prodeſſe: cum in iſta ſit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quod ſine illis iſta eſſe nõ poſſit, quomodo recte

recte dicatur intuendū est. Nihil quippe profuit Simoni mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit: sed quibus ista inuisibilis quoniam affuit, profuit, etiam uisibilia sacramenta perceperunt similiter baptisati. Nec tamen Moses qui uisibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse uisibilibus sacrificijs uel oleo sanctificatus ostenditur: inuisibiliter uero sanctificatum negare quis audeat, cuius tanta gratia præeminebat? Hoc & de Ioanne Baptista dici potest. Prius enim baptisator quàm baptisatus apparuit: unde eū sanctificatum nequaquam negare possumus: id tamen in eo factū uisibiliter non inuenimus antequam ad ministerium baptisandi uiniret. Hoc & de Latrone illo, cui secum crucifixo dominus ait, Hodie mecum eris in paradyso. Neq; enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur, inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse atq; profuisse sine uisibilibus sacramentis: uisibilem uero sanctificationē, quæ fieret per uisibilia sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemnendum est. Nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est, quod Cornelius & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptisati sunt tamen, nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat. Hæc ille.

HVIC disputationi affinis est & alia quæstio, An uidelicet sacramenta pendeant à dignitate ministrorū, an eorundem indignitate impediantur? Cyprianus non uno loco contendit, eos baptisare nō posse, qui carent spiritu sancto. Qui error inde est, quod baptisandi ministerio tribuit nimium. Arbitratur hoc homines purgari: colligit itaq; hominem impurum purgare non posse, ergo nec baptizare, baptismumq; hominis impuri non esse baptismum: unde iam derriuat anabaptismum. Cæterum si uir sanctus rite & religiose distinxisset inter potestatem & ministerium, denicq; inter signum & signatum, externam & internam sanctificationem, uidisset haud dubie mera nos dei gratia sanctificari inuisibiliter, & internā illam sanctificationem externa per ministerium repræsentari & obsignari: ibi intellexisset obsignatas literas non minus à malo quàm bono ministro proferri posse. Dei sunt sacramenta, & ad deum referenda author em, qui uerax & fidelis est in omnibus institutis suis, utcunq; fallaces sint homines. Quanquam fur esset Iudas, docuit tamen, & baptizauit, cuius doctrina & baptismus nō minus Christi doctrina & baptismus erat, quàm Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis. Ac de

Cypriani error de sacramento baptismi.

integritate quidem cum doctrinæ cũ baptiſmi Iudæ miniſterio administrati, nemo dubitauit unquã, quaſi nec docti nec baptiſati fuerint, quos ille docuit & baptizauit, qui interim ab ipſo domino nõ homo diabolicus, ſed ipſe diabolus appellatur. Nam non ſuo, ſed Chriſti nomine baptizauit: non ſuã ſed Chriſti doctrinã attulit. De nicp dominus ex bonitate ſua ꝓpter ueritatẽ ſuam, nõ ꝓpter Iudam, opatus eſt in fidelibus, quam operationẽ aliena infelicitas & malitia impedire non potuit, ſicut ne hodie quidẽ impedit. Conandum quidẽ nobis modis omnibus, ut ſancti & innocentes ſint miniſtri, quantũ uidelicet noſtra fide & induſtria indagare & efficere poſſumus: imò gradibus ſuis deiciamus, quos deprehenderimus ſe ſua functione indignos gerere: interim uero nihil dubitemus de ſacramenti integritate, quod illi nobis dum in officio fuerunt, adminiſtrarunt ea ratione uidelicet modocp, quo dominus inſtituit. Ac fideles quidem ut animos ſuos non defigunt in elementa, ita necp in miniſtros. Deum authorem omnis boni & finem inſtitutorum domini ſpectant unice in omnibus.

Ioan. 6.

Tractauit hoc negotium diligenter S. Auguſtinus, non ineficacia argumenta pulchre his accõmodans, cuius uerba aſcribã. Libro contra Donatiſtas de Baptiſmo 3. cap. 10. Non eſt aqua prophana, inquit, aut adultera, ſuper quam nomẽ dei inuocatur, etiamſi à prophanis & adulteris inuocetur: quia nec ipſa creatura, nec ipſum nomen adulterum eſt. Baptiſmus uero Chriſti uerbis euangelicis conſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt, quamuis illi impudici ſint & immundi: quia ipſa eius ſanctitas pollui non poteſt, & in ſacramento ſuo diuina uirtus aſſiſtit, ſiue ad ſalutem bene utentium, ſiue ad perniciem male utentium. An uero ſolis uel etiam lucernæ lux cum per cœnoſa diffunditur nihil inde ſordium contrahit, & baptiſmus Chriſti poteſt cuiuſquam ſceleribus inquinari? Si enim ad ipſas res uiſibiles quibus ſacramenta tractantur animum conferamus, quis neſciat eas eſſe corruptibiles? Si autẽ ad id quod per illas agitur, quis non uideat non poſſe corrumpi: quamuis homines per quos agitur pro ſuis moribus uel præmia percipiant uel pœnas luant? Et cætera. Poſſem huius generis multa proferre ſi putarem neceſſaria. Arbitror enim illis copioſe & dilucide ſatis declaratum eſſe, integritatem ſacramentorum non æſtimari dignitate uel indignitate miniſtrorum, ſed dei inſtituentis ueritate. Ei ſit gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

De

De sancto Baptismo, quid, à quo, quando institutus, & quod aquæ unus dũtaxat sit. De Baptismo ignis. De ritu baptismi, quomodo, à quo, & quibus conferendus sit. De baptismo obstetricum, & infantibus sine baptismo decedentibus. De paruulorum baptismo, contra anabaptismum: & de uirtute uel efficacia baptismi.

SERMO VIII.

RESTAT ut figillatim differamus de sancto Baptismo, & de sacra Cœna domini. Id quod tanto succinctius fieri potest, quanto fusius iam diximus in genere de Sacramentis. Christus dñs aperiat uobis mentes, et dirigat linguã meam in gloriã & laudẽ nominis eius benedicti in sæcula.

Baptismus uox est à Græcis petita, qui utrũq; ficuti & Latini Baptismus & baptisma dicunt. Est autem Baptismus tinctio, qua uoce libenter utitur Tertullianus. Significat enim βάπτω tingo uel intingo, & βαπτίζω immergo: unde & Baptizare usurpatur pro imẽrgere, abluere uel lauare: & baptismata in scripturis ponuntur pro lauacris & purificationibus, ficuti claret apud S. Marcum in cap. 7. & apud Paulum Hebr. 9. cap. Eodem baptismate baptizari prouerbialiter dictum est, pro eo quod est eiusdem periculi uel mali consortem esse. Et baptizari sanguine, est perfundi sanguine. *Baptismus.*

Baptismum finiunt ferè symbolum esse purgationis nostræ, imò initiationis quo recipimur in ecclesiam, ut inter filios dei reconseamur. Copiosius uero naturam eius describentes, dicimus baptismum esse actionem sacram diuinitus institutam, ac uerbo dei rituq; sacro constantem, quo dei populus in nomine domini aqua tingitur, quo deniq; ipse dominus suam nobis purgationem repræsentat & obsignat, in unum corpus congregat, & baptisatos sui admonet officij. *Baptismus quid sit.*

Circa hanc Baptismi descriptionem uidentur hæc potissimum esse consideranda, Quis instituerit baptismum. Quibus rebus constet. Simplex ne sit, an in partes distrahatur. Quis sit ritus baptisandi traditus. Quis finis quæue uirtus baptismi.

Instituit Baptismi sacramentum non homo aliquis, sed ipse deus, licet per hominem, nempe Ioannem, qui ex eo Baptistæ nomen inuenit. Hoc ut intelligeremus, euangelistæ multis approbarunt nobis uocationem Ioãnis fuisse cœlestem. Inde enim colligere possumus, ministerium eius esse diuinum. Quid quod ipse diserris uerbis, Qui misit me ut baptizarem aqua, inquit, is dixit mihi, Super quem uideris spiritum sanctum, &c. Ioan. 1. Sed & dominus *Quis instituerit baptismum.*

noſter in euangelio innuens baptiſmum Ioannis non ex hominibus, ſed ex deo profectum eſſe, interrogat Phariſeos, Baptiſmus Ioannis ex hominibus ne an ex cœlo erat? Proinde baptiſmum ſancti etiam hodie accipiunt perinde ut ab ipſius dei manibus, licet hominum miniſterio baptizentur. Dominus enim ſpiritu ſuo ſuis aſſiſtens inſtituris operatur in electis ſalutem. Vnde conſequens eſt, per malum miniſtrum non impediri uirtutem aut effectum baptiſmi. De quo aliàs dictum eſt atq; dicetur.

Matth.21.

Quando inſtitutus baptiſmus.

Eo tempore uero inſtitutus eſt à deo, & inceptus à beato Ioanne baptiſmus, quo hic palàm prædicare cœpit tempus implerum, & Chriſtum orbi præſtitum eſſe. Atqui re exhibita, ſigna rerum futurarum uel exhibendarum non manere, ſed mutari in alia oportuit. Circumciſio autem fuit ſymbolum uenturi ſeminis benedicti, ipſius, inquam, Meſſiæ, qui effuſo ſanguine benedictionem ſuam toti mundo collaturus erat. Ergo cum hic uenerat, & iam iam effuſurus erat ſanguinem, circumciſionem mutari oportuit in baptiſmum. De quo poſtea.

Quibus cõſtet baptiſmus.

Conſtat autem baptiſmus ſigno & re ſignata, uerbo uel promiſſione dei, & ritu ſacro uel ceremonia. Signum eſt actio externa, ipſa, inquam, aſperſio aquæ in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cum inuocatione nominis diuini. Promiſſio uel uerbum dei eſt, Baptiſantes eos. Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Et reliqua. De quibus Sermone VI. abunde ſatis diximus.

Vnus dimtaxat baptiſmus.

Plericq; ueterum diſtinxerunt inter baptiſmum Ioannis Baptiſtæ, & baptiſmũ Chriſti ac apoſtolorũ. Etenim negant aliqui remiſſionem peccatorum comprehenſam fuiſſe baptiſmo Ioannis. Cæterum ſi diligenter inſpiciamus, & expendamus ſcripturæ ſanctæ doctrinam, deprehendemus Ioannis baptiſmum, & Chriſti, apoſtolorumq; unum atq; eundem eſſe. Certe doctrina Ioannis, Chriſti, et apoſtolorum, una & eadem eſt ubiq;. Omnes enim uno ore prædicant euangeliũ, & per hoc pœnitentiam & remiſſionem peccatorũ in nomine Chriſti. Conferat qui uelit ea quæ Ioannes euangeliſta tradidit de doctrina Ioannis Baptiſtæ primo & tertio capite: & ea quæ Lucas tradit in 24. cap. euangelicæ hiſtoriæ, & in Actis Apoſtolorum, de doctrina Chriſtiana & apoſtolica, & dicet unam atque eandem eſſe omnium doctrinam. Cæterum doctrinæ apponitur baptiſmus, ueluti ſigillum tabulæ. Quis ergo credat eiuſdem doctrinæ diuerſa eſſe ſigilla uel baptiſmata? S. Ioannes aqua baptizauit: non aliam materiam quàm aquam commendauit diſcipulis dominus, neque hi aliter quàm aqua baptizauerunt.

Vnus & idem baptiſmus Ioannis, Chriſti, & apoſtolorum.

Illã

Illi ipſi baptizauerũt in Chriſtum, in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. At de Ioanne baptiſta ſcribit S. Marcus, Baptizabat Ioannes in deſerto prędicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et S Paulus loquens de doctrina & baptiſmo Ioãnis, Ioannes, inquit, baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uenturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt de Chriſto Ieſu. Ex his uero quis nõ colligat eundem omnino baptiſmum eſſe Ioannis & Chriſti: niſi forte hoc uideatur alicui aliquid diſcriminis inducere, quod Ioannes in uenturum uel reuelandum baptizauit, apoſtoli in reuelatum. Sed non uideo tantillum temporis ſpacium quidpiam poſſe adferre diſcriminis: præſertim cum tantum ab initio prædicationis ſuæ Ioannes loqueretur de reuelando. Mox enim & præſentem digito demonſtrauit, teſtimoniumq; exhibuit præſenti & reuelato, non uenturo amplius aut reuelando. Huic accedit quod Chriſtus non in alio quàm S. Ioannis baptiſmo tinctus eſt. Si autem baptiſmus Ioannis alienus eſſet à Chriſtianæ eccleſiæ baptiſmo, conſequeretur neq; Chriſtum in noſtro, neq; nos in Chriſti baptiſmo baptizari. Atqui Chriſtus baptiſmum Ioannis ſanctificauit corpore ſuo, & in eandem ſocietatem tingi nobiſcum dignatus eſt, qui & ipſi tingimur hodie in baptiſmo, non Ioãnis quidem, ſed Chriſti, qui per Ioannem baptiſmum inſtituit, & ipſe eundem conſecrauit. Proinde dominus apud Matth. in 28. cap. & apud Mar cum in 16. cap. non abrogat baptiſmum à Ioanne cœptum, non inſtituit nouum, ſed eundem iubet continuare & conferre credentibus in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti.

De baptiſmo Chriſti, qui & ignis.

Quod autem ipſe Ioannes dicit, Ego baptizo aqua: ille baptizabit ſpiritu ſancto, non diſcreuit inter aquæ baptiſmum ſuum & Chriſti: ſed Chriſto amplius quiddam tribuit, quod nullus hominum uel miniſtrorum (errarunt enim qui quondam baptizarunt igni) cum ipſo commune habet, ſed ſolus confert, nempe baptiſmũ ignis, id eſt ſingularia dona ſpiritus ſancti, in primis autem uſum linguarum ſub ſpecie ignis. Sic enim hoc negotium exponitur in Actis ab ipſo primum domino Chriſto, deinde per experientiam in eccleſia. Dominus enim dicit, Ne diſceſſeritis Hieroſolyma, ſed expectate promiſſum patris: de quo audiſtis ex me, Quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua: uos autem baptizabimini ſpiritu ſancto poſt dies hoſce non multos. Et conſequenter die ipſo pentecoſtes baptiſmo Chriſti baptizati ſunt, non aqua rurſus, ſed donati ſunt ſpiritu ſancto, infidentibus ſingulorum ipſorum capitibus diſſectis linguis uelut igneis: & cœperunt loqui linguis diuerſis.

Acto. 2.

Actorũ 8. In Actis baptizati sunt baptismo Christi in aqua legitime & plene Samaritani ciues, à Philippo: sed illi ipsi postmodum baptizantur peculiari baptismo Christi, dum per impositionem manuum Petri & Ioannis accipiunt spiritum sanctum. Non quod hactenus prorsus caruerint dono spiritus sancti. (Quomodo enim sine spiritu sancto credere potuissent?) sed quod præterea uisibili ignis baptismo sint baptizati, & linguarum donum acceperint, aliaq; dona excellẽtia. Sicut & de Cornelio legitur, qui primum quidem igne, Christi inquam baptismo peculiari baptizatus, linguis loquebatur, de-

Acto.10.

Acto.19. inde uero aqua tinctus est. Contra uiri illi Ephesij duodecim, primo Ioannis, adeoq; Christianæ ecclesiæ aquæ baptismo plene tincti, deinde uero imponente eis manus apostolo Paulo, non rursus aqua sed igne baptizati sunt, Luca testante & dicente, Venit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.

Cæterum hic baptismus ignis & uisibilis exhibitio donorum disparuit, unà cum miraculis, nec hodie usitatus aut uulgaris est in ecclesia: manet autem baptismus aquæ, qui unus atq; idem est, siue ad ministretur Ioannis, siue apostolorum, siue ministrorum ecclesiæ diuersis manibus. Nam diuersæ manus non faciũt diuersa baptismata. Rectissime ergo credimus unũ modo & simplex esse baptisma

Ephes.4. omnium temporũ fidelium. Nam & Paulus disertis uerbis, Vnus, inquit, dominus est, una fides, unum baptisma, unus deus & pater

1.Cor.1. omnium. Quo nimirum & hoc apostoli eiusdem pertinet, Gratias ago deo quod neminẽ uestrum baptizarim, nisi Crispũ & Caium, ne quis dicat quod sub nomine meo baptizarim. Huic ueritati apostolicæ innixi patres Constantinopol. Synod. in symbolo suo confessi leguntur, Credo unum baptisma in remissionem peccatorum. Etenim una duntaxat est ecclesia, unum corpus, unicum caput, & unus rex, princeps, & pontifex catholicæ ecclesiæ.

De ritu baptismi.

Ioan.3. Venimus iam ad ritum baptismi explicandum. Simplex hic fuit ab initio, & nullis ceremonijs immoderatis ecclesiæ uel sumptuosus uel onerosus. Baptizauit Ioannes in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic: & baptizauit in nomen Christi. Sic fecerunt etiam apostoli. Vnde indubitatum relinquitur optimã esse formam baptisandi, quæ fit aqua in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Sic enim præcepit dominus Matth. 28. Rogas qui factum sit quod Lucas in Actis commemoret Petrum & Paulum baptizasse in nomen domini, & non exprimat eos baptizasse in nomen patris & filij & spiritus sancti? Respondeo sub nomine domini comprehendi trinitatis mysterium. Cum enim dominus dixerit, Ego & pater

unum

unum ſumus, qui in dominum baptizatur, etiam in patrem baptizatur, ita & in ſpiritum ſanctum, qui ab illis nō diuiditur. Eſt enim amborum unus atq; idem ſpiritus. Vel certe in domini nomine baptizatos dixit Lucas ab apoſtolis, quos apoſtoli baptizauerūt iuxta inſtitutionem domini. Alij, Chriſtus complementum eſt, inquiunt, & proprium obiectum baptiſmi: unde mirum nō eſſe, quod in nomen domini baptizarūt apoſtoli, qui tamen iuſſi fuerant baptizare in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti. Omnia enim myſteria baptiſmi in unico nobis dei filio proponi. Dicitur autem utrumq;, Baptizare in nomē domini, & Baptizare in nomine domini. Priore forma loquēdi uſus legitur Matth. cap. 28. & Lucas Acto. 19. Vterq; enim habet εἰς τὸ ὄνομα in nomen. Et ita interpretatur etiam Tertullianus contra Praxeam dicens, Iuſſit tingi in patrem & filium &c. Poſteriore forma ἐν τῷ ὀνόματι & ἐπὶ τῷ ὀνόματι in nomine, utitur idem ille Lucas Acto. cap. 10. & 2. Porrò quid ſit Baptizare in nomen uel in nomine domini, dixi proxime præcedenti ſermone, nimirum inſcribi in familiam dei, ut baptizatus recipiat iā nomen dei, dicaturq; filius dei, adeoq; inſcribatur quaſi in catalogum filiorum dei, ciuiū regni cœlorum. Vnde & nomina nobis imponuntur uel dantur in baptiſmo, ut quoties nominari nos audimus, baptiſmi meminerimus & myſteriorum eius. Neq; nouū & alienum eſt à ſcripturis quod nomina dantur nobis in baptiſmo. Ita enim uſurpatum eſt & in Circumciſione, quod uidere licet Lucæ 2.

Quid baptizare in nomine domini.

Quæritur præterea, An nudis hiſce uerbis, Baptizo te in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, baptizare oporteat, an aliquid addere uel coniungere liceat? Reſpondendum cenſeo, ſeruum domini nihil addere inſtitutioni domini ſui, ſed diligenter retinere q; ille tradidit, diligenter item obſeruare quid inter baptizandum ipſe dominus cum apoſtolis ſuis fecerit, ac illa ſancte imitari, ut in eccleſia omnia decenter & ſecundum ordinem, ita ut Paulus iuſſit, fiant. Cæterum poſt traditam illam baptizandi formam ſanctiſſimam cernimus duo apud ſanctum baptiſma & in eius uſu eſſe obſeruata. Principio enim diſſeruerunt apoſtoli & uiri apoſtolici ſignificanter de promiſſionibus dei, & fide in Chriſtum. Id quod claret in Actis apoſtolorum. Licet ergo in actione baptiſmi recitare diuinas promiſſiones, recitare ſymbolum, & requirere fidem, uel à baptizandis adultis, uel ab illis qui infantes afferūt ad baptiſmum. Deinde cum baptizaretur dominus in Iordane à Baptiſta, orabat. Id quod de eo tradit Lucas in hiſtoria euangelica. Licet ergo in uſu baptiſmi orare & ſolenniter inuocare dominum. Ab initio mode-

1. Cor. 14.

Lucæ 3.

ratissimæ hæ & breues fuerunt, non in immensum extensæ preces: temporibus succedentibus nullus seruatus est modus, non modo in prolixis benedictionibus, sed & in uarijs ritibus, quos adiecit posteritas. De quibus aliquid ex ueteribus recitare non inutile prorsus fore uidetur.

Cæremoniæ olim baptismo adiectæ.

Tertullianus in libello de Corona militis, Aquam adituri, ibidem, inquit, sed & aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius. Dein ter mergitamur, non (quidam omittunt non) amplius aliquid respondentes, quàm dominus in euangelio determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus: exq; ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Audimus in his abnegationem uel abrenunciationem, ternam mersionem, lactis & mellis degustationem, & abstentionem balneorum à baptismo per integram septimanam. Libro primo contra Mart. meminit & Olei. Certe Lac conuenit infantibus, quibus etiam adulti baptizati assimilantur. Præterea in ueteri testamento frequentissima est mentio promissæ terræ lacte & melle fluentis. Ea iam prægustanda baptizatis offerebantur, ut intelligerent se duce Iesu & transmisso Iordane, in terram promissionis per spem infallibilem esse repositos. S. Hieron. lacti uinum additum testatur, & ait Comment. lib. 15. ad Isaiam, Dominus prouocat, ut non solum emamus uinum, sed & lac: quod significat innocentiam paruulorum: qui mos actypus in Occidẽtis ecclesijs hodie usq; seruatur, ut renatis in Christo uinum & lac tribuatur. Hodie neutrum tribuitur infantibus, etiam ab illis qui ueterum rituum seueri uindices uideri uolunt. Interim credunt suam illam omissionem carere piaculo. Iam etiam colligere licet ex 6. lib. Augustini de bapt. contra Donat. cap. 24. uarias & liberas fuisse circa baptismum usurpatas preces. Idem contra Pelagium & Celest. libro 2. cap. 40. In pueris baptizandis, ait, prius exorcisatur & exufflatur potestas contraria. Cui etiam uerbis eorum à quibus portantur sese renunciare respondent. Eiusdem ritus meminit & in lib. 1. de Nupt. & concup. ad Valer. cap. 20. & lib. 2. cap. 18. In ecclesiasticis dogmatibus dicitur illum ritum in uniuerso mũdo sanctam obseruare ecclesiam. Rursus Augustin. epist. ad Bonif. 23. dicit susceptores fideiubere pro paruulis & confiteri fidem. Interrogamus, ait, eos à quibus offeruntur & dicimus, Credit in deum? (de illa ætate quæ utrum sit deus, ignorat) respondent Credit: & ad cætera sic respondetur singula quæ geruntur. Idem lib. de Trinit. lib. 15. cap. 26. etiã olei meminit quo inungebantur baptizati. Sequutus deinde

deinde multa post tẽpora Augustinũ Rabanus Maurus Moguntinus episcopus, multò plures baptismi cæremonias cõmemorat. Nã lib. de Instit. cler. 1. cap. 27. In fronte & corde signãtur, inquit, baptizandi cruce, ut diabolus hoc signũ uidẽs, uas illud à se alienatũ sciat. Datur puero item benedictũ sal in os: ut sale sapientiæ conditus fœtore careat iniquitatis, nec à uermibus peccatorum ultra putrescat. Tanguntur illius aures & nares saliua, addita saluatoris uoce Ephphatha, ut uirtute summi sacerdotis Christi aperiantur aures eius ad percipiendam dei notitiam, & ad audienda mandata dei. Hinc benedicitur puero & inungitur pectus eius oleo sancto: ut nullæ in eo inimici latentes reliquiæ resideant. Post hæc in nomine sanctæ trinitatis terna mersione baptizatur. Et cap. 28. Baptisatus statim signatur in cerebro chrismate, sequente simul oratione, ut regni Christi particeps fiat, & à Christiano Christianus possit uocari. Et cap. 29. Post baptismum traditur Christiano uestis candida designans puritatem & innocentiam. Sed & hanc ob caussam albis uestibus induebantur baptisati, quo meminissent se iam manumissos, & è seruis ac mãcipijs diaboli libertos factos Iesu Christi. Erat præterea candidus color quondam uictoriæ consecratus & triumpho. Vnde uideri poterat uestem candidam ideo baptisatis datam, ut cogitarent sibi perpetuò dum hic uiuunt in terris esse pugnandum & uincendum in Christo. Nam militia est uita hominis super terram. Certe quod donatiua baptisatis quoque dari cœpere à susceptoribus uel patrinis, & ipsum petitum uidetur à militia. Nam donatiuo seu authoramento (quod Heluetij nominamus die ynbinderen) admonetur baptisatus datæ fidei in baptismo, ut semper sit memor quem deseruerit imperatorem, & in quæ castra transierit, in quibus fidem datam nouo imperatori Christo seruet. Multa alia huius generis apud postremi sæculi scriptores consignata uolens transeo, ne uidear abuti uestra beneuolentia. Quis autem non intelligat & alia huius generis innumera quotidie posse affingi baptismo? Tutissimum ergo fuerit primis insistere beatorum apostolorum fundamentis. Si enim uetustas uidetur his posterius inuentis patrocinari ritibus, quis negare audeat authoritatem apostolicam multis modis excellere? Nam apostoli præcesserunt illos omnes, qui posterius adinuenerunt ac tradiderunt uarios illos in baptismo usurpandos ritus.

An aqua non consecrata baptisandis?

Venit & hoc in quæstionem, An aqua pura, an consecrata oporteat baptizare: & quare aqua iusserit dominus baptizare? S. Cyprianus epistol. lib. 1, epist. 12. Oportet mundari & sanctificari, in-

quit, aquam prius à sacerdote, ut possit baptismo suo peccata homi nis, qui baptizatur, abluere. Cæterum plus apud me ualent scriptu ræ sanctæ exempla & testimonia quàm S. Cypriani aut alterius hominis qualis qualis sit authoritas. Errauit aliàs quoque optimus hic uir dei in negotio baptismi, ut scripta eius cum iudicio legere oporteat. Scriptura tradit nobis Ioannem Baptistam, & apostolos discipulosq; Christi fideles aqua non consecrata baptizauisse. Quid enim clarius dici aut legi poterat, quàm quod Ioannes in Iordane baptizauit? Adde quod ipsum Christum in Iordane, & apostolos quoque baptizauit. Vbi, aut quomodo consecrauerunt apostoli aquam baptismi in Actis apostolorum? Philippus eunuchũ aquam ex itinere ostendentem baptizat ex fonte puro ac limpido. Præterea subindicaui Sermone proxime præterito, quàm parum sit pura for ma illa uulgaris qua consecratur fons baptismi. Si quis uero sentiat aqua consecrata baptizari oportere: ac per consecratam intellexe rit nec unctam, nec characteribus precaminibusq; paratam uel san ctificatam, sed sacris delectam usibus, nihil cum eo contenderim. Aqua enim baptismi reuera est sancta, non propter uerba recitata, & additos characteres, sed ex instituente deo, & propter usum san ctum, orationesq; sanctorum. De qua re differui cum loquerer nõ ita pridem de sanctificatione uel consecratione sacramentorum.

Quare aqua baptizare iusserit dominus?

Aqua autem iussit suos baptizare propter causas uarias. Præ cesserunt enim typi baptismum in aqua, ut diluuium, ut mare ru brum, per quod transijt populus Israeliticus, ut ablutiones uariæ uel baptismata certa in lege tradita. Nec dissimulant illa apostoli Christi. Petrus enim commemorat Noë seruatum esse aquæ dilu uio, impios autem aquis præfocatos. Paulus asserit omnes patres nostros per Mosen baptisatos esse in nube & in mari. Mortificatio ergo & uiuificatio præfigurata est. Et primarium quidem noui testamenti symbolum est baptismus, testificans plenariam ad nos peccatorum remissionem delatam esse per Christum. Hanc autem prænunciantes ac promittentes ex ore domini sancti prophetæ, libenter summum hoc beneficium adumbrarunt per aquam: ideo oportuit baptismum dari in aqua. Hæc item seruiebat mysterio pulchre repræsentando. Qua de re dixi proximo Sermone cum differerem de Analogia. Hasce uero ob causas potissimum opor tuit baptismum in hoc, & non in alio dari elemento.

1. Pet. 3.
2. Cor. 10.

Semel an ter mergendus infans.

Disceptatum est & de hoc, semel ne an ter mergendus aut aspergendus sit baptisandus? Equidem nihil de his præceperunt apostoli curiosius. Proinde liberum est uel aspergere uel immergere.

Aspersio

Aſperſio uidetur uſurpata ueteribus. Honeſtas enim ac pudor uetabat nudare corpora. Sed & infantium conditio prohibet ferè immerſionem, cum & aſperſio tantum efficiat quantum immerſio. Stat autem in arbitrio dantis baptiſmum, ut pro conſuetudine eccleſiæ, cuius miniſter eſt, ſemel uel ter aſpergat. Tertullianus aduer. Praxeam, Dominus mandauit, inquit, ut tingerent in patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Non in unum: nam nec ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur. Gregorius uero Leandro reſpondens epiſcopo, In una fide, inquit, nihil efficit ſanctæ eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Nos quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignificamus. Rurſus patres Synodi Toletanæ IIII. approbarunt ſimplam baptiſmi merſionem: & addunt mox cauſlam hanc, Et ne cuiquam ſit dubium huius ſimpli myſterium ſacramenti, uideat in eo mortem & reſurrectionem. Nam in aquas merſio, quaſi ad infernum deſcenſio eſt, & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item uideat in eo unitatem diuinitatis & trinitatem perſonarum oſtendi. Vnitatem, dum ſemel mergimus: trinitatem, dum in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti baptizamus. Hæc non proferimus quod humanis teſtimonijs innitamur, ſed ut humano quoque teſtimonio oſtendamus liberum eſſe ſequi quod maxime ædificationi eccleſiarum ſeruit.

De loco baptiſmi.

De loco item baptiſmi affertur quæſtio, An non liceat alicubi quàm in templo baptizare? Dicimus templum miniſterijs & cultui dei conſecratum eſſe, ideoq; ipſum decorum flagitare, ut baptizemus publice in templo. Si autem neceſſitas hoc non permiſerit, nulli loco alligatus eſt Chriſti baptiſmus. Nam audiuimus Philippum baptizaſſe ex fonte in patenti campo. Cauendum tamen ne neceſſitatem prætexamus prauis affectibus. Munda autem ſint omnia in templo ad baptiſmum pertinentia: abſit omnis luxus, abſint ſordes & impuritas. Omnia decenter, ut inquit apoſtolus, & ſecundum ordinem fiant.

Tempus baptiſmi.

De Tempore nulla præſcribitur à domino lex, iudicio piorum id relinquitur liberum. Qui crediderunt prædicationi S. Petri Hieroſolymis in die pentecoſtes, eunuchus item quem Philippus tinxit, Cornelius quoque centurio, Paulus deniq; apoſtolus Damaſci, ſed & Lydia purpuraria mulier religioſa, cuſtos item carceris Philippici & alij uiri ac mulieres fideles, ſimul atque guſtarunt dona Chriſti & crediderunt uerbo eius, protinus baptizari deſiderarunt: non diſtulerunt in ullum tempus proximum. Vnde rectiſſime faciunt, qui neq; in ſemetipſis, neque in ſuis baptiſmum ſuſci-

pere cunctantur. Male cessit Mosi dilatio circũcisionis in liberis suis. Vt ergo tempus baptismi libenter concedimus esse liberum, ita nostrum fuerit cauere ne abutamur nostra libertate: memores
Genes. 17. semper diuinæ sententiæ, Anima cuius caro præputij non fuerit circũcisa, delebitur de populo suo: quia pactum meum irritũ fecit. At non ignoramus in locum circũcisionis subisse baptismũ. Itaque non est libera baptismi omissio. Cypriani sæculo fuerunt qui contenderent baptismum ad similitudinem circũcisionis octaua demũ die recipi oportere. At Cyprianus & qui cum ipso fuerunt in Synodo episcopi & presbyteri LXVI. diuersum statuerũt, nẽpe ut quisq; nulla interiecta mora baptismum accipiat, ac in suis procuret mature. Locus extat epist. lib 3. epist. 8. Porrò Socrates historicus lib. 5. cap. 22 Noui & aliam, ait, Thessaliæ consuetudinem qua solis paschatis diebus baptizant. Vnde fit, ut præter admodum paucos non baptisati moriantur. Post tempora uero aliquot lata est lex de non baptisandis fidelibus, nisi in festiuitatibus Paschæ & Pentecostes. Exceperunt tẽpus necessitatis. Id legere licet in decretis Syricij pont. apud Isidorum: item in epistolis Leonis Papæ ad episcopos Campaniæ & Siciliæ, quæ ordine numerantur 57. & 62. Quæ autẽ istos huc permouerunt huiusmodi sunt ut facile dilui possint. Certe ab initio tempus baptismi non fuit ita circũscriptum. Reparata est tamen illa lex de baptisandis fidelibus in festo paschæ & pentecostes, à Pipino, Carolo, Lodouico et Lothario Francorum regibus, ac late propagata, cum late imperitarent. Plurima canuntur in sacris Papistarum tempore paschæ & pentecostes, quæ non intelliguntur nisi per hanc legem & consuetudinem. Tandem exoleuit illa, ac baptisati sunt fideles prima quaq; occasione & commoditate.

Quid efficiat baptista.

Sed & in hoc controuersum est, quis baptizare debeat, & quid efficiat baptista. De posteriore priore loco dicam. Baptista confert uisibiliter sacramentum regenerationis, & testimonium remissionis peccatorum, dominus autẽ per spiritũ suum inuisibiliter regenerat, peccataq; remittit, & regenerationem obsignat. Ioãnes & apostoli aqua baptizant, Christus baptizat spiritu sancto: non tantũ uisibili signo ignis et linguarũ dono, sed idẽ ille cõfert solus omnia spiritualia dona. Id ut diserte exprimerent ueteres diligẽter secreuerũt inter potestatẽ & ministeriũ. Nã August. Tract. in Ioan. 5. Aliud est baptizare, ait, per ministeriũ: aliud baptizare per potestatem. Potuisset dñs noster Iesus Christus si uoluisset dare potestatẽ alicui seruo ut daret baptismũ suũ tanquã uice sua, & transferret à se baptizandi potestatẽ & cõstitueret in aliq; seruo suo, & tantã uim daret baptismo translato

lato in seruum, quantam uim haberet baptismus datus à domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo seruum spem ponere in seruo. Ideoq; clamabat apostolus cum uideret homines uolentes ponere spem in seipso, Nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizauit ergo Paulus tanquã minister, non tanquam ipsa potestas: baptizauit autem dominus tanquam potestas. Et iterum, Ioannes baptista à columba didicit, Super quem uideris spiritum descendentem, sicut columbam & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Non ergo te decipiant ô columba seductores qui dicunt, Nos baptisamus. Columba agnosce quod columba docuit, Hic est qui baptizat spiritu sancto. Per columbam discitur, quia hic est: & tu eius potestate putas te baptizari cuius ministerio baptizaris? Si tu hoc putas, nondum es in corpore columbæ: & si non es in corpore columbæ, non mirandum, quia simplicitatem non habes. Simplicitas enim maxime per columbam demonstratur. Per simplicitatem columbę didicit Ioannes, Quia hic est qui baptizat spiritu sancto. Hæc ille. *Ioan. 1.* *Vera simplicitas.*

Porrò baptizare debet legitime constitutus ecclesiæ minister. Donatistæ contenderunt neminem nisi purum & sanctum baptizare posse: inutilem & inefficacem prædicabant esse illum baptismum quem administrasset minister malus, uel sceleribus inquinatus. Contra istos grauiter disputauit Augustinus, & scripturarum ueritate oppressit. Is epist. 166. Videte, inquit, quàm peruerse & impie dicatur quod dicere soletis, Quia si bonus sit homo, ipse sanctificat eum quem baptizat: si autem malus sit & nesciat ille qui baptizatur, tunc deus sanctificat. Hoc si uerum est, optare ergo debent homines ut à malis ignoratis baptizentur potius, quàm à notis bonis, ut magis à deo quàm ab homine possint sanctificari. Sed absit à nobis ista dementia. Quare ergo non uerum dicimus & recte sapimus, quia semper est dei illa gratia & dei sacramentum, hominis autem solum ministerium: qui si bonus est, adhæret deo & operatur cum deo: si autem malus est, operatur per illum deus uisibilem sacramenti formam, ipse autem donat inuisibilem gratiam. Hoc sapiamus omnes & non sint in nobis schismata. Idem contra literas Petiliani lib. 3. cap. 49. eandem rem luculenter proponit. Quoniam uero nos quoq; eandem rem tractauimus in fine superioris & proxime præcedentis Sermonis, non est quod idem bis dicamus. *Qui deneant baptizare.*

Obijcitur hic nobis quæstio de baptismo obstetricum, An obstetrices fœminæ in articulo necessitatis, id est cum periculum est ne in *An obstetrices baptizare possint.*

fans moribundus in manus ministri ecclesiastici peruenire possit, baptizare debeant & possint? Respondemus baptismum esse ecclesiæ sacramentum: à ministerio autem ecclesiæ arceri mulieres, has ergo non posse nec debere baptizare, quemadmodum & docere
1. Tim. 2. nullo modo permittuntur. Notæ sunt leges apostolicę. Mulieri, inquit Paulus, docere non permitto, neq; authoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Eadem lex repetitur ab eodem apostolo 1. Cor. 14. & confirmatur lege diuina. Diuinis congruunt humana. Tertullianus enim de Virginibus uelandis, Non permittitur mulieri, inquit, in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius uirilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortē sibi uendicare. Hoc ipsum repetitum legitur in Cōcilio Carthaginēn. IIII. cui interfuisse dicitur etiam Aurelius Augustinus Epiphanius Salaminæ Cypri episcopus contra uarias hæreses disputans, & Marmonem confutans, Dat etiam inquit, permissionem mulieribus ut baptismum dent. Idem dicit de Quintillianis & Peputianis. Contra Collyridianos differens. Si mulieribus, inquit, præceptum esset sacrificare deo, aut regulare quicquam operari in ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere in nouo testamēto, quæ digna facta est in proprijs finibus susçipere uniuersorum regem deum cœlestem dei filium, cuius uterus templum factum est, ac domicilium ad domini in carne dispensationem, per dei benignitatem & admirandum mysterium præparatus est. At nō complacuit. Sed neq; baptisma dare concreditum est. Alioqui potuisset filius ab ipsa potius, quàm à Ioanne baptizari. Addit idem, Et ministrarum quidem diaconissarum appellatarum ordo est in ecclesia: Sed non ad sacrificandum, neq; ut quicquam aggredi permittantur: uerum reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut uisitationis, affectionis, aut laboris. Quod Sephoræ uxoris Mosis Madianiticæ filium circumcidentis in tempore necessitatis obijcitur exemplum: id quidem nullam legem communem constituit, perinde ut singulare Delboræ exemplum, non efficit omnes mulieres iudices. Sunt enim singularia multa in scripturis facta, ex quibus si quis colligere pergat generalia & leges communes, infinita inducet absurda. Quid quod Moses eo loco indignabundæ uxoris, & non religiosæ, ministerium deo præstare uolentis facinus describit? Impotenter enim marito adeoq; & deo obstrepens præputium filij resectum ad pedes patris atq; mariti abijciens, non sine conuitio ait, Sponsus sanguinum tu mihi es. Quasi dicas, Ich hab wol ein Bätigen mañ an dir. Et quamuis desierit Mosi imminere angelus,

Sephora circumcidit.

lus, quod muliebre facinus uelut deo bene placens opus approbare uiderur, misericordiæ tamen diuinæ id magis quàm humanæ iustitiæ imputandum est. Valde displicuit deo quod Dauid Vriam occi- 2. Sam. 12
disset, & Bersabeam sibi insuper uxorem duxisset, attamen ex bonitate & singulari clementia Solomonem natum ex Bersabea appellare dignatur Iedidia, eò quod dominus diligeret eum. Ita bonus dominus & Mosi, siue propria negligentia, siue culpa Madianiticæ uxoris circumcisionem in corpore filij contra legem plus æquo differenti, reconciliatur, & circumcisionem indignatione magis quàm religione à fœmina perfectam recipit ac boni consulit: interim non uult ut ad hãc, tanquam ad perfectum exemplar, aliorum hominũ circumcisiones fiant.

Cæterum baptismo, ais, à muliere administrato, præueniendum erat periculum mortis seu condemnationis æternæ, in quod incurrit infans, sine baptismo ex hoc sæculo decedens. Respondeo, cum infantulus iam iam ex utero materno effusus præpropera morte ex cedit, ut non liceat parentibus, quantumuis desiderantibus, illum ministro ecclesiæ baptizandum offerre, certè articulus hic necessitatis huic non cedit ad mortem, quippe qui gratia dei receptus in fœdus, propter sanguinem filij dei, à morte liberatur. Nõ destituimur iustis scripturæ testimonijs. In lege phas non erat ante octauam diem circumcidere infantulum. At certum est plurimos ante octauam migrasse ex hoc sæculo: interim uero si quis puellus triduo aut quatriduo à natali excessisset, nulla ei imputabatur condemnatio. Alioqui enim Dauid uir in religione integerrimus, & liberorũ amantissimus, salutisq; suæ familiæ cupidissimus, mortuo infantulo suo ex Bersabea genito, non potuisset se adeo hilarem exhibere aulicis suis, quibus inter alia prædicabat se abiturum ad puerum mortuum, nimirum in regionem uiuentium. Quod si fœmellis nõ erat fraudi incircumcisis mori: nam incircumcisæ saluabantur; certè nec masculis damnabile erit non baptizatis, in articulo necessitatis, decedere. Sæpe enim diximus in locum circumcisionis subijsse sanctum baptisma. Huc pertinent illa ex lege atque prophetis testimonia. In lege enim non semel protestatus est se infantium habere rationem certissimam. Apud Ionam diserte profitetur se habere rationem eorum qui nondum ad annos discretionis peruenerunt. Propter hos enim ex parte Niniue urbi famosissimæ pepercit dominus.

De salute infantium excedentiũ sine baptismo.

Ais hæc ueteris testamenti testimonia nihil pertinere ad nos, qui uiuimus sub nouo testamento. Respondeo, deum nobis post ad-

uentum Christi in carnem non seueriorem esse factum, quàm fuit ante Christi aduentum. Alioqui enim quid dicemus aliud quàm Christum uenisse non ad implendas, sed abolendas aut infirmandas dei promissiones: quando apud ueteres quondam gratia & promissio sine signo in necessitate efficax erat, nunc autem apud nos sine signo irritæ & inefficaces esse cœperunt. Diuinæ ergo confisus misericordiæ ac ueraci & indubitatæ promissioni, credo paruulos præpropera morte priusquam baptizari possint decedẽtes, mera dei gratia in uirtute ueritatis aut promissionis diuinæ saluari per Chri-
Marc.10. stum, dicentem in euangelio, Sinite paruulos uenire ad me: horum
Matth.18. enim est regnum dei. Item, Non est uoluntas patris mei, qui in cœ-
Gene.17. lis est, ut pereat unus de pusillis istis. Dixit enim qui mentiri nescit
1.Cor.7. deus, Ego sum deus tuus & seminis tui post te. Vnde & S. Paulus eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur, asserit: non quod ex carne & sanguine sanctum quid nascatur. Quod enim ex carne est, caro est: sed quod sanctitas illa et segregatio à communi hominum semine ex promissione & iure fœderis sit. Omnes quidem nascimur filij iræ & mortis natura & propagatione naturali: sed speciale priuilegium tribuit Paulus fidelium liberis, quo gratia dei purifi-
Rom.11. cantur qui natura fuerant immundi. Ita idem alibi ex radice sancta
Rom.5. sanctos colligit ramos. Idem alibi, Si unius delicto, inquit, multi mortui sunt, multo magis gratia dei & donum per gratiã quæ fuit unius hominis Iesu Christi in multos exuberauit. Ideoq; non dubitauit Augustinus pronunciare, Sicut omnes qui moriũtur non nisi in Adam moriũtur: ita omnes qui uiuificantur non nisi in Christo uiuificantur. Ac per hoc quisquis nobis dixerit quenquam in resurrectione mortuorum uiuificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est. Ad Hierony. epist. 28.

Obijciunt, Hac ratione euacuatur & è medio tollitur usus baptismi: reuixit autem Pelagianismus, quem tanto cum labore S. Aurelius Augustinus cum multis alijs uiris doctis et sanctis oppressit:
Gene.17. falsum pronunciauit qui dixit, Anima cuius caro præputij non fuerit circumcisa delebitur de populo suo, quia pactum meum irritum
Ioan.3. fecit: falsum pronunciauit qui dixit, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu non potest ingredi in regnum dei. Si autem uera ista sunt & pueri non baptisantur, certè consequens est eos sine baptismo decedentes nõ seruari. Respondeo, me nullo modo sanctum baptisma extenuare, multò minus tollere è medio, cum contendo necessitate interueniente, nec ullo accedente aut contemptu aut neglectu prauo, infantes sine baptismo decedentes non damnari.

damnari. Sic enim alligaretur salus signo, & euacuaretur dei promissio, quasi sola sine signo, in articulo necessitatis, inanis nihil efficeret, manusq; dei abbreuiata, & ueluti signo uincta esset. Alioquin enim modis omnibus doceo infantes esse baptisandos, nec neglectim aut malitiose differendum baptisma: interim uero si præpropera morte expirent non baptisati, bene sperare iubeo de ueritate & misericordia domini in lege & in euangelio promittentis se deū esse infantium, nolleq; ut quisquam paruulorum pereat.

Cum Pelagio & Pelagianis nihil nobis est cōmertij: nec ignoramus quid hac in caussa scripserit S. Augustinus. Ad Hieron. epist. 28. Quisquis dixerit, inquit, quod in Christo uiuificantur etiam paruuli qui sine sacramenti eius participatione de uita exeunt, hic profecto & contra apostolicā prædicationem uenit, & totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptisandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo uiuificari omnino non posse. Et contra Pelagianos epist. 106. Apostolica sedes contra Pelagium agens anathematizauit eos qui dicerent infantes non baptisatos habere uitam æternam. Idem de anima & eius origine lib. 1. cap. 9. ad Renatum disputat contra Vincentium Victorem, concedentem quidem paruulos originali peccato esse obstrictos, sed nihilo minus tamen saluari si non baptizentur. Contra hunc producit hoc saluatoris, Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum dei. Nos uero qui & ipsi Pelagium & Pelagianos condemnamus, utrūq; quod isti negabant asserimus, nempe nasci infantes in originali peccato, & ideo sanctificationem Christi eis esse necessariam, sine qua non saluantur. Rursus baptizandos, si possibile sit, eosdem illos contendimus, tametsi iure fœderis ad corpus Christi pertineant, & sanguine Christi sanctificati sint. Pelagius nō baptizādos esse paruulos docebat, quod noxa culpa uel peccato omni carere existimaret: ergo nō agnoscebat impius uel corruptionē nostram, uel beneficiū, quod deus præstitit per Christum. Neutrū uero in nostra assertione & doctrina inuenias, proinde nihil nobis cōmertij cum Pelagianis. S. Augustinus disserte in eadem illa ad S. Hieronymum epistola dicit, Non es ex illis qui dicunt nullum reatum esse ex Adam tractum qui per baptismum in infante soluatur. Et cōtra Iulianum lib. 1. cap. 2. patrū quoq; sanctorum sententijs astruit originale peccatum, deinde colligit, ideo baptisandos esse paruulos, quia peccatum habent. Nam Pelagiani ex contrario colligebant, Peccatum non habent, ergo non sunt baptisandi. Concilium enim Carthaginen. ad Innocent. sic scribit, Pe

Pelagiani negant pæ dobaptismum, & quarent

lagiani paruulos negant baptisandos. Quia isti, inquiunt, non perierunt, nec est quod in eis saluetur: quia nihil est in eis uitiatū, &c. Nos uero quia credimus paruulos in peccato nasci, adeoq; & filios iræ nasci & uitiatos esse, præterea quia credimus filium dei pure ex illibata uirgine natum ad implendas confirmandasq; dei promissiones, quæ infantes ex salute non excludunt, sed in fœdere includunt, ideo eos baptisandos esse contendimus. Iccirco & collectionem hanc Augustini, Extra Christi consortiū ad uitam nemo peruenit: baptismo autē incorporamur Christo: ergo infantes non baptisati, sunt extra consortiū Christi, ac condemnati, simpliciter probare nō possumus. Sicut enim nō negamus nos inseri corpori Christi per sacramentorū participationem: sicuti declarauimus proxime præcedenti Sermone de Sacramēt. ita ostendimus alibi, & iam sæpe luculentissime non à sacramētis primum fieri initium nostræ cum Christo unionis, sed eam ipsam quæ in promissione fundata est, & gratia dei per spiritum sanctum nobis & nostris etiam ante sacramentorū usum cōmunicata, per sacramentorum perceptionē continuari et obsignari. Tametsi ergo infans fine baptismo discedat, nec uisibili fœderis signo, necessitate excluſus, participet aut obsignetur, tamen in uniuersum nō est alienus à Christo, cui adhæret spirituali fœderis nexu, cuius uirtute saluatur.

De peccat. meritis & remiss. lib. 3. cap. 4.

Expositio loci, Anima incircūcisa excindetur.

Locus Gen. 17. productus de excindendis è populo dei incircūcisis, pro ratione temporis, adultis, non infantibus cōpetit. Id quod in Mose cernitur, quem ob neglectam aut diutius iusto dilatā circūcisionē inuadit angelus domini, sicut ipse de seipso testatur. Nec ignoro ueteres aliq̄t interpretes id non ad Mosen, sed ad Eleazarū, Mosis filiolum, referre. Verū ipse historiæ contextus, ipsæ circūstantiæ, satis euincunt periculum in patrē non in filium incubuisse. Quid quod in uerbis legis ratio subiicitur, quę infantibus nullo modo cōgruit? Ideo peribit incircūcisus, ait, quia pactum meum irritū fecit. Quod si cōsideremus circūcisionem eo ipso loco non tantū infantibus, sed adultis ut Abrahæ Ismaeli alijsq; iam consortio dei uisibiliter coniungi cupientibus præceptam esse, non mirabimur interitū inobsequenti esse interminatū. Nam si quis hodie intelligat domini institutionem his eius cōprehensam uerbis, Qui crediderit & baptisatus fuerit, salus erit, nihilo minus baptizari nolit, sed iactitet sibi fidem sufficere ad salutē, baptismum esse superuacuum, ordinationē dei contempsit, & pro rebelle & hoste non amico dei cōdemnatur.

Expositio loci, Nisi quis natus fuerit ex aqua, &c.

Porrò locus Ioan. 3. non est intelligendus de externo sancti baptismi symbolo, sed simpliciter de regeneratione sancti spiritus interna

terna & maxime ſpirituali, quam cum Nicodemus nõ liquide intelligeret, parabolis aquæ & ſpiritus, id eſt, uenti uel aëris, per elementa, inquã, maxime tenuia, ſuffigurauit illuſtrauitq;. Mox enim ſubiicit, Quod natũ eſt ex carne, caro eſt, &c. Item, Spiritus ubi uult ſpirat, &c. Id quod de aëre exponi neceſſe eſt. Sequitur enim altera pars collationis, Sic omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Præterea ſubdit, Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo ſi dixero uobis cœleſtia credetis? Cæterum argumentum quod propoſuit planè non fuit terrenum. Hoc enim eſt totius diſputationis argumentum, Niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt uidere regnum dei: id eſt, niſi quis per ſpiritũ dei, qui è ſupernis datur, id eſt, diuinitus infunditur, fuerit innouatus, & ueluti regenitus, non poteſt ſaluus fieri. Hæc doctrina planè cœleſtis eſt. Sed modus quo hanc doctrinam cœleſtem tradidit, illuſtrauit, ac propoſuit, terrenus eſt. Rebus enim è terra ſumptis craſſo homini terrenoq; rem ſpiritualem & cœleſtẽ adumbrauit, & ueluti oculis conſpiciendam propoſuit. Sicut aqua & aëre non raro corporum qualitates mutantur, & mirus eſt effectus in corporibus aëris & aquæ: ita etiam ſpiritus ſancti in anima hominis, quam immutat, purgat, uiuificat, &c. Sic enim ipſe dominus poſtea (quod & modo dixi) parabolam ſpiritus alteram illuſtrat. Quoniã uero ueteres plerique omnes per aquã intellexerũt ſymbolicam, id eſt, ſanctum baptiſma, recipimus & hanc interpretationem. Libenter enim concedimus baptiſmum tam in adultis, quàm in infantibus ad ſalutem eſſe neceſſarium, modo non interueniat neceſſitas. Alioqui enim ſi pergamus cum S. Auguſtino præfracte cõdemnare per hunc locũ infantes, cogemur profecto etiam baptiſatos, ſed ſine communione corporis & ſanguinis Chriſti decedentes, condemnare. Pari enim errore circũuentus S. Auguſtinus, contendit & infantibus ingerendum eſſe ſacramentum euchariſtiæ, alioqui de uita periclitaturis: eo quod ſcriptum ſit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Eodẽ ergo ordine collocat has duas ſententias, Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt uidere regnum dei: &, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Si ergo Auguſtinianæ ſententiæ mordicus inhærere libeat, damnabis certe totam eccleſiam hodie, quæ infantibus euchariſtiam negat. At ſi hac in re admiſſa eſt cõmoda interpretatio, cur in altero & ſimili loco & cauſſa non diſpari tam rigidi & pertinaces eſtis?

De peccat. meritis & remiſſ. lib. 1. cap. 20. Ioan. 6.

Quid quod in hoc dogmate ne ſibiipſi quidem per omnia ſatisfacit Auguſtinus? Putat ueniale peccatũ eſſe laico, ſi in tempore ne-

ceſſitatis baptizet. Neſcit an quiſquã pie dixerit laici baptiſmũ eſſe repetendum. Quanto uero ſatius & tutius fuerat, præterita baptiſandi neceſſitate, quæ nullas legitimas cauſſas habet, ſentire infantulos, ſi à morte non prçoccupati fuerint, à miniſtro eccleſiæ in eccleſia procurantibus parentibus prima quaq; opportunitate baptiſandos eſſe: præproperam mortem autem (quã nos neceſſitatis articulũ appellamus) non eſſe fraudi aut ſalutis impedimentum ad baptiſmum nondum delatis. Idem de pœna paruulorum damnatorum propter baptiſmum non ſuſceptum, definire trepidat, nec quid certò dicat, habet. De Anima & eius origine lib. 1. cap. 9. Non baptiſatis paruulis, inquit, nemo promittat inter damnationem regnum q; cœlorum quietis uel felicitatis cuiuslibet atq; ubilibet quaſi medium locum. At ea ſentẽtia hodie eſt recepta ferè ab oĩbus: unde & medio quodam loco inter prophanum & ſacrum ſepeliuntur in cœmiterio innocentum. Rurſus autem idem ille Auguſt. contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 8. ſcribit infantulos illos in damnatione omnium leuiſſima futuros. Ac mox ſubiungit, quæ, qualis, & quanta erit, quamuis deffinire non poſſim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent potius expediret. Et iterum in epiſt. ad S. Hieronymum 28. Cum ad pœnas uentum eſt paruulorum, inquit, magnis mihi crede coartor anguſtijs, nec quid reſpondeã prorſus inuenio. His accedit, quod lib. cont. Donatiſtas 4. cap. 22. & 23. de latrone cum Chriſto crucifixo diſputans, inter alia dicit, tunc impleri baptiſmum inuiſibiliter, cum non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis, à uiſibili baptiſmo excludit: cur ergo nõ credamus & in infantibus præpropera morte decedentibus baptiſmum inuiſibiliter perfici, quando non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis eos à uiſibili baptiſmo excludit? Et cum pleriq; hodie concedant, quemuis adultæ ætatis hominem citra baptiſmum in articulo neceſſitatis ſaluum fieri poſſe, modo adſit baptiſmi deſiderium: cur ergo infantes iam recens natos pia parentum uota à reatu non eximerent? Sed hæc hactenus.

Qui nam baptiſandi ſint?

De eo quoq; & olim & noſtra ætate rixatum eſt acriter, qui nam baptiſandi ſint. Negauit olim Pelagius paruulos eſſe baptiſandos. Id q̃d modo audiuimus. Negauit eos baptiſandos eſſe ante Pelagiũ Auxentius Arianus cũ ſuis. Negarunt quidã tẽpore beati Bernardi, ut ex eius ſcriptis colligere licet. Negãt hodie anabaptiſtę, genus hominũ in perniciẽ euãgelij à ſathana excitatũ. At ueritas catholica in ſcripturis ſanctis nobis tradita ſimpliciter pnũciat, oĩs eos eſſe baptiſandos

sandos quos deus agnoscit, p suo populo, participesq; purgationis uel sanctificationis remissionisue peccatorũ iudicat. Nam tota hac tractatione de Sacramentis ostendi & demonstro, baptismum esse signum populi dei & symbolum purgationis nostræ per Christũ. Ergo cum infantes fidelium sint in numero uel censu populi dei participesq; promissionis de purificatione per Christum: necessario sequitur eos esse perinde baptizandos sicut adultos fidem profitentes.

Instituitur quidem disputatio acuta de eo qui nam sint populus dei & participes remissionis peccatorum per Christum. Differitur ergo de arcana illa dei electione, & de alijs huic rei coniunctis difficillimis quæstionibus. Verum breuius & simplicius hic nos expedire possumus. Dicimus populum dei agnosci, uel ex confessione fidei hominum, uel ex liberali promissione dei. Ex confessione quidem hominum. Nam eos pro filijs dei agnoscimus, qui iam adulti palàm confitentur deum uerum, deum esse suum, & Iesum Christum saluatorem esse suum. Cæterum ea confessio uel uere, uel ficte fit. Vere, ut cum S. Petrus ait, Tu es Christus filius dei uiui: cum Eunuchus dicit, Credo filium dei esse Iesum Christum. Ficte uero, ut cum Simon magus in Actis apostolorum dicit se credere in Iesum Christum. Siue uero uere, siue ficte quis credat, quando fidem in Christum palàm confitetur (animi penetralia solus inspicit deus: hic enim solus recte creditur cordium esse scrutator) nostrum non est recte confitentem separare uel abijcere à populo dei. Nam & Philippus Simonem magum non repulit, sed pro fideli confitentem recepit & pro fideli baptizauit: licet is reuera & coram deo esset hypocrita. Sermone huius Decad. 1. ostendimus in ecclesia hypocritas quoq; numerari donec reuelantur. Quod autem ad remissionem peccatorum attiner, soli inter adultos illi eam obtinẽt, qui uere credunt. Id quod aliàs sæpe ostensum est. S. Petrus Simoni licet baptizato, dicit, Non est tibi pars, neq; sors in ratione hac. Cor enim tuum non est rectum coram deo.

De eo quinã sint populus dei.

Act. 8.

Porrò ex promissione dei gratuita & liberali non tantum ex confessione hominum ęstimamus uel agnoscimus dei populum. Nam quibuscunq; promittit deus se ipsorum fore deum, & quoscunq; recipit ipse & agnoscit pro suis, eos nemo hominum citra grande scelus numero excluserit fidelium. Promittit autem deus se non tantum confitentium, sed & infantium fore deum: promittit his gratiam suam & remissionem peccatorum. Quis ergo domino uniuersorum contradicens porrò negauerit infantes dei esse, ac purgatio-

nis per Christum fieri participes? Quod autem deus infantes pro suis agnoscat, & eosdem sanctificet, uel ex fœderis summa claret.
Gen.17. Statuam pactum meum inter me & te, ait ad Abrahamum dominus, & inter semen meũ post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim deus tuus & seminis tui post te. Addita est Circumcisio symbolum sanctificationis. De quo abunde satis dixi cum ex ordine dissererem de Circũcisione. Nec est quod quis metuat cum circumcisione legalibusq; abrogatam esse promissionem, & per Christi aduentũ fœdus esse dissipatum. Modo enim diximus Christum uenisse adimplendis dei promissionibus, non dissoluendis. In euãgelio ergo de infantibus, id est nondum cõfitentibus fidem, pronunciauit & dixit, Sinite paruulos uenire ad me, nec prohibueritis eos. Talium enim est regnum dei. Et quamuis Talium, non Illorum dicatur, nemo tamen usq; adeo rudis est, ut non intelligat inter ea quæ inter se conferũtur esse similitudinem. Proinde si adultorum est regnum dei, eo quod similes efficiũtur paruulis, certè consequitur necessario regni cœlorum hæreditatem & infantium uel puellorum esse. Sequitur enim in euangelio, Quicunq; non acceperit regnum dei tanquam puellus, haudquaquam ingredietur in illud. Iccirco oportet prius esse regni dei hæredes infantes uel paruulos. Quis autem nesciat, neminem nisi sanctificatum purgatúmue ingredi in regnum cœlorum? Pueri ingrediuntur regnum dei: ergo purgati sunt, nimirum gratia dei; natura enim & origine sua immundi et peccatores, sed propter Christum purgati sunt: qui dixit se uenisse quæsitum seruatumq; quod perierat. Paulus quoq; diserte testatur per unius Adami delictum, malum propagatum est in omnes homines ad condemnationem: ergo & per unius Christi iustificationem propagari bonũ in omnes homines ad iustificationem uitæ. Certum est itaq; infantulos purificationis uel remissionis peccatorum per Christum esse participes, licet non confiteantur remissionem peccatorum. Quid quod in euangelio rursus ait dominus? Nõ est uoluntas coram patre uestro, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Item, Qui receperit unum puellum talem, in nomine meo, me recipit. Qui autem offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria &c. Videte ergo ne contemnatis unum ex pusillis istis, Dico enim uobis, quod angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. En quid dici poterat clarius? Non est uoluntas patris cœlestis ut intereãt infantuli. Recepit ergo eos in gratiam gratuito, licet nondum confiteantur. Deinde, Qui talem, qualem nimirum ipse produxerat

duxerat in medium, recipit puellum, propter Christum, is ipsum dicitur recipere Christum. En tribuit infantium receptoribus quod prophetarum. Addit, Qui autem offenderit unum de pusillis istis, *Infantes eō qui in me credunt.* Manifeste paruulos nondum confiteri potentes, *fitentes uel credentes uocat, eo quod ex gratia eos pro credētibus reputet. Nec credentes,* mirum aut nouum hoc est, cum deus ipsis etiam adultis fidem imputet pro iustitia. Vtrobiq; iustitia, acceptatio, aut sanctificatio, est gratuita & imputatiua, ut laudetur gloria gratiæ suæ. Præterea non uult contemni, multo minus reijci è numero sanctorum paruulos. Quinimo angelos his additos asseuerat custodes, qui tametsi sint diuinæ maiestatis ministri, eosdem tamen illos suos stipatores parum lis esse datos, siue concessos: ut uel inde æstimemus quanti faciat dominus infantulos, & ut discamus illos non expungere ex albo populi dei, cui debetur uitæ hæreditas. Nihil hic tribuimus carnali natiuitati, sed omnia diuinæ gratiæ & promissioni. Claret iam ex his omnibus & infantes fidelium & adultos fidem confitentes esse baptizandos.

Ex aduerso autem anabaptistæ contendunt, neminem esse baptizandum, nisi eum solum qui & doceri & credere, adde & fidem profiteri possit. Atq; in huius rei confirmationem adducūt illas sal- *Anabap.* uatoris sententias. Ex Matth. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris &c. Ex Marco, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit &c. En doctrina præcedit, inquiunt, baptismum. Ergo qui doceri non possunt, baptizari non debent. Præterea præit credere, subiungitur baptizare, Infantes non credunt: ergo baptizandi non sunt. Ad hæc omnia, coaceruant ex Actis apostolorum exempla quæ probant fideles, hoc est fidem confitentes, esse baptizatos ab apostolis. Commemorant & Catechumenos ueterum: quibus nullus sane fuisset locus datus, inquiunt, si baptizassent infantes. Respondeo, Si uerborum ordo aliquid facit in hac causa, habemus & nos quod pro causa nostra faciat. Nam in Matco sic legimus, Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismū pœnitentiæ. Quo loco cernimus baptizare præcedere, subsequi prædicare. Sed & illum ipsum locum quem illi pro se adducunt ex Matthæo demonstrabimus facere pro nobis. Matthæus enim sic habet, Data est mihi omnis potestas, ait dominus, in cœlo & in terra: euntes ergo μαθητύσατε id est discipulate (ut sic dicam) id est discipulos mihi facite uel colligite omnes gentes. Sed et modum indicat, quomodo colligant ei ex omnibus gentibus, uel omnes gentes, discip- *Quibus argumentis Anabap. doceant infantes non esse baptizandos.*

los, Baptizantes eos atq; docentes. Baptizando & docendo comparabitis mihi ecclesiam. Ac utrumq; pulchre & breuiter figillatim illustrat, dicens, Baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Iam ergo baptismus præit doctrinam. Verum nos inde non colligimus gentes, quæ nunquam quicquam prius de deo & filio dei ac spiritu sancto audierunt baptizandas esse, neq; uero id sustinerent: sed hæc proferimus ut ostendamus quàm non solido fundamento innitantur anabaptistæ. Dicimus autem simpliciter uerum non esse quod isti fingunt, dominum iussisse eos duntaxat tingere, quos docuerint apostoli. Neq; uero hic designat qui baptizandi sint in uniuersum, sed loquitur de adultis primisq; fundamentis fidei & ecclesiæ collocandis inter gentes, rudes adhuc & ignaras religionis. Adulti, non infantes, prædicationem uel doctrinam audire, credere & confiteri possunt, infantes non item. Nihil ergo hic loquitur de infantibus. Verum ideo nõ excluduntur à baptismo. Generalis lex est, Qui non laborat, non manducet: uerum quis adeo barbarus ut ideo putet infantes fame esse necandos? Dominus misit apostolos suos ab initio propagationis ueræ religionis in omnes gentes, ad eos qui & deum ignorabant & alieni erant à testamentis dei, hos certe non primum tingere, deinde docere oportuit, sed primum docere, deinde tingere. Si hodie proficisceremur ad Turcas conuertendos ad fidem Christi, primum certè doceremus, deinde baptizaremus seruos Christi deditiosq;. Ita ipse quoq; dominus quondam cum ipso Abrahamo primum reparauit fœdus, ac instituit circumcisionem obsignationem fœderis, deinde uero Abraham circumcisus est. At idem ille cum intellexisset infantes quoq; pertinere ad fœdus, & circumcisionem esse fœderis obsignationem, non Ismaelem duntaxat tredicim annos natum & uernaculos domus suæ, sed & infantes, inter quos & Isaacum numeramus, postea circumcidit. Ita fideles qui ex gentilismo conuertebantur per prædicationem euangelij, & baptizabantur confitentes, ubi intellexissent infantes suos reputari in populo dei, & baptismum esse symbolum populi dei, etiam infantes suos baptizari curauerunt. Quemadmodum ergo scriptum est de Abraham, Omnes mares domus suæ circumcidit. Ita nõ raro legimus in Actis & scriptis apostolorum patrefamiliâs conuerso totam eius domum esse baptizatam. Quod uero ad Catechumenos attinet, accedebant apud ueteres ex gentibus quotidie ad ecclesiam, quos isti in fide rudes instituebant in elementis fidei, deinde uero baptizabãt. Sed illi ipsi ueteres nihilo minus & fidelium infantes

Catechumeni.

infantes baptizabant. Id quod mox demonstrabimus.

Nec legitime colligunt cum ita concludunt, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Pueri non credunt, ergo non sunt baptisandi. Rursus enim de adultis, sicut & apud Matthæum, constat esse locutum. Quoniam uero ab adultis fidem, fideiq; confessionē requirit, inde non est consequens quod idem requirat ab infantibus. Hos enim pro suis reputat etiam sine confessione, ex mera sua gratia & libera promissione. Vnde nos ex aduerso sic argumentamur: Credentes sunt baptisandi. Id quod ipsi quoq; aduersarij concedunt. Infantes sunt credentes. Nam deus reputat eos in numero fidelium. Id quod superius manifeste probaui. Proinde infantes sunt baptisandi.

Infantes baptismū mysteria non intelligentes.

Obijciunt infantes mysterium baptismi non intelligere, ac proinde cum ratione ac sensu communi non modo cum religione pugnare, baptizare infantes. Perinde enim esse truncum & infantem baptizare, cum neutrum utatur ratione. Cæterum laxant impuras suas linguas impuri nebulones in ipsam dei maiestatem. Deus iussit circūcidere infantulos: & circūcisio grandia continuit mysteria, quæ infantuli non intellexerunt. An uero deus quicquam instituit contra rationem & sensum communem? Abite quò digni estis tenebriones cum uestris blasphemijs. Impurissimum uero et plus quàm barbarum est, quod infantes cum truncis confertis. Quanti enim faciat deus infantes, iam ante ex euangelio docuimus. Cæterum diligentissime & sedulo docendi & cōmonefaciendi sunt homines ratione sana iam uti incipiētes, ut meminerint se esse baptisatos, & ut conentur dei inuocato nomine per omnia respondere suo uoto & suæ professioni. Ita uero Abraham Isaacum suum instituit, & liberos suos sancti patres omnes.

Baptismum paruulorū esse ex deo, & apostolos baptizasse infantes.

Sed præteritis furiosis, rabiosis, maledicisq; illis rixatoribus, quibus nulla unquam uerba deesse audiuimus, quantūlibet sæpe & se tio cum eis contulerimus, pergamus paucis, sed euidentibus argumentis demonstrare paruulos esse baptisandos, adeoq; Christi dominī apostolos baptizauisse infantes. Dominus iussit baptizare omnes gentes: ergo & infantes. Hi enim comprehenduntur sub omnium gentium uocabulo. Item, Quoscunq; deus inter fideles accenset, fideles sunt. Petrus enim audiuit, Quod deus purificauit, tu ne cōmune aut immundum dixeris. Paruulos reputat deus inter fideles: sunt ergo fideles: nisi malimus deo repugnare, & ipso uideri fortiores. Iam uero extra contrauersiam ponimus, Apostolos Christi eos baptizasse, quos Christus baptizare iussit. Iussit autem fideles

Actō. 10.

baptizare: itaq; apostoli baptizarunt infantes.

1. Cor. 1. Euangelium maius est baptismo. Paulus enim dixit, Dominus misit me euangelizare, non baptizare: non quod hoc negaret absolute se ad baptizandũ non esse missum, sed quod doctrinam præferret. Vtrũq; enim cõmendauit apostolis dominus. Porrò in doctrina euangelica recipiuntur pueri à deo, non repudiantur: quis ergo nisi cum ratione insaniens excludat ex minoribus? In sacramentis considerantur res signata & signum. Illa potior est. Ab illa non excluduntur infantes. Quis ergo signum neget? Etenim sancta dei sacramenta magis ex uerbo q̃ signo æstimantur. Ex uerbo colligimus, & mulieres non excludi cœna dominica. Quanq̃ ergo non legamus eas in prima institutione fuisse, & ad primã domini mensam assedisse, neq; ulla lex expressa extet quæ iubeat illas admittere ad cœnã, nihilo minus ad cœnam intrepide & sine dubitatione ex syllogismo admittimus.

Act. 10. S. Petrus illis baptismũ aquæ negare non potuit, quibus uiderat datũ esse sanctum spiritum certissimũ populi dei signũ. Dicit enim in Actis apostolorũ, Num quis prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi qui spiritũ sanctum acceperunt sicut & nos? Proinde nõ negauit sanctus Petrus baptismũ infantibus. Certò enim agnouit uel ex doctrina domini & magistri sui, ut nihil nunc dicã de fœdere dei æterno, infantiũ esse regnum cœlorũ. Nemo autem recipitur in regnũ cœlorũ, nisi sit amicus dei. Et hi nõ destituuntur spiritu
Rom. 8. dei. Qui enim spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Pueri sunt dei, ergo non destituũtur spiritu dei. Ideoq; si perinde spiritũ dei acceperunt ut nos, si numerãtur perinde in populo dei ut nos adulti: quis obsecro prohibebit hos aqua tingi in nomine domini? Olim obstrepebant apostoli nondũ satis instituti infantes ad dominũ apportantibus. Sed increpabat eos dominus ac dicebat, Sinite paruulos uenire ad me. Cur ergo non obediunt præcepto domini rebelles anabaptistæ? Quid enim aliud faciunt hodie, qui pueros ad baptismum adferunt, q̃ quod fecerũt olim qui ad dominũ infantes attulerũt? Et dñs quidẽ recepit illos, benedixit eis impositis manibus: deniq; uerbis & gestibus significauit luculentissime pueros esse populũ dei, & deo cõmendatissimos. Sed quare nõ eadẽ opa, inquiũt,
Ioan. 4. baptizauit eos? Quia scriptum est, Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius. Præterea cũ de re usqueadeo liquide constat, quid contendimus adhuc de signo? Hactenus uiris bonis satisfactũ est, rixatores pergunt quæstiones nectere. Præterea data est in ueteri populo dei circũcisio infantibus: ergo baptismus debet dari infantibus in

nouo

nouo populo. Nam baptismus successit in locũ circũcisionis. Nam S. Paulus, Per Christũ estis circũcisi, ait, circũcisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorũ carnis per circũcisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismũ. En appellat Paulus baptismum circũcisionem Christianam, quæ fiat sine manibus: non quod aqua non administretur manibus, sed quod manibus nemo amplius circũcidatur, mysterio circũcisionis manente nihilo minus in fidelibus. Nec legas quenq; ueterum ecclesiæ interpretũ non confessum, in locum circũcisionis baptismum subijsse. Sed & parilitas uel similitudo utriusq; manifestam successionem ostendit. *Coloss. 2.*

His aũt hæc atteximus, Serui dei semper fuerunt soliciti his signa dare, quibus sunt instituta. Vt enim omnes alios prẽteream, an non Iosue diligentissime curabat circũcidi populum priusquã ingrederetur terrã promissam? Cum autẽ fidelissimi fuerint serui Iesu Christi prædicatores orbis apostoli, cui posthac dubium erit ipsos baptizasse infantulos, cum baptismus subierit in locum circũcisionis? *Iosue 5.*

Certe apostoli Christi omnia sua attemperarunt ad typos & figuras testamenti ueteris, ergo & baptismum attemperasse certum est, ideoq; & infantulos baptizasse. Quoniam hi fuerunt in typo baptismi. Nam populus Israelis, & mare rubrum, & alueum Iordanis transijt cum liberis. Et quamuis hi non semper exprimantur, sicuti nec mulieres in scripturis sanctis, comprehenduntur tamẽ & subintelliguntur in his.

His accedit quod clarissime in scripturis traditur, apostolos totas domos siue familias baptizasse. Comprehenduntur autem in domibus in primis liberi: utpote præstãtissima & charissima domus pars. Baptizarunt ergo apostoli liberos siue paruulos, non tantum adultos. Quod autem domus in primis comprehendat infantes uel paruulos, nullo negotio demonstrari potest. Primum quidem ex loco Gene. 17. quem iam iam adduximus. Deinde quod Ioseph Iacobũ patrem cum uniuersa domo euocat ex terra Chanaan in terrã Aegypti, ne fame uidelicet domus eius intereat. Plurima sunt huius generis loca in lege & prophetis, & in uniuersa scriptura. Verum esto nõ fuerint infantes (quod rixatores isti obijciunt) in domibus, quas baptizarunt apostoli, nihilominus tamen ad domũ pertinent, & in eã censentur, ut si fuissent in domibus baptizassent eos utiq;. Quod ergo nõ baptisatos in familijs illis contendũt, eam quidẽ culpã nos dicimus nec in pueris hærere, quasi indigni fuerint baptismo, nec in apostolis, ut qui non soliti fuerint pueros baptizare, sed in eo, quod non adfuerunt. Nam si adfuissent, baptizati fuissent: eo quod

apostoli totas baptizarunt domus, ad quas liberi pertinent.

Infantium baptismus durauit à temporibus apostolorũ.

Iam uero ex ueterum scriptis demonstrare possumus, infantium baptismum durauisse ab apostolorũ temporibus ad nos usq; , neq; ullis conciliis aut Papæ aliorúmue hominũ decretis institutũ esse, sed ab ipsis apostolis ex scriptura traditum. Origenes lib. enarrat. in epist. Pauli ad Rom. 5. exponens 6. cap. dicit ecclesiam Christi parulorũ baptismum ab ipsis accepisse apostolis. S. Hierony. meminit baptismi infantium lib. 3. contra Pelagianos, & in epist. ad Læ tam. S. Augustinus citat locum Chrysostomi, imò à Iuliano citatũ illustrat lib. contra Iulian. 1. cap. 2. Idem ad S. Hierony. epist. 28. Beatus Cyprianus non aliquod decretum nouũ condens, aut, sed ecclesiæ fidem firmissime seruans, mox natũ rite baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit. Locus Cypriani extat in epist. ad Fidũ, sicuti supra etiã cum de tempore baptismi loqueremur ostendimus. Idem August. contra Donatistas lib. 4. cap. 23. & 24. asserit pædobaptismũ non ex authoritate hominũ aut conciliorũ esse petitũ, sed ex traditione uel doctrina apostolorũ. Cyrillus libro in Leuit. 8. & puerorum baptismũ approbat, & iterationem baptismi condemnat. Id quod non in hunc finem profero ut humanis imponã testimonijs pædobaptismum, sed ut doceã diuinis testimonijs congruere humana, & uetustatis ueritatem stare à partibus nostris, mendacia & noua figmẽta à partibus effrontiũ anabaptistarũ, fingentiũ pædobaptismum à Papa esse præceptum.

Historia Anabaptismi.

Videtur autem operæpretũ esse, ut nonnihil dicamus & de Anabaptismo. Decij & Galli Cæs. imperio exorta est in Africæ partibus quæstio de Rebaptisandis hæreticis. Placuit autem S. Cypriano & reliquis episcopis in Concilio Carthagineñ. cõgregatis anabaptismus. Idem Cornelio Rom. episcopo, reuera sancto & docto, adde & martyri, unà cum multis Italiæ episcopis displicuit. Hæreticos autem placuit post abiectionem praui, & confessionẽ recti dogmatis sola eos manuũ impositione purgandos. Legere hæc licet apud Euseb. Eccles. hist. lib. 7. Extat eiusdem rei tractatio, & in Dogmat. ecclesiast. cap. 52. Sciendũ est autem S. Cyprianum in hac caussa nihil asseruisse præfractius. In fine enim epistolæ ad Iubaianũ scribit, Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate rescripsimus frater chariss. nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus unusquisq; episcoporũ, quod putauerit faciat, habens arbitrij sui liberam facultatẽ.

Post illa tempora rebaptizarunt & Ariani & Donatistæ. De Arianis scribunt historici, & in primis Sozomenus lib. 6. Attingunt eandem rem alicubi & scriptores ecclesiastici. Contra Donatistas cum

cum alijs uiris doctis disputauit beatus Augustinus. Lata est & lex imperatoria ab Honorio et Theodosio, ne sanctũ baptisma iteretur. Retulit eam in Cod. libro 1. tit. 6. Iustinianus Cæs. hisce uerbis, Si quis rebaptizare quempiam de ministris catholicæ sectæ fuerit detectus, unà cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen crimĩnis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum fit, ultimo supplicio percellatur. Porrò Valentin. Valens & Gratianus ad Florianum Asiæ uicarium in hęc uerba præcipiunt: Antistitem qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus. Eorũ enim condemnamus errorem, qui apostolorũ præcepta calcantes, Christiani nominis sacramẽta sortitos, alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lauacri nomine polluentes. Hactenus illi. *Lex imperatoria cõtra Anabaptistas.*

Et reuera qui rebaptizant & rebaptizantur, prophanant & nomẽ domini, quod super baptizatos in priore baptismo inuocatum est, & reprobant dei institutum uelut inane & uitiosum. Non legitur Christus nisi semel esse baptizatus. Semel & non iterum baptizati sunt apostoli. Semel dũtaxat tincti sunt omnes sancti dei. Imò quos tinxerat semel Iudas, non leguntur à digniore ministro rebaptizati. Proximo enim sermone demonstraui integritatem sacramentorum non dependere à dignitate & indignitate ministri. Neque uero legas ullos apud ueteres esse secundo circumcisos, ne illos quidem quos constat ante Ezechiæ & Iosiæ regnum ab idololatris circumcisos ministris, sed non in idololatriam, sed in fœdus domini dei. Id quod & aliàs monuimus. Nephas ergo est repetere cæremoniam baptismi, & caret exemplo: neq; ulla hic interuenit necessitas. Quorsum enim attinet iterum baptizare, cum baptismus semel datus ad totũ pateat uitæ decursum? Præterea cum anabaptismus nihil aliud sit quàm compactio, coniuratio & contesseratio quædã in nouum & seditiosum, uel saltem superstitiosum consortium, in nouam schismaticamq; ecclesiam, & in nouum doctrinæ genus Christiano & apostolico ex diametro aduersum, certe mirum non est anabaptistas pertinaces publicis coherceri & puniri legibus. Nã sunt ista alioqui dãnabilia, & à Christiano magistratu minime dissimulanda aut ferenda. *Piaculum rebaptismi.*

Cæterum duo in præsenti loca opponunt nobis anabaptistæ. Priorem ex 5. cap. Iosue, ubi in hæc uerba legimus, Fac tibi cultros lapideos & circumcide secundo filios Israel. En secundo circumcidi non potuerunt, inquiunt, nisi prius quoque fuerint circumcisi. Respondeo Secundo circumcidere, uel iterato facere, non significasse. *Dissoluunt̃ur loci pro Anabaptismo adducti.*

cat id quod prius factum fuerat facere. Semel enim sublato præputio, quomodo semel ablatum iterum auferri potuisset? Quod ergo aliquandiu intermissum est, id nunc iterum repetitur, & secundo factum dicitur. Refertur itaq; secundo, non ad circumcidendos, sed ad ipsum tempus quo incircũcisi circumcidebantur. Primo enim circumcisi fuerant in Aegypto solenniter, antequã ederẽt pascha, iam ingressuri terrã Chanaan secundo solenniter circumciduntur, qui hactenus in deserto & profectionibus circumcisi non fuerant. Atq; ita sequitur mox in eodẽ capite, mares Aegypto egressos, in deserto mortuos esse omnes, filios autem horũ fuisse incircumcisos, unde eos iam oportuerit ut quondam patres eorum circumcidi. Nullum ergo in hoc legis testimonio præsidium habent anabaptistæ.

Duodecim uiri Ephesij non rebaptizati.

Posterius pro anabaptismo testimonium proferunt ex 19. cap. Actuum apostolorum: ubi aiunt duodecim illos uiros Ephesios aquæ & Ioannis quidem baptismo semel tinctos ab Apollo: sed eosdem mox rebaptizatos esse à Paulo in nomine Christi. Respondemus duodecim illos non iterum aqua baptizatos esse à Paulo. Semel fuerũt aqua baptizati, id quod eis sufficiebat. Neq; uero alium baptismum aquæ potuisset affundere Paulus, quàm Ioannis. Docuimus enim & euicimus ab initio huius Sermonis, Ioãnis, Christi & apostolorum aquæ baptismum unum esse atq; eundem. Ibidem exposuimus baptismum ignis uel spiritus Christo esse peculiarem.

Actorũ 8.

Viri ergo illi Ephesij baptizati quidem fuerũt baptismo aquæ, sicut & Samaritani à Philippo: sed nondum instituti erant plene de baptismo ignis, nec baptizati erant igne, imò fatentur se nescire an talis sit baptismus, hoc est, an sit spiritus sanctus, qui uisibili specie ignis illabatur hominibus. Absolute enim ignorare non potuerũt esse spiritum sanctum, sine quo utiq; non crediderant, imò in quem crediderant, siquidem recte crediderant: proinde baptismum illum ignis duntaxat ignorauerunt. Quemadmodum ergo Paulus & Ioannes Samaritanis imposuerunt manus, atq; hi protinus acceperunt spiritum sanctum. Ita Paulus Ephesijs imponit manus, & accipiunt spiritum sanctum. Lucas enim, His auditis, ait, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et ne quis hoc intelligeret de aquæ baptismo, mox subijcit modum & expositionem illustrem, Cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos. Hoc inquam appellarat baptizari in nomine domini Iesu. Sequitur enim, Et loquebantur linguis: & prophetabant. Hic autem semper fuit fructus & effectus baptismi ignis in primitiua ecclesia. Sicut ab initio huius sermonis ostendimus. Proinde non habent Anabaptistæ

ullum

ullum ex scripturis pro suo anabaptismo testimonium. Deserendos ergo & fugiendos esse bonis omnibus uident palàm omnes sana ratione uti uolentes. Satis autem uidetur cum his certatum: pergimus modo illa quæ in Baptismo restant explicanda, neq; postrema sunt, exponere.

De uirtute baptismi.

De uirtute enim & effectu baptismi differentes illum sequimur ordinem, quem adumbrauimus in descriptione baptismi, perstringentes saltem singula, quod copiosius de his diximus in generali consideratione sacramentorum. Præstat tamen ante omnia nouisse quid hostes ecclesiæ aliquando senserint de uirtute baptismi. Manichæi neminem suorum baptizauerunt. Nam docuerũt baptismum nihil salutis conferre percipientibus. Seleuciani, qui & Hermiani, baptismum similiter respuerũt. Messaliani, qui & Euchetæ siue precatores (sicut & in fine præcedentis Sermonis monuimus) & Enthusiastæ, numine inquam imò furore afflati, nuncupantur, senserunt baptismum neq; prodesse, neq; obesse cuiquam. Sic enim omnia salutis spiritus operationi internæ, imò precationi humanæ tribuebant, ut externa omnia etiam doctrinam tanquam inutilem & inefficacem fastidirent. Id quod de eis commemorat Theodoretus hist. eccles. lib. 4. cap. 11. Verum scriptura docet ablui nos baptismo à peccatis. Etenim baptismus est symbolum, testimonium, ac obsignatio purgationis nostræ. Deus enim promisit ecclesiæ suæ sanctificationem, idemq; pro ueritate sua, gratia sua per sanguinẽ filij sui purgat ecclesiã suã ab omnibus peccatis, & spiritu suo regenerat ac mundat, quę quidẽ purificatio obsignatur in nobis baptismo collato: atq; ideo appellatur in scripturis ablutio & remissio peccatorum, purificatio, renouatio, regeneratio & lauacrum regenerationis: quemadmodum circumcisio, fœdus & sacrificia, peccata atque sanctificationes nuncupantur. Legimus enim in euangelio secundum Marcum, Baptizabat Ioannes in deserto prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Idem & apud Lucam traditur In euangelio Ioan. 3. cap. baptismus purificatio appellatur. In Actis apostolorum dicit Petrus ad populum, quærentem quid faciat? Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Ananias quoq; Paulo dicit, Surge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu. Iã uero ipse Paulus, Christus, inquit, dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ, per uerbum. Proinde promissio, imò ueritas sanctificationis & remissionis peccatorum gratuitæ, inscribitur corporibus nostris cum ba-

Baptizatur in remissionem peccatorũ. *Marc. 1.* *Lucæ 3.* *Ioan. 3.* *Actо. 2.* *Actо. 22.* *Ephes. 5.*

ptisamur. Deus enim spiritu suo propter sanguinem filij sui animas regenuit ac repurgauit, regenerat atq; repurgat. Valetq; & efficax est baptismus in omni uita hominum, patet item & refertur ad omnia omnium baptizatorum peccata. Verax est enim promissio dei. Verax non fallax est sigillum promissionis. Semper efficax est Christi uirtus ad expurganda & delenda omnia suorum peccata. Quoties itaq; peccauimus in uita nostra, in memoriam reuocemus sancti baptismi mysterium, quo semel in uniuersæ uitæ nostræ decursum tincti sumus, ut agnoscamus neq; dubitemus peccata nobis nostra remitti ab eo deo & domino nostro, & per sanguinem quidem Christi, cui semel per baptismum sumus insiti, ut hic semper operetur in nobis salutem, usq; dum recipiamur ex miseria in gloriam. Nec dubium est quin tota uita sua Abraham circumcisionis mysterium exercuerit, ac in deo ipso & promisso sibi semine acquieuerit. Obseruandum tamen hic censeo id diligentissime, quod significãter inculcauit & S. Augustinus, peccata nobis in baptismo dimitti aut purgari, non ut non sint, (superstes enim concupiscentia uiget & parturit semper) sed ne imputentur: nec ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat, ut sit factis remissio non permissio faciendi. De fide & operibus cap. 20. Ac huius generis perplura citat & Gratianus Distinct. 4. de Consecrat.

Valet baptismus in omni uita hominis.

Colligimur baptismo in populũ dei.

Deinde colligimur baptismo in cœtum populi dei. Vnde à nonnullis appellatus est initiale uel initiationis signum, per quod uidelicet pateat ingressus in ecclesiam. Non quod ad ecclesiam non pertinuerimus prius. Nam ad ecclesiam pertinet, quisquis Christi est, fœderis illius æterni & promissionum dei particeps. Baptismus ergo est signum uisibile & testimonium nostræ insertionis in corpus Christi: & recte dicitur insitio, incorporatio uel insertio in corpus Christi. Diximus enim in communi consideratione Sacramentorum, primum nos baptismo coniungi cum Christo, deinde cum omnibus Christi membris, fratribus nostris. Paulus enim, Quicunque, ait, baptizati estis, Christum induistis. At Christum induere, est idem cum eo fieri, adeoq; ipsi compingi & incorporari, ut ipse in nobis uiuat, & nos in ipso. Solus enim ille per spiritum suum regenerat ac renouat nos, et omnibus donis largissime perfundit, quod & idem apostolus alibi hisce uerbis pronunciauit, Deus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Iesum Christum seruatorem nostrum. Ideo uero & Christus dominus in baptismo nostro baptizatus est, ut declararet se esse fratrem nostrum, nos eius cohæredes.

Galat. 3.

Titum 3.

Luc. 3.

Recte

Recte ergo dixit beatus Augustinus, ad hoc ualere baptismũ, ut baptisati Christo incorporentur, & membra eius habeantur. Idem baptismum appellauit sacramentum Christianæ societatis. Recolligimur enim uisibiliter per baptismum in unitatem corporis cum omnibus fidelibus quotquot fuerunt, sunt, atq; erunt. Nam & Paulus dixit, Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptisati sumus. Sequitur autem hinc baptismum seruire confessioni nostrę, ac tesseram recte dici Christianæ religionis. Nam nota uel symbolũ est, quo testamur & profitemur in Christianam religionem nos consentire: confitemur nos natura impuros, & peccatores esse, sed gratia dei per Christũ sanctificatos. Si enim puri fuimus natura, quid erat nobis ablutione opus? Iam uero cum abluti sumus, quis dubitet de ueritate dei? Vere ergo & libere confitemur baptismum recipientes, & peccatum quo cum nascimur, sed & gratuitam peccatorum remissionem.

1. Cor. 12.

Baptismus seruit confessioni nostræ.

Postremo admonet nos recordatio & consideratio mysterij baptismatis officiorũ pietatis: nempe ut tota uita nostra expendamus apud nosmetipsos diligentissime, cuius corporis membra facti simus, ut abnegemus nosmetipsos & mundum hunc, ut mortificemus carnem nostram cum concupiscentijs eius, sepeliamurq; cum Christo in mortẽ eius, ut resurgamus in nouitate uitæ, & uiuamus innocenter, ut amemus fratres nostros, tanquã membra nostra, cum quibus in unum corpus per baptismum sumus compacti: ut maneamus in uinculo concordiæ & unitate ecclesiæ, ne alienas sectemur religiones, memores nos in Christum baptisatos esse, cui uni consecrati sumus, et longe separati atq; diuisi ab omnibus alijs dijs, cultibus, siue religionibus, deniq; ab omnibus hæresibus. Cogitemus præterea constanter & fortiter pugnandum esse contra sathanam, & uniuersum sathanæ regnũ. Quoties ergo recordamur nos esse tinctos Christiano baptismo, toties animis nostris hæc suggeruntur, & officij nostri admonemur. Copiosius autem tractat hæc apostolus in 6. cap. epistolæ suæ ad Romanos, ubi diserte cõmemorat nos per baptismum insititios esse factos Christi, nimirum ut ex ipso ceu palmites ex uite succrescamus, sentiamusq; in animis & corporibus nostris & mortem & resurrectionem Christi. Quia enim spiritu Christi perfundimur, & hic in nobis agit, corpus quidem in diem moritur, spiritus autem uiuit, & in Christo exultat. Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

De ſancta domini cœna, quid ſit, à quo, quando, & quibus inſtituta, quo ritu, quando, & quoties celebranda ſit, de finibus eius. De genuino ſenſu uerborum cœnæ, Hoc eſt corpus meum. De præſentia Chriſti in cœna. De uera manducatione corporis Chriſti. De digne & indigne manducantibus: & quomodo ſe quiſq; præparet ad cœnam domini. SERMO IX.

SANCTO Chriſti domini Baptiſmo coniunctũ eſt ſacramentum corporis & ſanguinis dominici, quod appellamus Cœnam domini. Quos enim dominus regenerauit lauacro regenerationis, eos etiã epulo ſpirituali cibat, alit, ſuſtinetq; ad uitam æternam: cõſequenter ergo dicendum eſt de Cœna domini ſancta.

Vocabula Cœnæ domini. Varias hæc appellationes conſecuta eſt, ſicuti & epulum paſcha tis, in cuius locum ſubijt, dicebatur quondam Tranſitio, uel tranſitus domini, quod reuera erat tranſitus memoraculũ, Memoria, Signum, Solennitas, Feſtum uel feriæ, Conuentus, Celebritas uel cœtus ſacer, Cultus obſeruatio, Cæremonia et Victima tranſitionis, Sacrificium uel oblatio. De qua re ſuo loco diximus. Cœna domini ſic dicta eſt ab apoſtolo Paulo, ex eo nimirum quod hęc cæremonia à domino in ultima illa cœna eſt inſtituta, & quod ipſa ſpirituale nobis epulum inſtruitur. Idem Paulus eandem appellauit Menſam domini, haud dubie non diuerſas ob cauſſas. Ab eodem rurſus nuncupatur κοινωνία, communio, non tam quod cõmunionem habemus cum Chriſto, & hanc ille nobiſcum habet, quàm quod unus panis & unum corpus multi ſumus, qui de eodem pane participamus. Lucas appellauit Fractionẽ panis, à parte totum. Ac cõſtat ueteres non exhibuiſſe cœnantibus buccellas, ſed mutuum fregiſſe panẽ. Quondam arctiſſima fœdera fractione panis cõſecrabantur. Dicitur præterea Memoria & celebratio paſſionis dominicæ, Dominus enim dixit, Hoc facite in mei memoriam. Dicitur Euchariſtia, quoniã Cœnam domini celebrantes, gratias agimus domino pro omnibus beneficijs, pro morte in primis, per quam redempti ſumus. Dicitur & Symbolum, & myſterium, & ſacramentum corporis & ſanguinis dominici. Veteres nominarunt ferè Synaxim. Eſt autem σύναξις coniunctio, coactio, coagmentatio, ſiue conciliatio. Eccleſia enim Chriſto in ſacra Cœna perquam arctiſſimo fœdere coniungitur ac adunitur, deniq; ipſa inter ſe membra tenaciſſime conglutinantur. Dicta eſt præterea Conuentus ſanctorũ, cœtus ſacer, & collecta. Non enim celebrari antiquitus conſueuit, niſi in cœtu publico eccleſiæ.

Mẽſa domini.

Cõmunio.

Fractio panis.

Memoria paſſionis domini.

Euchariſtia.

Sacramentum.

Synaxis.

Conuẽtus.

Quod

Quod ex apostolo claret 1. Corinth. 11. Porrò nihil peccauerimus si Cœnam domini Testamentum dei & domini nostri appellauerimus. Inuenias enim hic quæ ad testamentum plenum pertineant omnia. Testator enim Christus est. Hæredes instituuntur omnes Christi fideles. Legatum est ipsa peccatorum remissio, & uita sempiterna, parta per traditum corpus & effusum Christi sanguinem. Verum literæ seu tabulæ testamenti huius sunt uerba Cœnæ domi nicæ, testificãtes ceu publico scripto Christum fidelium esse cibum ac uiram. Ipsa uero actio seu ritus instar sigilli est. Quemadmodum itaq; literas obsignatas testamentum scripto cõprehendentes & obsignantes, nuncupamus testamẽtum: ita ipse dominus Cœnã suam dixit testamentum. Hoc enim poculum, inquit, nouum testamentũ est in meo sanguine. Alioqui enim testamentum nouũ est peccatorum remissio. Id quod Ieremias diserte testatur cap. 31. & Paulus Hebr. 8. Habet hoc sacrum & alia uocabula, sed hæc maxime memorabilia & uulgaria. De alijs aliàs. *Testamentum.*

Cœnam domini definiunt ferè epulũ esse spirituale, quo dominus & mortem suam in memoria retinet, & suos ad uitã pascit. Liceat autem & mihi eius descriptionem paulò copiosiorẽ proponere in medium. Cœna domini, est actio sacra, diuinitus ecclesiæ instituta, qua dominus pane & uino in epulũ appositò, suam nobis promissionem & cõmunionem attestatur, donaq; sua nobis repræsentat, & sensibus subijcit, uisibiliter in unũ corpus colligit, mortem denig; suam in memoria fidelium retineri uult, & officij nos nostri monet, laudis & gratiarum actionis maxime. *Quid sit Cœna domini.*

Principio dicimus Cœnã domini esse actionem. Dominus enim ipsam instituens gratias egit deo, panem fregit, & poculũ distribuit, ac dixit, Hoc facite in mei cõmemorationem. Deinde non quæuis actio est (Ad cibariã enim mensam benedicimus etiam deo, panem frangimus, et poculum distribuimus) sed actio sacra, quia diuinitus & ecclesiæ quidem est instituta. Plurimum ergo differt à cibarijs & uulgaribus illis cœnis, cum quod singulariter à filio dei & ecclesiæ instituta est, tum quod uerbum dei & peculiare Christi exemplũ habet. S. Paulus ergo hanc ab epulis discernens prophanis, Si quis, inquit, esurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Et iterum, An non habetis domus ad edendum & bibendum? Quasi dicat, Hæc utiq; cœna mystica est. Rursus, qualis sit actio, mox declaratur cum subiungitur, Qua dominus pane & uino in epulum appositò, suam nobis promissionem & communionem attestatur, &c. Habet itaq; peculiares suos fines Cœna: de quibus *Cœna actio sacra.*

etsi dixerim cum differerē generaliter de Virtute sacramentorū, repetam tamen quædam huc maxime pertinentia, cum ad finem propè huius sermonis peruenero.

Quis autor cœnæ. Circa hanc descriptionē autem. Cœnæ hæc potissimum ueniunt considerāda & explicanda. Primū quis instituerit & sit uerus cœnæ dominicæ author & hospes: non homo aliquis, sed ipse dei filius, patris sapientia, uerus deus & homo. Vnde non ad hominum mensam, licet huic homo ministet præsideat, neq; de manibus ministri tantū, sed de manibus ipsius domini sacra percipimus symbola, accūbentes ad mensam Christi domini nostri, cuius sumus hospites, si fuerimus fideles. Hic consecrauit nobis Cœnā, & consecrat ad hucuerbo uoluntate & uirtute sua sancta. De qua re superius diximus. Hæc quia intelligunt fideles, ad sacras cœlestesq; epulas cum Christo accumbunt, mente & animo conuersantes in cœlestibus.

Quando instituta cœna. Ea autē nocte qua tradebatur & postera sanguine fuso moriendoq; nouū testamentū confirmabat, cœnā instituit. Mox enim atq; agnū typicū cum discipulis edisset, acclare dixisset eius cæremoniæ nullū porrò usum futurū, in locum abrogatæ, cœnā hanc reposuit. Vt quemadmodū agnus sanguinolentus Christum passurū significauerat: ita panis incruentus testaretur Christum cibum uitæ, iam in cruce tostum ac passum, factum esse cibum omnium credentium. Obseruabilis ergo fuit nox illa, et cœna hæc ultima mysterijs est referta. Solent alioqui dicta & facta, quæ proxime mortem præcedunt, charissimorū hominum nobis esse maxime commendata. Ergo ut omnia Christi nobis chara sunt & pretiosa, ita merito extrema hæc cœna debet nobis esse charissima & pretiosissima.

Quibus rebus constet cœna. Constat autem cœna uerbo & ritu, promissione & cæremonia. Verbum est, quod annūciatur Christus in mortē traditus, ppter peccata nostra, & fudisse sanguinē in remissionē peccatorū nostrorum. Promittitur ergo credentibus remissio peccatorū. Hæc eadem res et ritu repræsentatur. Ritū illū nobis diligenter tradiderunt literis consecratum S. Matthæus, Marcus atq; Lucas, quos secutus Paulus ne tantillū quidem ab his uariauit. Ego ex quatuor illis omnia in unū recollecta contextum iam C. V. recitabo, Vespere facto ea nocte qua tradebatur, uenit dominus cū duodecim, & cum esset tempestiuum, accubuit, & duodecim cū eo. Vescentibus aūt eis, accepit Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait, Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro uobis traditur (uel) frangitur. Hoc facite in mei recordationē. Similiter & poculo (postquam cœnauit) accepto, gratias egit, & dedit eis, dicēs, Accipite hoc, & di-

Verba cœnæ domini.

& diuidite inter uos. Bibite ex eo omnes. Et biberunt ex eo omnes. Et dicebat illis, Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti: qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum (Hoc est poculum nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis effunditur) Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei cõmemorationem. Amen dico uobis, quod nõ bibam posthac ex hoc fructu uitis usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Hæc sunt ad uerbum solennia & sacrosancta Cœnæ domini uerba.

Quo ritu celebrata & instituta sit Cœna.

Summus Pontifex ecclesiæ catholicæ Christus dominus Cœnã celebrauit cum discipulis suis, sicut iam uidimus & audiuimus citra omnem pompam, simpliciter planè & frugaliter. Abrogauit enim legis paulò operosiorem cæremoniam, nouam substituit maxime parabilem & minime sumptuosam. Legis enim pleræq; fuerunt operosiora, euãgelij omnia sunt parabiliora & sumptuosa minus. Discumbit ergo dominus cum duodecim suis discipulis. Vnde discimus ante omnia cœtum esse colligendum, qui Cœnam celebret. In cœtu suo hæc facit dominus. Principio diligentissime conciona tur suis, & de ijs maxime, quæ attinebant ad mysterium passionis & redemptionis nostræ. Cæterum ubicunq; est doctrina & auscultatio uerbi dominici, uel euangelij Christi, ibi sunt gemitus & uota siue preces fidelium. Proinde celebraturi Cœnam dominicam ante omnia ad exemplum & institutionem summi pontificis Christi domi prædicationem euangelij audiunt diligentissime, & precantur attentissime. Deinde uero accepit panem, benedixit & fregit dominus, dedit præterea discipulis suis & comedere iussit. Distribuit mox etiam poculum, & ex hoc omnes bibere mandauit. Sed & disertum & perspicuum mandatum subiecit, dicens, Hoc facite: nimirum quod me facere uidistis. Discipuli ergo & panem comederunt & de poculo biberunt omnes. Iccirco legitime Cœnam domini celebrantes, mutuo inter se panem domini de manibus ministrorum Christi acceptum, frangunt, distribuunt & manducant, poculum insuper domini de manibus ministrorum Christi acceptum inter se distributum omnes potant. Et sicut pontifex summus Christus id facere iussit in sui memoriã, ita cœnam celebrantes memoriam mortis & omnium beneficiorum Christi peragunt. Præterea sicut dominus præijt exemplo suo gratias agens deo patri, ita fideles gratiarum actione sacrum hoc concludunt, laudantes bonitatem & misericordiam eius, quoniam bonus, quoniam in æternũ misericordia eius. Hic ritus Cœnę domini & simplicissimus & opti

mus est, quem apostoli à domino Christo acceptum omnibus nationibus custodiendum tradiderunt.

An liceat ritui aliquid addere &c.

Ergo cum interrogatur, an liceat alio ritu cœnare, an liceat tradito ritui addere aliquid an adimere, aut aliquid in ipso mutare, an hac ipsa iam tradita & non alia forma oporteat celebrare cœnam dominicã? stultitia & temeritas non modica, quinimò impietas maxima proditur. Quorsum enim attinet simplicissima, optima, perfectissimaq; cœnandi formula ab ipso domino tradita, & ab apostolis eius accepta, comminisci aliam? Quis quæso meliorem tradet ipso dei filio, pontifice ecclesiæ catholicæ summo? Quis oro sanæ mentis addet, aut adimet aliquid institutis dei? quis immutare audeat tradita ab æterna dei sapientia? Omnia Christi cum dicta tum facta sunt perfectissima: ergo & forma cœnæ dominicæ, institutũ singularis & celeberrimi, perfectissima est. Perfectissimi fuerunt ritus sacramentorum ueteris testamenti, sicà prima eorum institutione traditi, ut his nihil à religiosis uel adiiceretur uel adimeretur etiã post multa sæcula. Celebrauit enim pascha Ezechias rex, celebrauit & Iosias, sed non alio ritu, quàm tradito à Mose. Circumciderunt infantulos suos patres, sed non alia ratione, non alio ritu, quàm primitus tradito. Homicidij perpetrati accusabatur in lege quondam si quis non sacrificasset eo loco & ritu, quem præscripserat deus per Mosen. Fulmine cœlitus demisso feriuntur Nadab & Abihu, quod alienum ignem intulissent in tabernaculum: Oza percutitur repentina morte, quod nõ eo modo tractaretur arca dei exercituum, quo in lege iussa fuerat tractari. Proinde nobis quoq; ritus à domino institutus Cœna, & traditus ecclesiæ ab apostolis, maxima religione custodiendus erit: nisi credere libeat sacramentorum nostrorum instituta et ritus imperfectiores esse ueterum institutis, deumq; patrem hodie minus curare prophanationem, aut religiosam obseruationem institutorum filij sui, quàm olim patrum ac Mosis. Cæterum uas electionis Paulus, intelligens institutionem Christi & perfectissimam esse & eandem simpliciter absq; additamentis retinendam in ecclesia, Corinthijs dicit, Ego accepi à domino quod & tradidi uobis. Nam nephas putauit aliud tradere ecclesiæ, quàm acceperat à domino. Teneamus ergo magna religione quod traditum à domino, accepimus ab apostolis. Nihil autem aliud Corinthijs tradidit apostolus, etiam post multos ab ascensione domini in cœlum annos, quàm quod scripto fideli tradiderunt nobis sancti apostoli & euangelistæ, beatus Matthæus, Marcus & Lucas.

Leuit. 17.
Leuit. 10.
2. Sam. 9.
Num. 4.
1. Cor. 11.

Certe

Certe sæculis aliquot ab obitu apostolorum simplicē illā rationē celebrandi Cœnā domini obseruatam esse ab ecclesia constat. Nam prodibat in cœtum sacrum postquam prædicasset euangelium, & præuia oratione publicas deo preces obtulisset pastor uel minister ecclesiæ. At in prospectu populi stabat instructa pane & uino mensa, pone hanc astans benedicebat populo, dicens, Dominus uobiscum. Excipiebat populus, Et cum spiritu tuo. Subdebat pastor, Sursum corda, admonens ecclesiam mystica sacra fore iam celebranda, ideoq; mentes à uisibilibus eleuandas ad inuisibilia. Respondebat populus, Habemus ad dominum. Inde uero ad gratiarum actionem inuitans totam ecclesiam, clamabat, Gratias agamus domino deo nostro. Respondebat ecclesia, Dignum & iustum est. Pastor iterum subiungebat, Vere dignum & iustum est, æquum & salutare (& conuersus ad dominum) nos tibi semper & ubiq; gratias agere domine sancte pater omnipotens æterne deus, per Christum dominum nostrum: qui pridie quàm pateretur accepit panem, gratias egit, fregit, deditq; discipulis suis. Et reliqua quæ commemorantur in Euangelio. His ex euangelio recitatis subdebat pastor, Oremus præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis &c. Post recitatā orationem dominicam populus sacra percipiebat mysteria, communicabatq;, & post laudes deo oblatas dimittebatur. Atque huius quidem ritus quædā uestigia cernere licet apud scriptores ueteres, S. Cyprianum, S. Augustinum & alios. *Quomodo Cœna quondam celebrata in ecclesia.*

Porrò sequentibus exinde temporibus creuerunt precationes & benedictiones, creuerunt in immensum usq; ritus. Immutata est præterea institutio Christi, & conuersa in alienum usum, consarcinata est denique Missa, in qua parum uideas uetustatis. Sed de his aliàs disserui copiosissime, intelligitq; totum hoc negotium C. V. peroptime. Nihil curamus qui Christi domini institutionem perfectissimam & purissimam ab apostolis traditam tenemus, quid quiq; hominum, & quando quisq; pontificum hoc uel illud ritui sacro addiderit, detraxerit uel immutauerit: sed quid, qui ante & super omnes est, prior & fecerit & facere iusserit. Si instituentis authoritas, doctrina et sanctitas, si uetustas ualere debet, uicimus nos qui Christū pro nobis habemus cum electissimo apostolorum choro. Ab his enim habemus quod celebramus, & omnibus celebrandum contendimus pijs. *Immutata forma Cœnæ dominicæ.*

Cur autem mysterium hoc instituerit dominus sub specie panis & uini, perspicuum est. Panis enim cōfortat, & uinum exhilerat cor *Quare sub specie panis & uini instituta cœna.*

hominis. Id quod monui cum dissererem de Analogia sacramentorum Præterea ederunt patres nostri in typo manna, panem cœlo deplutum. Vii sunt & in gratulatorijs suis oblationibus & libaminibus pane & uino. Cæterum odiosa excitata est contentio super materia Cœnæ dominicæ: contendentibus his pane azymo, alijs uero fermentato esse cœnandum. Atqui apud ueteres quondam de his nullæ mouebantur rixæ. Nam ecclesiæ pro sua libertate utebantur utroq;. Videtur quidem dominus in prima illa Cœna usus esse pane azymo, in mensa, ex ueteri more celebrandi paschatis, relicto. Vnde non paucæ ecclesiæ infermentato pane usæ sunt: quæ tamen fermentato utentes non damnabãt hæreseos. Papa autem cum suis non leui scandalo Græcos leuiculam hanc ob rem anathemate percussit. Damnati sunt interim à priscis non nulla de caussa Artotyritæ, quorum mentio fit ab Epiphanio inter Pepuzianos & Priscillianos, in mysterijs contra institutionem Christi apponentes cũ pane caseum.

An panis azymus, an fermẽtatus usurpãdus.

Vino ne miscenda aqua.

Disputatur præterea, uinum ne merum an aqua dilutum in cœna sit fidelibus propinandum. Cyprianus martyr propter mysterium contendit non merum, sed aqua dilutum esse offerendum, id est propinandum fidelibus. Sic enim scriptum reliquit, Quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, uidemus in aqua populum intelligi, in uino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice uino aqua miscetur, Christo populus adunatur & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & iungitur. Sic autem in sanctificando calice domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec uinum solum potest. Nam si uinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis: si uero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrunq; miscetur & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur. His pulchrum sane mysterium aperit S. Cyprianus: uerum quare pergimus Christo esse prudentiores & plura cõminisci mysteria quàm ab ipso acceperimus? Scriptura nõ meminit ullius aquæ, imò commemorat dominum mero usum esse uino. Nam dominus dicit, Amen dico uobis, quod posthac non bibam ex hoc fructu uitis. Significãter enim non uinum, sed uitis fructum dixit, ne ullam hic comminiscaremur mixturam. Quid quod ipse sanctus dei martyr Cyprianus modis omnibus contendit in celebranda Cœna domini id dũtaxat esse sequendum fidelibus quod traditum acceperunt à Christo domino? Quoniam uero illud testimonium facit pro tota hac tractatione nostra de Cœna

na Christi secundum uerbum euangelij celebranda, recitabo hoc ex 2. epist. lib. epist 3. de uerbo ad uerbum.

Ab euãgelicis præceptis omnino recedendũ nõ esse, inquit, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulos q̃q; obseruare & facere debere, constantius & fortius alio in loco beatus apostolus docet, dicens, Miror quod sic tam cito demutamini ab eo qui uos uocauit in gratiam ad aliud euangeliũ: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui uos perturbant & uolunt conuertere euangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de cœlo aliter annunciet præterquàm quod annunciauimus uobis, anathema sit Sicut prædiximus & nunc iterum dico, Si quis uobis annunciauerit præterq̃ quod accepistis, anathema sit. Cum ergo neq; ipse apostolus neq; angelus de cœlo annunciare posset aliter aut docere, præterq̃ quod semel Christus docuit, & apostoli eius annunciauerunt, miror satis unde hoc usurpatum sit, ut contra euangelicã & apostolicã disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere. Et iterũ. Non est frater charissime quod aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinẽ, si qui in præteritum in calice dominico aquam solam offerendã putauerunt Quærendũ est enim ipsi q̃uem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utiq; id nos audire & facere oportet, quod Christus fecit & faciendum esse mandauit: cum ipse in euangelio suo dicat, Si feceritis quod mando uobis, iam non dico uos seruos sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri pater etiam de cœlo contestatur, dicens, Hic est filius dilectissimus, in quo bene sensi: ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendũ putauerit: sed qd qui ante oẽs est Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed dei ueritatẽ. Cum apud Isaiam propheram deus loquatur & dicat, Sine caussa autem colunt me: mandata & doctrinas hominũ docentes. Et iterũ dominus in euangelio hoc idem reperat, dicens, Reijcitis mandatum dei ut traditionem uestram statuatis. Sed & alio loco ponit, & dicit, Qui solu-
uerit unum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quod si nec minima de mandatis dominicis licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramẽtum pertinentia phas non est infringere, aut in aliud q̃ quod diuinitus institutum est, humana traditione mutare. Et reliqua. Ea autẽ contra authorem ipsum uatere nemo negare potest. Nam scri

In cœna celebranda nihil aliud sequendum quàm quod à Christo accepimus.

pturis & exemplo Christi demonstrari non potest, uino aquã esse mixtam in cœna. Quæ idem author profert testimonia, nemo non uidet ad propositum negotium nihil facere, adde & à nativo sensu deflexa esse. Euangelium simpliciter pronunciat, dominum suis fructum uitis propinasse. Et cum S. Paulus toties meminit poculi, nusquam tamen aquã uino infusam aut infundendam esse docet. Proinde recte damnantur aquarij, id est, aqua pura utentes in cœna: quales fuisse cõmemorant Martionitas & Tatianos. Porrò indifferens est, uino utaris in cœna rubro an albo.

De utraq; specie in cœna danda & accipienda.

Rursus cur non sub una uel panis uel uini specie, sed sub utraq; sacramentum cœnæ nobis tradiderit dominus, illud unanimiter in caussa omnes doctores ecclesiarum esse arbitrantur, quod ita significare, imò attestari uoluit, & animam & carnem se suscepisse, eadem'q; impendisse pro nobis, sed & animam & carnem nostram liberasse ab interitu sempiterno. Quamuis uero duæ sint species, unũ tamen duntaxat constituunt sacramentum. Neq; enim separandæ sunt. Neq; probanda est eorum sententia qui priuata, imò sacrilega quadam potestate institutum Christi corruperunt, offerentes communicantibus laicis unam duntaxat speciem panis, sacerdotibus autem utrãq; concedentes, adeoq; & solis his uendicantes. Etenim S. apostolus Paulus ab ipso domino accepit ius, omnes Christi fideles admittendi ad poculũ dominicum: uideant ergo audaculi illi à quo acceperint præceptum arcendi laicos, & prohibendi his concessum à domino deo poculum. Nam Christus disertis uerbis, & ueluti propherico spiritu prænoscens quid futurum esset in ecclesia, non ad panẽ adiecit, Edite ex hoc omnes: sed ad poculum addidit, Bibite ex hoc omnes. Marcus quoq; non sine graui caussa subiungit, Et biberunt ex eo omnes. Quibus accedit quod apud Lucã dominus dicit, Accipite hoc, & diuidite inter uos. Hoc luculentũ & disertum Christi institutum spectans apostolus Paulus ter aut quater pani connectit poculum, dicens, Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annũciate. Item, Quisquis ederit panẽ hunc, aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Et iterum, Probet semetipsum homo, & sic de pane edat, & de poculo bibat. Rursus, Qui edit & bibit indigne, &c. Multiplex est hoc testimonium, dignum planè cui credatur, & cui cedant omnes omnium hominum traditiones. Omnibus fidelibus instituit dominus poculum cœnæ: ergo apostoli eius omnibus fidelibus exhibuerunt. Etenim si sacramentũ sanguinis Christi solis datum est apostolis, certe res ipsa, nempe peccatorum

eorum remissio per sanguinem Christi parta, ad solos pertinet apostolos. Cæterũ dominus diserte dicit, Hic est sanguis noui testamẽti, qui effunditur pro multis in remissionẽ peccatorũ. In alijs quoque scripturæ locis traditur diserte, sanguinẽ Christi effusum esse, p remissione peccatorũ omnium fideliũ. Proinde cum laici rei capaces sint, quanto magis signi? Si uero aduersarij perrexerint dicere, solos ad cœnã accubuisse apostolos, (qui typum prętulerint sacerdotum) & his solis usum calicis esse concessum, nec alijs nisi in prima cœna præsentibus concedendũ: interrogamus eos quo iure panẽ domini offerant laicis, aut quo iure ad cœnã admittant mulierculas? cum satis cõstet nec has nec illos (uti isti hac de re loquuntur) assedisse mensæ domini. Atq; hic deprehensi hærent. Sed obijciunt periculũ calicis, qui si offeratur promiscue omnibus, futurũ ut hominũ ineptia imperitiaq; magno cum scandalo effundatur in pauimentũ. Quasi uero æterna dei prouidentia non præuiderit tantũ scandalũ, quod sapientes isti demũ in fine sæculi perspiciunt, & quod dei filio defuit, sarciunt. Sufficere autem clamitant laicis unam speciem, cum per concomitantiam ibi deprehendatur esse sanguis Christi, ubi est corpus Christi. Ita uero sequeretur alteram speciem frustra esse institutam. Sed separatim quidem primũ obtulit dominus panẽ, deinde uero poculũ: neq; quicquam eorum quæ dominus instituit redundat: proinde utraq; species omnibus debet, sic iubente domino, fidelibus distribui. Id quod fecisse omnem uetustatem ad tempora fermè usq; Concilij Constantiensis testabuntur, quotquot ueterũ scripta perlegerunt. Ex quibus nonnulli nihil ueriti sunt dicere non sine sacrilegio diuisionem fieri huius sacramenti.

De Consecratione panis & uini.

Post materiam cœnæ explicatam solet quæstio texi de forma uel de consecratione panis & uini. Sed quoniam de hac dixi in generali sacramentorum consideratione, non est quod cum fastidio auditorum eandem rem repetam. Non agnoscimus ullam transsubstantiationem ui uerborum & characterum factã, sed panẽ & uinũ in suis substantijs, id quod sunt, manere asserimus, accedere aũt institutionẽ, uoluntatem, ac uerbũ Christi, & fieri sacramentum, atq; sic plurimũ differre à pane & uino prophano, ut suo loco diximus.

An aliquis præesse debeat actioni cœnæ.

Sequitur iã quæstio de eo, Quis administret cœnã: id est, An aliquis ex ecclesia actioni cœnæ debeat præesse, & quis? Certe res ipsa flagitat, & iubet natura, ut omnia fiant decenter ac iusto ordine: flagitat religio, ut omnia cœnæ fiant ad exemplũ Christi. At hic præfuit cœnæ. Idem ministros ecclesiæ instituit, per quos uoluit administrari sacramenta. Quemadmodum ergo non quiuis baptizat, sed

legitimus ecclesiæ minister: ita non est cuiusuis instruere sacram cœnam, & administrare, sed à deo ordinati ministri. Improbamus autem in præsenti doctrinam Papisticam approbantem Missas priuatas, tradentemq; sacerdotẽ offerre corpus et sanguinem domini pro astantibus, & applicare per Missam meritũ redemptionis sacrũ hoc deuote contemplantibus. Vt enim nullũ extat uerbũ domini quod sacerdotes sacrificare uel priuatim applicare iubeat cœnã pro alijs, aut quod contemplantibus cœnã quicquam promittat, Hoc facite, inquit, edite & bibite omnes in mei memoriã, non autẽ dicit edentes aut bibentes solos sacerdotes pro uobis, contemplamini: ita corporaliter nõ adest pani & uino Christus: animis nostris spiritu suo coniunctus est: nullo cum fructu resideret in pane. Et ut adsit maxime, sacrificari tamen non posset, cum quod ipse semetipsum semel in cruce obtulit, nec ab ullo homine peccatore deo patri unigenitus & dignissimus dei filius amplius offerri possit: tum quod
Hebr. 10. nihil necesse sit eum offerre denuo, Paulo dicẽte, Christus una pro peccatis oblata uictima perpetuò sedet ad dexterã dei, id quod superest expectans donec reddantur inimici eius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Et iterum idem, Vbi est plenaria peccatorũ remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Atqui plenaria nobis collata est remissio peccatorũ per mortẽ Christi semel factã. Proinde nullum est amplius sacrificiũ ecclesiæ pro peccato. Celebrat itaq; ecclesia cõmemorationem sacrificij semel in cruce peracti: non sacrificat amplius uel cruente uel incruente. Est quidẽ laus & gratiarũactio sacrificium domino gratissimũ: uerum hoc non offert minister pro alijs, sed cum alijs. Nihil ergo hic ministro aliud tribuimus quàm ministerium, ut in celebratione cœnæ præeat precibus recitandis, ac post prælectionem sacram uerborumq; solenniũ pronunciationẽ, ipse, Christi ad exemplũ, panẽ domini frangere, & poculum eius distribuere incipiat, ipse quoq; sicut alij fideles, & ut consors fidei pro se sacramenta percipiat, & cõmunione peracta, sacram actionem gratiarumactione & sancta exhortatione concludat.

De loco cœnæ domini. De loco in quo celebretur cœna, nihil uideo rixatũ apud uetustissimos ecclesiæ ministros. Dominus Iesus usus legitur aula priuatæ cuiusdam domus. Sed & Paulus apostolus Troade & prædicat, &
Act. 20. panem frangit in quodam cœnaculo. Ac uetus quidẽ ecclesia proxime sequens apostolorum mortem ad magni Constantin ferè tempora usq; uel rarissima uel nulla habuit templa augusta & publica. Vix enim Christianis in tam atroci tempestate licebat in publicum prorepere.

prorepere. Interim utebãtur locis honestissimis, in quibus in cœtum coibant sacrum, habentes oratoria. Hodie non uidetur ullus locus & dignior & commodior esse Cœnæ sacræ, quàm idem ille qui destinatus est doctrinæ & precibus. Sic enim à Paulo didicimus 1. Corinth. 11. cap. Cæterum si uis tyrannica non concedat templum, in ædibus priuatis, sed honestis, honeste cœnare quid uetaret? De instrumentis quoq; Cœnæ sacris nonnihil in medium proferre ipsa poscit res. Apostolica sæcula mensis positis cœnabant: ignorabant aras fixas & extructas lapide, quæ magis idoneæ sunt fouẽdis ignibus pecudibusq; cremandis. Et portatilis quidem mensa magis cõgruit exemplo Christi. Altaria interim stata minime damnamus, modo legitimo usui Cœnę duntaxat seruiant. S. Paulus in 1. ad Corinth. aras ethnicorum, mensas appellauit, ut mirari non debeamus cur ueteres mensas nostras nuncupauerint altaria. Facilis est enim transitus de altero ad alterũ: uidenturq; ab illis alluſum ad aram illã tabernaculi dei unicam. Insternebantur mensæ quondam mundo aliquo panno, linteo, uel mappa. Vnde fortassis mutuata sunt quæ appellantur corporalia. Splendorem autem et ornatum illum mundanum tum quidem ignorauerunt aræ Christianorum. In lege enim cautum legimus, ne qua extrueretur ara lapidibus politis: qua lege omnis sumptus & splendor in religionibus prohibitus est. *De ara uel mensa dei.*

Vnde nec uasa quidẽ Cœnę quondã preciosa fuisse constat. Vt enim Christus & apostoli ubiq; frugalitatem docuerunt, & luxum damnarunt, contemptumq; auri & argenti inculcauerunt: ita sacris mysticis doctrinam illam suam non subuerterunt aut occasionem præbuerunt luxui. Cum pax post diutinam persequutionem reddita esset ecclesiç, cœptum est aureis & argẽteis uasis libari in templis. Sed tum quoq; non defuerunt qui istud reuocarent ad antiquam frugalitatem & simplicitatem. Chrysostomus enim clamabat (quod & aliâs monui) in Cœna domini peragenda non aureis uasis, sed animis esse opus. Et Ambrosius, Aurum, inquit, sacramenta non quærunt, neq; auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Laudat S. Hierony. S. Exuperium Tolosanum episcopum, qui corpus domini canistro uimineo, sanguinem portabat in uitro, & qui auaritiam ieiecerat ex templo. Et quidem quasdam ecclesias post octingentos annos & amplius à passione domini usas esse ligneis uasculis in propinando sanguine Christi, ille canon Concilij Triburiẽ. conuincit, qui adhuc extat in Decretis pontificijs, uetans ne quis sacerdos sacrum mysterium in ligneis uasculis conficiat. Antiquissima sunt itaq; po *De Vasis cœnæ domini.*

cula in cœna dñi lignea. Rogatus olim Bonifacius archiepiſcopus (quod etſi alibi adduxerim, cogor tamen hic propter argumenti conuenientiam repetere) an liceret in uaſculis ligneis ſacramenta conficere? reſpondit, Quondam ſacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contrario, lignei ſacerdotes aureis utuntur calicibus. Quod ſi quis ex alia materia parata, citra luxum & ſuperſtionẽ proferat, non contenderim odioſius, modo agnoſcat nihil peccare ligneis uſurpantes calicibus. Nam quantum ad formam & materiam poculorum attinet, libera ſunt omnia fideli eccleſiæ.

Qua ueſte utendum in Cœna.

Porrò conſtat ipſum dominum noſtrum in prima Cœna, adde & apoſtolos in celebratione Cœnæ uſos eſſe ueſte uulgari & honeſta. A primogenia ergo inſtitutione non diſcrepat, ſi miniſter ad menſam domini prodeat tectus ſuo, cæterum decoro & honeſto uestimento. Certè qui percipiunt, non alio quàm uulgari ueſte induuntur. Cauendum ergo ne hic ſubrepat ſuperſtitio. Veteres unico tecti uidentur pallio ſuperinducto uulgari ueſtimento: idq; non ex exemplo Chriſti, uel apoſtolorum, ſed ex traditione humana. Tandem ſuppellex illa quę hodie uiſitur, ex immitatione ueſtitus ſacerdotalis ueteris legis collecta eſt & iniecta miniſtris Cœnam celebrare uolentibus. Nec diſſimulat hoc Innocentius eius nominis III. in lib. de ſac. alt. myſt. 4. cap. 4. At nos dudum didicimus Leuitica omnia non tãtum eſſe abrogata, ſed à nemine rurſus reducenda in eccleſiam. Ergo cum in luce euangelica, non in umbra legis uerſemur, meritò reijcimus ueſtitum illum miſſalem Leuiticum.

Qua lingua utendum.

Geſticulationes.

Lingua uero patria & omnibus intelligibili, uel uulgari in celebrandis ſacramentis quamlibet gentem ab antiquo eſſe uſam dixi aliâs. De Geſticulationibus, quibus in Cœna celebranda utantur miniſtri, ex euangelio aliud nihil dicere poſſumus, quàm quod dicimus. Accepit dominus panem, benedixit, fregit, diſtribuit &c. Hæc ſi immitetur miniſter, non eſt quod de alijs ſit ſolicitus geſticulationibus. Quæ hodie in miſſarum celebratione ſunt recepta hominum arbitrio, adeo nihil maieſtatis addunt myſterijs, ut plus contemptus concilient, ne quid dicam aliud quod uideatur atrocius.

In manus accipere euchariſt.

Indifferens eſt autem accumbendo uel adeundo Cœnam peragat eccleſia, ac ſacra ſymbola in manus proprias accipiat, uel in ipſum os de manu præſidentium excipiat. Primogeniæ ſimplicitati & inſtitutioni magis congruit, & ſedere, & ſacramenta in manus proprias accipere de manibus præſidentium, deinde uero frangere, percipere, ac alijs impartiri. Vt enim dominus ad mẽſam cum diſci-

discipulis accubuit, ita dixit porrectis symbolis, Accipite, Diuidite inter uos. Præterea sicut tranquillius & minore turba cœnatur sedendo, circunferentibus per ecclesiam mysteria sacra ministris: ita satis constat ex ueterum historijs euchariſtiam quondam datam esse in manus sumentium. Superstitio est pugnans cum doctrina apostolorum, qua raduntur manus laicorum, attingentium sacram euchariſtiam. Quare non radunt eodem iure labia, linguam & fauces communicantium?

Reliquiæ Cœnæ.

Reexitur ex his & alia quæstio, quid iudicare oporteat de reliquijs Cœnæ dominicæ, an aliquid recondendum de Cœna, an reconditum uel recluſum sit adorandum? Sed uidetur hæc quæstio nihil habere pietatis, superstitiosa autem & perniciosa esse protsus. Quis enim nesciat panem et uinum extra usum sacrũ legitimum non esse sacramentum. An pergemus unà cum sophistis inquirere, quid arrodat mus, cum arrodit panem dominicum? Indignissimæ sunt hæ quæstiones & obruendæ obliuione sancta.

An recludenda adorandaq; euchariſt.

De recludenda uero euchariſtia ne uerbum quidem docet nos in euangelio dominus, multò minus de adoranda. Accipite, inquit, edite, diuidite inter uos: non autem dicit, Recondite, adorate. Nam ueri adoratores adorant patrem in spiritu & ueritate. Præterea legimus disertis uerbis dixisse dominum in euangelio, Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus est, nolite credere. Rationem huius sui præcepti subiungit, Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Glorioſus non obscurus erit reditus, ait, in mundum filij hominis: nec ueniet amplius, nisi iudicaturus uiuos & mortuos. Paulus ergo apostolus docens nos ueram religionem, non in terris, sed mentibus exaltatis iubet nos adorare Christum in cœlis ad dexteram patris. Et quis obsecro tam uçsanus sit, qui adoret signum sacrum pro re ipsa sacrosancta? Ex decretis recenter conditis palàm constat humano arbitrio illa esse inuenta. Certum est, Festum, quod corporis Christi uocant, sero sub Vrbano papa demum esse institutum, anno domini 1264. Id uidere licet in Clement. lib. 3. tit. 16. ca. Si dñm.

Coloſ. 3.

Quãdo celebranda Cœna.

Restat iam excutienda quæstio temporis Cœnæ dominicæ. Quando celebranda sit Cœna Christi, mane ne an uespere? An simul oporteat cœnare? An accipienda ieiunis an pransis? Quoties item celebranda sit cœna, semel an multoties rariusue? Constat quidem aperte satis, Christum uespere cum suis discubuisse, sed inde non sequitur alio tempore cœnam non posse peragi legitime nisi uespertino. Dominus enim ex occasione epuli paschalis, & quo-

niam ea ipsa nocte tradendus erat, uespere cum suis & cœnabat, & cœnam nobis instituebat. Liberum interim reliquit sacrum hoc transferre ad horas matutinas: quod sobrij ad res gerendas omnes, religionis maxime, longe aptiores sumus, quàm repleti dapibus. Ipsa itaq; res flagitat conuiuas ieiunos: non ita tamen ieiunos ne li ceat ualetudinis gratia prægustare aliquid. Paulus enim dixit, Quod si quis esurit, domi edat. Idem apostolus non uult simul instrui conuiuia cum cœna domini mystica. Vnde nos dicimus, non oportere simul cœnare. Docet quidem Tertullianus Christianos frequenter simul cœnitare consueisse: quod Cœnæ genus ἀγάπην uocatum tradit, à dilectione mutuato uocabulo: quod ibi ditiorũ epulis pauperes reficerentur. Verum his cibo potu alijsq; necessarijs etiam extra templum poterat prospici. Paulus non uult eodem in loco & conuiuia publica agitari & Cœnam mysticam celebrari.

Agape.

Quoties celebranda Cœna.

Porrò quoties sumenda sit eucharistia à fidelibus in anno, nihil lege lata definierunt apostoli, sed liberum reliquerunt in cuiusq; ecclesiæ arbitrio. Quid enim clarius est, quàm quod Paulus dixit? Quotiescunq; commederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciabitis donec uenerit. Nam dominus (eodem apostolo authore) prior præcipiens dixerat, Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Nemo interim ita sibi liberam factam existimet cœnæ celebrationem, ut nunquam illam peragat. Non ea esset libertas iusta, sed licẽtia iniquissima. Qui certis uel statis in anno diebus cœnam celebrant dominicam, frequentia quotidiana nolunt eam abduci in contemptum aut fastidium. Habent enim rationem sui populi & cœnam digne adeoq; & cum desiderio cupiunt peragi. Qui uero eam creberrime repetunt, existimant iniquum esse si res bonæ frequentia abeant in despectum. Quanto enim meliores sunt res, tanto aiunt usurpandas frequentius. Vtriq; cupiunt inseruire domino, & multo cum fructu peragi quod liberum fecit dominus. Inter hos si arbiter siue sequester instituueretur hodie beatus Augustinus, nihil aliud pronunciaret, proculdubio, quam quod pronunciauit de ea ipsa caussa scribens Ianuario & dicens, Rectius inter istos quispiam dirimit litem, qui monet præcipue in Christi pace permaneãt, faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciundum. Neuter enim exhonorat corpus & sanguinem domini. Contemptum solum non uult cibus ille &c.

Quibus instituta sit Cœna.

Iam quibus instituta & exhibenda sit sacra hęc Cœna etiam considerandum est. Videtur autem instituta & exhibenda omnibus

Christi

Christi fidelibus, cuiuscunq; sexus, uiris & mulieribus, summis & infimis. Ergo non est spargendum tantum mysterium porcis & canibus ad contemptum & conculcationem. Priusquam enim celebretur, serio & significanter admonendi sunt omnes homines, quorum sit hic cibus, peccata agnoscentium, dolentium de commissis, & credentium in Christum: admonendi sunt omnes, ut quisq; in semetipsum descendens sese probet, deinde uero de pane hoc sacro edat, & de poculo bibat, ne indigne ad iudicium sibi manducet & bibat. Cæterum si qui post seueram admonitionem accedentes accumbant, accumbendoq; quasi profiteantur palàm se & esse & cupere manere Christi cultores, à quo sperent peccatorum remissionẽ, sanè non sunt arcendi à ministris, neq; eis sacra deneganda mysteria. Nam ipse dominus cordium scrutator, seuere, diligenter, perspicue & multis in cœna ultima, etiam ante mysteriorum exhibitionẽ, admonuerat Iudam hypocritam, furem, proditorem, latronem, imò parricidam, blasphemum & desertorem, sed cum admonitus nihilominus non discederet à tabula, sed maneret inter sanctos, non repulit eum uiolenter dominus, nec palàm recedere iussit, nec panem dominicum eidem detraxit, sed perinde ut alijs obtulit, utcũq; certò sciret qualis esset: id quod ministri ecclesiarum non ita certò de accumbentibus semper nouerunt. Nec peccauit hic quicquam dominus, nec sanctum canibus proiecisse uidetur. Nam diligenter admonuit eum dominus de omnibus, de quibus erat admonendus, ipse uero illa omnia audiens & intelligens, nihilominus inter sanctos hæret, & se pro fideli, non pro porco, uenditat, & tanquam fidelis de pane & poculo participat. Qua hypocrisi tamen graue in se dei iudicium prouocauit. Quemadmodum hodie quoq; omnibus hypocritis hic cibus & potus sacer cedit ad perniciem corporis & animæ. Neq; uero cõtaminauit hypocritæ in cœna domini præsentia alios accumbentes fideles Christi discipulos: quemadmodũ ne hodie quidem fideles polluuntur, tametsi cernant plurimos secum accumbere hypocritas. Non enim cœnant cum eis ut cum hypocritis, sed tanquam cum fidelibus. Sibi interim nõ alijs nocet, sibi cadit & perit, sibi iudiciũ manducat & bibit hypocrita, fidelis autẽ fide sua uiuit. Qua de re diximus in alijs sermonibus.

Et quamuis infantes reputentur in numero & ecclesia fidelium, cœnæ tamen non sunt capaces. Ea in re turpiter aberrauerunt ueteres: id quod in Sermone de baptismo admonui. Non excidunt uita æterna infantes, etiamsi decedant ex hoc sæculo sine hoc cibo mystico. Hic institutus est adultis, non infantibus. Probet semetip-

Infantibus non instituta cœna.

sum homo, inquit apostolus, & sic edat de pane, & bibat de calice. Et dominus, Hoc facite, inquit, in mei memoriam. Et iterum, Mortem domini annunciate donec uenerit. Quæ sanè omnia in adultis, non infantibus locum habent. Diligenter autem mox à pueris instituendi sunt liberi nostri, ut mysteria mature intelligant & frequentent. Hoc ipsum filijs Israel præcepit dominus, dicens, Si filij uestri dixerint ad uos, Quis hic cultus uester? respondebitis, Victima transitus domini est, qui transiuit uel præterijt domus filiorum Israel cum cæderet Aegyptios, & domus nostras liberauit. Certe minime nobis committendum, ut in liberis nostris instituendis simus segniores, cum beneficium acceperimus præclarius, quàm isti.

An contra imminentia mala sit cœna celebranda.

Huic quæstioni affines sunt aliæ, An cœna quamuis ob caussam uel necessitatem priuatim sit instituenda? An deferenda ægris uel decumbentibus? An applicanda mortuis, id est an offerenda pro defunctis ad impetrandum eis refrigerium? Scio quid hic dicatur & fiat uulgo. Incidit pestis, fames, bellum, aut cœli intemperies, mox celebrari iubetur cœna, ut hac uelut expiatione calamitas auferatur. Rursus, ægrotat aliquis, alius tabescit fame, & affligitur omnium rerum inopia, petit & hic à sacerdote ut cœnet, quo morbus hac ceu probatissima medicina curetur, ac fames & egestas tollatur. Cæterum hæc non est legitima cœnæ celebratio, sed prophanatio fœda. Nam dominus non instituit piacularem hostiam contra omnes calamitates, qua placari uoluit, sed memoriam mortis suæ, & debitam gratiarumactionem. Neq; uero ei quicquam offerimus cœnantes, propter quod sit nobis propitius, ac hoc à nobis malum auertat, bonum uero desideratum nobis largiatur, uerum pro acceptis beneficijs agimus gratias. Licet alioqui calamitatibus oppressis uota, id est preces, offerre domino, sed non licet mystica eius sacra in alium cõuertere finem, quàm ille instituit. Nec habemus ulla exempla, quę doceant ullos uiros sanctos sic usurpasse unquam domini cœnam, sicuti illi faciunt. Acceperant filij Israel epulum agni paschalis in commemorationem liberationis ex Aegypto, & ut grati esse pergerent benefico domino: quantum uero admisissent piaculũ, si toties epulari instituissent, quoties calamitatibus pressi, liberationẽ ambiuissent, & hoc quidem opere perfecto ambiussent? Illi ipsi Arcam fœderis à domino acceperant in symbolum diuinæ præsentiæ & certi auxilij, sed cum illam contra finem institutum in castra detulissent in hoc ut per ipsam consequerentur uictoriam, ipsi quidẽ fugati & cæsi sunt, et arca ipsa abducta est à Palestinis in captiuitatẽ.

Rursus, si cœna domini est publica totius ecclesiæ in unũ colle-

ctæ

ctæ epulum sacrum, in quo debet fractio, distributio, comestio & potatio fieri, illaq; declarari & obsignari cõmunio corporis & sanguinis Christi: consequens est, cœnam domini nulli neq; sano neq; ægro, decumbentiue aut moribundo priuatim uel domi uel in templo instruendam esse, neq; pios cœnam ad tales priuatos usus exposcere posse. Nam institutionem Christi domini non oportet humana authoritate aut consuetudine mutare. Certe Paulus requirit publicum conuentum ecclesiæ, & uniuersalem quidem cœtum ad cœnam recte obeundam. Conuenientibus uobis, inquit, in unum, uel ad eundem locum, aut ad idem, nõ est cœnam domini sumere, id est, non editis cœnam domini. Ratio, Nam quisq; priuatam uel suam aut propriã præoccupat in comedendo. Proinde non uult hic priuati quicquam fieri. Idem enim in eodem loco in condemnationem eos conuenire & edere cœnã domini, ait, qui cœnando festinant, non expectata ecclesia, donec omnes conuenerint, & tum demum simul ederint & biberint. Dicit enim, Itaq; fratres mei, cũ conuenitis ad comedendum, alius alium expectate, (quod si quis esurit, domi edat, nimirum ne propter famẽ præoccupare cogatur) ne ad condemnationẽ conueniatis. Ergo cœna domini non est priuata, sed publica cœna nulli priuatim danda. Et quoniam non est publicus uel generalis cœtus, quando quatuor uel quinq; cum ægro cõmunicant, nihil dicunt qui aiunt apud ægros cœnã instrui posse, si alij quoq; simul cœnent. Præterea quis neget exemplũ Christi & apostolorum hic perpetuò esse sequẽdum? Atqui satis constat Christum in publico cœnaculo, in collecta ad se (ut tunc temporis colligi potuit ecclesia) cœnasse. Sed & Paulus dicit ea in re secutũ se exemplum domini, ecclesijs nihil tradidisse aliud, quàm quod acceperit à domino. Neq; legimus uspiam in sacris literis alios Christi apostolos eucharistiam detulisse ad infirmos, & priuatim cuiq; pro sua tentatione sedanda cœnam instruxisse sacram. Vbiq; uero apostoli omnes ægros, & conscientia perturbatos, uerbo domini confirmare & erigere mandant: sed & orationibus sedulis docent afflictis succurrere. S. Iacobus diligenter scripsit, quomodo gerant se fideles apud ægros & moribundos, sed delationis ad ipsos aut celebrationis Eucharistiæ non meminit uel uerbo. Nec uerisimile est, fidelissimos ecclesiæ doctores apostolos, dissimulaturos, si credidissent id maxime ad salutem nostram pertinere. Monuerũt nos sæpe de rebus longe minutioribus. Ac certum est, omnia illos ecclesiã docuisse, quæ uera pietatis & salutis sunt: nunc huius ne uerbo quidẽ meminerunt.

Priuatim nec domi ægris, nec in templo sanis cœna instituẽda.

Iacobi 5.

Obijciunt illud ex Actis apostolorũ, Et frangentes per singulas *Acto. 2.*

domos panem, inuicem sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis laudantes deum. Cæterum is locus pertinet ad corporalem & nutritiuum, non mysticum cibum. Sequitur enim, μετα λάμβανον τροφῆς, sumebant inuicem cibum uel alimentum. Proinde ut apud Isaiam in 58. cap. panem frangere pro cibare ponitur, ita hic quoq;. Ditiores enim suppeditabant tenuioribus uictũ, idq; faciebant ditiores animo hilari, non subtristi: & qui percipiebant beneficia, laudabant deum. Quod si quis pertinaciter contendat apostolos in priuatis ædibus cœnasse, respondemus id nihil facere ad caussam præsentem ægrorum, ac ad priuatã cõmunionẽ. Priuatæ enim ædes tunc illis templorum uice fuisse dixi superius. Ergo non cœnarunt in priuatis ædibus propter ægros cibandos pane Eucharistiæ, sed quod in eas confluxisset uniuersalis eius loci ecclesia: sicuti & Acto. 20. cap. apparet, Sicuti & in persecutionibus fieri cõsueuit. Rursus obijciunt, ueteres Eucharistiam uinctis ad carceres, & decessuris uiatici loco misisse. Verum alibi diximus qua de caussa id fecerint antiqui. His iam addimus humanã consuetudinem non præiudicare uerbo dei. Cõmemorat beatus martyr Irenæus, Romanos episcopos solitos fuisse eucharistiam transmittere episcopis aliunde Romam uenientibus in signum cõsensionis seu concordiæ. Atqui is ritus non fuit omnibus episcopis uulgaris, nec usurpatur hodie in ecclesijs. Vnde consequens est multa ueteribus fuisse in usu (quale illud quoq; fuisse iam ante diximus, quod Eucharistiam dederunt infantibus) quæ nobis nullam interim legem constituunt. Possent uel hodie uiri boni priuatam admittere cœnam, ad tempus, his qui nondum plenum cœnæ usum intellexerunt. Verum quis hinc collegerit iure ab omnibus fieri debere, quod indulgentia fit à quibusdam? Quod si omnino & cõtentiose perrexerimus asserere uiaticum illud, renascetur ex eo (quod iam sæculis aliquot receptũ uidimus) fiducia in ipsam perceptionem sacramenti, quasi propter eam gratiosimus domino, discedentes ex hoc sæculo, recta euolemus ad cœlos, sine Eucharistia autem percepta deferamur recta ad inferos. Subnascentur & alij errores plurimi. Neq; uero ulla necessitas cogit ægris deferre Eucharistiam. Vt enim captiui citra salutis periculum absunt à celebratione cœnæ: sic etiã ægri ac moribundi. Cæterum cum sint interim per fidem ueram colligati corpori Christi, ecclesiæ, licet corpore absint cœtui sacro, mente tamen præsentes, omnium bonorũ spiritaliũ participes sunt. His enim satis est quod, dũ per ualetudinẽ potuerũt, semper sacris adfuerũt mysticis. Epulũ paschale nõ ubilibet exhibebatur, sed Hierosolymis dũtaxat, uno in loco

Deut. 16.

loco. At quot putamus per ualetudinem corporis male affectam, & propter seniũ ex regno tam amplo Hierosolymas attingere nõ potuisse? Et quamuis nemo his in sæculo quicquam deferret ex carnibus agni, nihilo minus tamẽ communicabant cum tota Israelis ecclesia. Quis autem dubitet per aduentum Christi, conditionẽ Christianorum minime factam esse deteriorem?

Pro mortuis non offerenda est Eucharistia.

Pro mortuis non est instituta Cœna mystica à Christo domino sed pro uiuentibus duntaxat: ergo pro mortuis non est celebranda eorúmue applicanda redemptioni. Qui sine fide moriuntur, subeũt recta iudicium condemnationis. Qui uero mortui sunt in Christo, iam nunc choro seniorum inserti ante agnum stantes concinunt ꝯternum Haleluiah. Nam certissimam esse salutem animarum fidelium à morte corporea, demonstraui in sermone de Anima. Quod uero nõnulli obiiciunt, ueteres meminisse oblationis pro mortuis, nihil ad nos pertinere putamus. Scripturæ enim Canonicæ citra cõtradictionem credimus: patribus non credimus, nisi quatenus sua nobis approbant scripturis canonicis. Nec ipsi sibi aliter credi uoluerunt. Proinde si ueteres sentiunt Cœnam esse sacrificium, & hãc pro refrigerio animarum defunctorum offerendam, non recipimus eorum sententiam, utpote non congruam scripturis canonicis, docentibus Cœnam à domino non in hunc finem esse institutam, ergo abusu Cœnæ deum exasperari magis quàm placari: imò nullum esse opus hominis quantumuis bonum, nedum uerbo dei aduersum, quod sanctificare possit, cum ea prærogatiua sit solius meriti filij dei: præterea animas defunctorum nõ esse in huiusmodi statu in alio illo sæculo, ut iuuari possint aut debeant ullis huius sæculi operibus. Porrò si ueteres per oblationem intelligunt sacrificiũ laudis, non repugnamus, quo minus fiant pro mortuis oblationes, hoc est ut gratiæ agantur deo, laudetur ꝙ bonitas eius qui uera fide donatos euocarit ex hoc misero sæculo, coniunxerit ꝙ angelorum & omnium beatorum agminibus in æterna illa omnium gaudiorum patria. At cœnam propter defunctos celebrare, nulla iubet ueritas uel pietas.

Sacrificium duplex, expiationis & confessionis.

Ac in Sacrificio uel oblatione distinguimus. Est enim sacrificiũ expiatorium, est & sacrificium cõfessionis uel laudis. Expiatorium offertur pro expiandis uel purgandis peccatis, adeo ꝙ & pro satisfactione pro peccatis. Id nequit esse sine morte & sanguine: quod apostolus diserte ostendit in 9. cap. ad Hebræ. Tale uero Christi sacrificium est (cui typum prætulere omnia omnium sanctorum ueteris testamenti sacrificia) qui & sacerdos & hostia semel semet-

ipsum deo patri obtulit, dum in cruce passus & profuso sanguine innoxio expirauit. Tale sacrificium hodie Cœna non est, sed commemoratio mortis, uel sacrificij semel peracti in cruce. Neq; enim Christus iterum sacrificari uel debet uel potest, qui semel oblatus sufficit expiandis omnibus omnium sæculorum delictis. Quorsum ergo iterum sacrificaretur? Neq; à quoquam hominum filius dei sacrificari potest, qui ea de causa semetipsum semel deo obtulit, quippe sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek.

Proinde minister ecclesiæ Christi corpus & sanguinem Christi in cœna pro uiuentibus in ecclesia non sacrificat: sed cum tota ecclesia commemorationem peragit sacrificij in cruce semel peracti. A quo alibi dixi & Cœnam denominari posse sacrificium, eò quod sacrificij semel peracti à Christo sacramentum sit, sicuti & S Augustinus scriptum reliquit. Confessionis uero sacrificium laudis est & gratiarum actionis, quod nos deo offerimus pro redemptione et beneficijs dei gratis ecclesiæ collatis. Hãc cum semper offeramus deo orantes, maxime uero peragentes eucharistiam, uel celebrantes Cœnam, Cœna à ueteribus appellata est sacrificium, eo quod in ipsa gratias deo agamus pro liberatione à morte & pro hæreditate donata uitæ æternæ. Offerri autem hoc sacrificium deo promiscue ab uniuersali ecclesia cœnante, non à solo ministro ecclesiæ, pro uiuentibus in ecclesia, supra diximus.

De Finibus Cœnæ dominicæ.

Cum autem hactenus, quantum necessitati huius caussæ seruire uidebatur, & quantum nostra potuit præstare exilitas ac inopia, plerasq; Cœnæ circumstantias, uel quæstiones de ipsa proponi solitas excusserimus, superest ut & ad finem propter quem Cœna domini à domino instituta est (qui locus sanè inter præcipuos non temere numeratur) explicandum descendamus. Eum uero in descriptione Cœnæ ab initio protinus huius sermonis enumerauimus. Dominus enim pane et uino in sacrum nobis epulum appositio, suam nobis promissionem & communionem uoluit attestari, donaq; sua nobis repræsentare & sensibus subijcere, uisibiliter quoq; in unum corpus colligere, mortem deniq; suam in memoria fidelium retinere, & officij nos nostri admonere, laudis & gratiarum actionis maxime. Atq; hæc quidem omnia sigillatim exponentes prosequi sumus in generali consideratione uel tractatione Sacramentorum: eadem ergo in præsenti duntaxat refricantes perstringemus, ea paulo copiosius tractaturi, quæ ex illis disputanda proueniunt.

Dominus promissio-

Cæterum per communionem intelligo societatem, coniunctionem uel participationem Christi domini, qua ipse per spiritum suũ se to-

se totum nobis insinuat atq; coniungit, nosq; eius per fidem participes efficimur, ac ipsi connectimur; ita ut per ipsum liberati à peccato & morte, in ipso uiuamus hæredes uitæ æternæ, ac ipse uiuat in nobis, ac totus noster sit quemadmodū ipsi sumus eius toti. Neq; aliud esse dicimus communionem corporis & sanguinis domini. Nam corpore in mortem pro nobis tradito, & sanguine in remissionem peccatorum nostrorum effuso, effectum est, ut purgati à peccatis, ipsius membra facti simus, ac ipse iam uiuificet, & ueluti alimentum uiuificum sustentet nos: unde etiam ipsum, utpote cibum & potum uitæ, edere & bibere dicimur, Itaq; promissio, cuius modo meminimus, & ipsa aliud non est, quàm ipsum dei uerbum, quod nobis annunciat in solo Christo esse uitam. Christum enim corpus suum tradidisse in mortem, & effudisse sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum, ut credentes ipsi habeamus uitam æternã. Cæterum hæc promissio & communio Christi non nunc primum ad nos in Cœna aut per Cœnam defertur. Dominus enim deus noster mox à mundi initio uitam & remissionem peccatorum Adæ & semini eius per Christum promisit: deinde eandem promissionem cum Noe, Abraham, Mose & Dauide, aliisq; patribus renouauit. Et patres communicasse cum Christo, bonorumq; eius participes factos esse, testis est apostolus cum uniuersa scriptura. At non solis patribus tantum obuenit bonum. Facta est & nobis promissio, & delata ad nos communio Christi, ac defertur singulariter in sancto baptismo, adde & in clarissima euangelij prædicatione: præterea nos illam recipimus fide, per quam Christo coniungimur, membraq; eius efficimur. Ergo ut ante Cœnam, Christi non sumus expertes aut uacui, sed uiuificati ab eo ac membra eius siue consortes: ita in ipsa actione, seu celebratione Cœnæ reparatur nobis promissio, & nos communionem illam Christi in qua sumus, renouamus & continuamus, corpore & sanguine Christi spiritualiter, uita & donis eius omnibus uere per fidem participantes. Atq; hoc modo corpus domini edimus, & sanguinem eius bibimus. Porrò communionem illam spiritualem, & promissionem uitæ per Christum, ipse dominus symbolis uisibilibus, epulo inquam panis & uini, uerbo uel promissioni suæ adiunctis, uisibiliter attestatur & obsignat, se uidelicet esse panem & potum uiuificum: nos autem (symbolis, fide & obedientia susceptis) obsignari in nobis promissionẽ illam & communionem Christi, sustinemus, impresso uel traiecto in corpus nostrum corporis & sanguinis domini sigillo, uel sacramento. De qua re apostolus quoq; disseruit in 1. ad Corint. 10. cap.

nẽ & communionem

suam nobis attestatur.

& ad Roman. 4. & nos ex ipso plura diximus in generali consideratione sacramentorum.

Confutatur sententia de corporali præsentia Christi in cœna.

Priusquam de aliis Cœnæ finibus positis in descriptione eius, dicam, commemorabo quæ alij de promissione & communione Christi proferunt. Damnant nostram doctrinam tanquam hæreticam. Contendũt enim dominum promisisse corpus & sanguinem suum uerum, sub specie panis & uini daturum in cibum & potum fidelibus, ergo modis omnibus & sine ulla contradictione credendum, ipsum panem naturale domini corpus, uinum sanguinem esse, & hæc ipsa manducari & potari oportere non tantum spiritualiter, sed & corporaliter, ad uitam æternam. Quod autem Christus corporaliter præsens sit in cœna, adeoq; panis eius corpus, uinum sanguis sit, sic probãt, Quod dominus dicit, falsum esse non potest, quia ipse ueritas est. Dicit autem panem esse corpus suum, uinum esse sanguinem suum: itaq; panis & uinum eucharistiæ sunt uere realiter & essentialiter corpus & sanguis Christi. Cui quidem ueritati simpliciter credendum aiunt, licet ipsa ratio, totus mundus, omnes sensus, & ipsa natura rerum reclamet. Respondemus uera esse omnino quæ dixit dominus qui ueritas est: sed eo sensu quo ipse dixit ac intellexit, nõ autem eo sensu quem nos uerbis eius obtrudimus. Indagandum est ergo ante omnia quis sit uerus uerborum domini in Cœna, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. sensus.

De genuino sensu uerbo rũ domini, Hoc est corpus meum,

Isti quidem clamitant uerba domini simpliciter ad literam esse exponenda. Esse enim uerba testamenti: hoc autem non admittere ut uerba eius exponantur per tropum. Nos uero dicimus omnes libros euangelicos & apostolicos recensẽri sub titulo testamẽti, ergo in omnibus & singulis scripturæ locis nihil corrumpendum, nihil adijciendum, nihil detrahendum, nisi maledictioni dei subiacere libeat. Interim tamen fateri cogimur, infinitas esse in diuinis scripturis sententias, quas si pergamus simpliciter ad literam exponere, sub uertemus cum fide uera, scripturam uniuersam, aut mẽdacij & contradictionis arguere uidebimur. Proferam huius generis unum & alterum exemplum. Scribit beatus apostolus & euangelista Ioannes, Verbum caro factum est. At si pergamus inhærere uerbis, dicemus deum mutatum esse in hominem. Sed quia hic sensus fidei & scripturæ cõtrarius est. Deus enim immutabilis est: & Christus deus & homo uerus est, naturis non immixtis aut conuersis, sed in suis proprietatibus permanentibus, admittimus expositionem, quę tradit Verbum assumpsisse carnem, deum factum esse hominem. Et hic

hic quidem sensus non est alienus à scriptura: Paulus enim dicit filium dei nusquam assumpsisse angelos, sed semen Abrahæ. Proinde uocabulum Est, exponunt orthodoxi cum apostolo per assumpsit. Qua de re pluribus egit beatus Theodoretus in Polymorpho suo, Dialogo 1. Rursus apud eundem Ioannem dicit dominus, Pater maior me est: inæqualitatem adorandæ trinitati obtrudemus, si contenderimus uerba domini absq; interpretatione simpliciter esse accipienda. Adhibitis autem locis alijs, & in consilium aduocata fide, dicimus filium iuxta diuinitatem patri æqualem esse, secundum humanitatem minorem, iuxta illud propheræ apud apostolum quoq; usurpatum in hoc argumento, Minuisti eum paulò minus ab angelis. Legimus in euangelio Christum dominum habuisse fratres, & Ioannem apostolum appellari filium Mariæ, Mariam matrē Ioannis. Quis autem, nisi Heluidiana labe infectus, contendit illa exponenda esse ad literam? præsertim cum alij loci scripturæ manifeste testentur, fratres appellatos, qui reuera erant patrueles & consobrini, affines uel cōsanguinei: sed & circūstantia loci apud Ioan. in 19. cap. euincat Mariam Ioanni ut matrem filio esse commendatam. Si uero ita tumultuari libet, ut illis hactenus licere experti sumus, clamantibus, & clamando reperentibus, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Hoc est, Hic est, Hoc est, Hic est, Est, Est, Est, repetemus & nos, Verbum caro factum est, factum est, factum est. Pater maior me est, est, est. Christus fratres habet, fratres inquam, fratres habet. Scriptura hoc habet. Veritas sic dicit. Verum quis ex his molestis & odiosis clamoribus & pertinacissimis rixis fructus redibit ad ecclesiam? Quomodo ædificabuntur auditores? Quomodo propagabitur gloria dei? Quomodo illustrabitur ueritas? Necessitas ergo cogit nos fateri alicubi recedendum esse à litera, sed non à sensu, sensum autem adferendum quem ipsa fides, quem alij scripturæ loci cum hoc collati, quem denique loci eius circūstantiæ, præcedentia cum consequentibus sponte sua suppeditant. Interim à simpli- *Quando recedendū à litera.*
citate uerborum non facile discedendum esse, clamamus etiam ipsi & inculcamus. Verum ubi cogit absurditas, non rationis, sed pietatis, & scripturarum repugnantia, & cum articulis fidei pugnantia, dicimus, asserimus & contendimus, pium, imò necessarium esse recedere à litera & simplicitate uerborum. Iam uero cogere nos illa ipsa quæ modo commemorauimus recedere à litera in his domini uerbis, Hoc est corpus meū, Hic est sanguis meus, solidis scripturæ argumentis demonstrabimus, si prius genuinum & ueterē sensum uerborum solennium paucis explicauerimus.

Vetus expositio uerborum cœnæ, Hoc est corpus meum.

Dominus panẽ discipulis suis in eadem mensa accũbens manu propria porrexit. Et cũ unum modo corpus uerũ, humanum & naturale haberet, hoc ipso utiq; uero corpore suo panem, non corpus uel alienum uel hoc ipsum suum discipulis porrexit. Neq; obturbat quod S. Augustinus enarrans Psal 33. illud de Dauide citat, Et ferebatur in manibus suis: quibus mox subiungit, Quis uero portatur in manibus suis. Manibus aliorũ potest portari homo, manibus suis nemo portatur. De Dauide ergo id non intelligitur, sed de Christo. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando cõmendans ipsum corpus suũ, ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. His enim uerbis S. Augustinus non affinxit duo corpora Christo humana, sed sensit corpus humanũ tulisse in suis manibus corpus sacramentale, id est ipsum panẽ qui est corporis ueri sacramentũ. Significanter enim dicit, Commendans corpus suum, ferebat illud corpus in manibus. Nã Concione secunda ijsdem prope uerbis, pauculis modo mutatis, Quomodo, inquit, ferebatur in manibus suis? Quia cum cõmendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles: & ipse se portabat quodãmodo cũ diceret, Hoc est corpus meum. Quibus uerbis manifeste declarauit se non sentire ipsum corpus Christi naturale, Christũ corpore suo naturali porrexisse discipulis: sed hoc quod norunt fideles, nimirum sacramentũ uel mysteriũ. Sequitur enim, Et ipse se portabat quodãmodo (obseruate quæso illud quodammodo) cum diceret, Hoc est corpus meum. Proinde uerba illa solennia, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur: &, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur, non alium sensum habere possunt, quàm hunc, Hoc est memoraculũ, memoriale uel memoria, symbolũ uel sacramentũ corporis mei pro uobis traditi, Hic calix, uel ipsum uinũ potius in calice, significat aut repræsentat uobis sanguinẽ meum semel effusum pro uobis. Sequitur enim in uerbis domini solennibus, quod mire hunc sensum confirmat, Hoc facite in mei cõmemorationẽ. Quasi dixerit, Nunc quidem præsens ante oculos omnium uestrũ obuersor: moriar autẽ & ascendam in cœlum, tum uero panis & calix hic sacer memoracula seu symbola erunt traditi mei corporis & effusi cruoris pro uobis. Tunc frangite panẽ & manducate, poculũ distribuite & bibite, & hæc in mei memoriam facite, laudantes mea in uos collata redemptionis & uitæ beneficia.

Quanquã uero hæc interpretatio calumnijs & cõuitijs tantum non oppressa, abominabilis cœperit esse plerisq;, ueram tamen, genuinam

nulnam, & omnium uetuſtiſſimã eſſe conſtat. Tertullianus lib. contra Mart. 4. Chriſtus acceptũ, inquit, panẽ & diſtributum diſcipulis, corpus ſuũ illũ fecit, Hoc eſt corpus meũ dicendo, id eſt, figura corporis mei. S. Hierony. in euang. Matth. Quomodo in præfiguratione Chriſti, inquit, Melchizedek ſummi dei ſacerdos uinũ & panem proferens fecerat, ipſe quoq; ueritatẽ corporis repræſentaret. Chryſoſt. Homel. in Matth. 83. Si mortuus Ieſus nõ eſt, inquit, cuius ſymbolũ ac ſignũ hoc ſacrificiũ eſt? S. Ambroſius in 1. ad Corinth. 11. cap. Quia morte domini liberati ſumus, ait, huius rei memores in edendo & potando, carnẽ & ſanguinẽ quæ p nobis oblata ſunt ſignificamus. S. Aurel. Auguſtinus non uno loco in eandem locutionum claſſem conijcit has locutiones, Sanguis eſt anima, Petra erat Chriſtus, & Hoc eſt corpus meum. Videamus ergo quid dicat de illis locutionibus, ut intelligamus quid de uera huius, Hoc eſt corpus meum, interpretatione iudicemus. Lib. Quæſt. 3. in Leuit. quæſt. 57. Reſtat, inquit, ut illud appelletur anima, quod ſignificat animã. Solet autẽ res quæ ſignificat, eius rei nomine, quã ſignificat, nuncupari. Sicut ſcriptũ eſt, Septẽ ſpicæ ſeptẽ anni ſunt. Non enim dixit, Septem annos ſignificant. Et ſeptem boues, ſeptem anni ſunt, et multa huiuſmodi. Hinc eſt quod dictũ eſt, Petra erat Chriſtus. Nõ enim dixit, Petra ſignificat Chriſtũ, ſed tanquã hoc eſſet, quod utiq; per ſubſtantiã hoc nõ erat, ſed per ſignificationẽ. Sic & ſanguis, quoniam propter uitalẽ quandã corpulentiã animã ſignificat, in ſacramentis anima dictus eſt. Tantũ ille. Idem Auguſt. contra Adimantum cap. 12. Sic eſt ſanguis anima, quomodo petra erat Chriſtus. Et iterum ibidẽ, Poſſum etiam præceptũ illud (de ſanguine anima pecoris, &c.) interpretari in ſigno eſſe poſitũ. Non enim dominus dubitauit dicere, Hoc eſt corpus meum, cũ ſignum daret corporis ſui. Hęc ille. Obſcura aut dubia eſſe hęc Auguſtini, ne Chorœbus quidẽ dixerit. Coniungat his qui uult quæ idem hic author clare tradit de figurata locutione lib. 2. contra aduerſ. legis cap. 9.

Sed definamus humana proferre teſtimonia de genuina & uetuſtiſſima uerborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, expoſitione, pergamus potius ſolida ex ſcripturis, quæ & promiſimus cõmemorare argumenta, quibus euincamus recedendũ à litera neceſſario, & uerba Chriſti ad eum quem diximus modum explicanda eſſe p tropũ. *Demonſtratio tropicæ locutionis in uerbis cœnæ, Hoc eſt corpus meum.*

Principio conſtat dominũ in præſenti inſtituiſſe ſacramentum: unde manifeſtũ eſt eo modo locutũ eſſe, quo ſolet ſcriptura aliàs in negotio ſacramentario, ut cum dicit Circũciſionẽ eſſe fœdus domini, Agnum eſſe tranſitum domini, Sacrificia eſſe & peccata, & ſan-

ctificationes, Baptiſmum eſſe lauacrum regenerationis. At demon ſtrauimus huius Decad. Sermone 6. has locutiones omnes admittere expoſitionẽ. Admittit ergo & hæc locutio, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, expoſitionem, quia ſacramentalis eſt. Admittit autem uulgarẽ illam, quam certiſſimum eſt receptam & uſurpatam eſſe à catholica eccleſia ab apoſtolorum temporibus, imò & à patriarchatum ſæculo ad nos uſq; ſigna accipere rerum ſignatarũ uocabula uel nomina, ut interim de ſubſtantia earum nihil participent, ſed in ſua natura propria permaneant.

Huc accedit quod dominus in euangelio ſecundũ Lucam epulũ paſchale coniunxit cum cœna hac dominica noſtra, adeoq; & hanc in illius locũ ſubſtituit: ut nihil mirum ſit ſi in cœna noſtra dixerit, Hoc eſt corpus meũ. Nam in epulo paſchali dicitur, Agnus eſt tranſitus domi. Quod quidẽ locutionis genus non erat obſcurum apoſtolis intelligentibus agnum hunc memoraculum eſſe tranſitus ſemel peracti. Ex illa itaq; intelligebant panẽ domini à domino ipſis oblatum corporis eſſe memoraculum. Alioqui enim in rebus multo minoris momenti diligenter percontabantur de genuino uerborum ſenſu dominũ. At in præſenti nihil interrogarunt. Erant enim omnibus ſanctis locutiones ſacramentales perſpectiſſimæ.

Præterea ſi pergamus ſimpliciter ad literã uerba cœnæ intelligere, conſequens erit dominum nobis corpus & ſanguinẽ ſuum corporaliter haurienda obtuliſſe. At in quem finẽ oro obtuliſſet, niſi ut ea corporaliter haurientes uiuamus? Cæterũ uniuerſa ſcriptura canonica docet uitam uel ſalutẽ & iuſtitiã noſtrã ſola fide (quæ & ſpiritualis manducatio eſt) in traditum corpus & effuſum ſanguinem, nullo autem opere noſtro, nedũ corporali manducatione corporis Chriſti, quam ipſe alibi docet nihil prodeſſe, conſtare. Cum autẽ nõ ſit niſi una eaq; ſimpliciſſima uitæ & iuſtitiæ parandæ ratio, per ſolam fidẽ, non per opus manducationis noſtræ, neq; ſibi ipſi cõtradicat ſcriptura, certe huiuſmodi opus manducationis non inſtituit dominus: & iccirco expoſitionẽ recipiunt uerba ſolennia cœnæ.

Si panis eſſet uerum & naturale corpus domini, omnino ſequeretur etiam impios hoc pane participantes, percipere corpus Chriſti, adeoq; carnem eius fieri cibum uentris: cum careant illi mente fideq;. Verum ab ea cogitatione ut abſurda & indigniſſima omnes ſancti abhorrent. De qua re paulò poſt dicam pluſcula. Recipit ergo interpretationem ſententia Chriſti, Hoc eſt corpus meum.

Vniuerſa ſcriptura canonica teſtatur dominum Ieſum Chriſtum aſſumpſiſſe de intemerata uirgine corpus corpori noſtro, id eſt humano,

mano, per omnia consubstantiale, imò factum esse illum nobis per omnia similem, excepto peccato. Iam uero constat ipsum de uero corpore suo sensibili loquutũ, cum ait, Hoc est corpus meum. Nam addit, Quod pro uobis frangitur, uel traditur. Verũ enim, naturale, sensibile, uel humanum pro nobis traditum et mortuum est. At hoc nusquam apparet in pane, uel sub pane. Recipiunt ergo uerba domini interpretationem.

Certe si domini sententia fuisset ex pane facere corpus, ex uino sanguinem iuxta potentiam qua uerbo condidit omnia, simul atq; dixisset, Hoc est corpus meum, panis fuisset corpus Christi, & illud ipsum corpus quo de loquebatur, mortale, passibile & palpabile, uisibileq;. Dixit enim & facta sunt: ipse mãdauit & creata sunt. Dixit, Fiat lux: & facta est lux, & huiusmodi quidem lux, quæ & sentiretur & luceret. Cæterum in Cœna nihil uidemus in manibus Christi, quàm panem, nullum corpus. Proinde mens saluatoris non fuit hisce uerbis, Hoc est corpus meum, condere aut facere ex pane corpus. Alioquin enim factum fuisset.

Nec est quod hic nobis nebulas suas spargentes offundant & fucos suos allinant putridę structuræ, utentes uocabulis Ineffabiliter, supernaturaliter, inuisibiliter, non qualitatiue, non quantitatiue, nõ ut in loco. His enim omnia suæ, aliud interim effecturi, miro dei iudicio, subuertunt. Si enim mysterium hoc ipsorum ineffabile est, quare utuntur hisce uocibus essentialiter, substantialiter, realiter, corporaliter? Effantur certè modum præsentiæ, qui sic loquuntur. Si supernaturaliter est panis corpus Christi, quare ipsi adijciunt naturaliter. Si uero panis est corpus Christi inuisibiliter, nequit esse corporaliter, nequit esse uerum corpus, cuius proprietas est uisibile esse. Quis non rideat, si audiat ignem alicubi ardere & splendere lumẽ, sed frigide & sine luce? Si non adest qualitatiue, quantitatiue, & ut in loco, ergo corporaliter non adest. An non corporum sunt quantitates, qualitates & locus? Audite enim quid Augustinus dicat, ad Dardanum de præsentia dei, Spacia locorum tolle corporibus, inquit, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint. Nos ergo ne spoliemus corpus domini suis proprietatibus & sic negemus ueritatem corporis eius: rursus ne in eadem sententia adducamus tot cõtraria & absurda, exponimus uerba domini, Hoc est corpus meum, hoc est memoraculum corporis mei: uel, Hoc significat corpus meum.

Item uocula E S T, substantiue accipienda est in uerbis domini,

Hoc est corpus meum, consequitur panem conuerti in carnẽ Christi. Sed hoc non fieri omnes sensus arguunt, manente substantia nõ tantum accidentibus panis. Necesse est itaq; ut aduersarij intelligãt in hoc, cum hoc, uel sub hoc esse corpus Christi. Verum ita discesserunt & ipsi à simplicitate uerborum domini, dicẽtis, Hoc est corpus meum: & non, Sub hoc est corpus meum.

Rursus si uerbis præscriptis affixi ne latum quidem pilum ab ijs citra sacrilegium deflexerimus, cur obsecro ausi sunt uerba quæ calicis uocant alio prorsus modo recitare S. Lucas & Paulus, quàm S. Matthæus & Marcus? Hi enim uerba sacri calicis sic reddunt, Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Illi uero sic commemorant, Hoc poculum nouum testamentum per sanguinem meum, qui pro uobis effunditur: &, Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine. An uero existimamus nihil differentiæ esse inter sanguinem Christi & inter nouum testamentum? Nouum testamentum finit post Ieremiam Paulus esse plenariam omnium peccatorum remissionem. Ac idem ille dicit sanguine Christi hanc peccatorum remissionem esse partam. Quis uero fuerit tam impudenter contentiosus ut audeat asserere ipsum poculum, aut uinum in poculo realiter & substantialiter esse remissionem peccatorum? Quid quod poculum uel calicem, non uinum, non potum, cogemur fateri uel sanguinẽ Christi, uel nouum testamẽtum, aut remissionem peccatorum esse, si pergamus literæ inhærere mordicus? Non enim dicit dominus, Hoc uinum, sed Hoc poculum. Libenter autem hic propter absurditatem uitandam admittimus tropum: quare ergo in æquali causa sumus iniquiores? Ergo sicut poculum uel uinum est testamentum uel remissio peccatorum, ita poculum uel uinũ est sanguis Christi, eademq; ratione panis est corpus Christi. Poculum autem substantialiter non est peccatorum remissio aut sanguis, sed sacramentum sanguinis Christi quo dedicatum est testamentum nouum, & nobis obtenta plenaria peccatorum remissio: ergo panis est corpus Christi, quia sacramentum est corporis Christi.

Firmum quidem est argumentum quod produximus, sed non minus firmum futurũ speramus, quod modo producturi sumus. Dominus cœnam sacram peragens, Hoc facite, inquit, in mei memoriam. Ac ea uerba non permittũt, ut eorum præsentiam realem statuamus, quorum meminisse debemus. Quis enim eorum meminisse dicitur, quæ coràm præsentia contemplatur? Non debemus autem recedere à simplici significatione reminiscentiæ, aut memo-

riæ,

riæ, præsertim cum Paulus dicat, Mortem domini annunciate donec uenerit. Inde enim sic colligimus, Cuius memoria peragitur donec ueniat uel redeat, is certe non prȩsens habetur sed uenturus expectatur: ergo corpus domini traditum pro nobis, cuius memoria peragitur in cœna mystica, non habetur præsens. Venturum enim expectatur.

Iam & loci illi qui de relinquendo per Christum mũdo, de abeundo hinc loquuntur, non admittunt simplicem uerborum cœnæ interpretationem. Expedit uobis, inquit, ut ego uadam. Si enim nõ abiero, consolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam illum ad uos. Item, Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Et iterum, Et posthac non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pugnant sanè hæc Abijsse hinc, Amplius non esse in mundo, Reliquisse mũdum: & corpus suum naturale esse in mundo, adeoq; in cœna realiter & substantialiter exhiberi & recipi. Neq; uero licet testimonia ex euangelio Ioannis de abitione Christi adducta tropice interpretari. Apostoli enim fatentur dominum clare uel diserte citra parabolam esse loquutũ. Quia ergo apostoli testãtur hunc domini sermonem simplicem esse, uel simpliciter pronunciatum, necesse est alia illa opposita his uerba, Hoc est corpus meum, interpretari per tropum, ne secum pugnet scriptura. Præterea loci qui testantur post ipsam resurrectionem Christi corpus loco circumscribi, uideri & tangi, quæ & ipsa discrimen constituunt inter corpus Christi clarificatũ, & angelicos spiritus, (ubi obiter cernis cõmentum modi definitiui nullũ hic habere locũ) minime admittunt nudã uerborũ domini solenniũ interpretationẽ. Angeli dicunt, Surrexit. Non est hic, Ecce locus, ubi posuerũt eum. Item, Præcedet uos in Galilæam. Ibi eum uidebitis. Et iterum ipse ad discipulos, Contrectate me & uidete. Spiritus carnem & ossa non habet sicut uidetis me habere. Hæc de corpore clarificato (quale est quod ascendit, sedetq; ad dexteram patris) pugnant prorsus cum ubiquitate cum insensibilitate corporis Christi: quam tamen omnino statui necesse est, si pergamus realem corporis Christi præsentiam ex uerbis Cœnæ simpliciter intellectis urgere. Quibus accedit quod apostolus de resurrectione disputans, Si mortui non resurgunt, inquit, ne Christus quidem resurrexit. Resurrexit autem Christus primitiæ dormientium: ergo nos quoq; resurgemus. Ex nostris ergo corporibus resuscitatis apparet etiam quale fuerit, aut fit corpus Christi gloriosum, cui corpora nostra fiunt cõformia. Nostra autem futura sunt uera neruis, uenis, carne,

Ioan. 16.

Marc. 16.

Luce 24.

1. Cor. 15.

cute & ossibus constantia, uisibilia nō inuisibilia, & in loco aliquo cœli certo, non ubicq; unde consequens est, ne domini quidem corpus inuisibile & ubicq; esse. Quod si quis arbitratur uiciosum esse argumentum quod à corpore nostro resuscitato ducitur ad corpus
1.Cor.15. domini resuscitatum, aut contra, Paulum accuset qui hoc nos docuit suo exemplo. Fides ergo catholica & orthodoxa cogit nos per tropum exponere uerba Cœnæ.

Cum denicq; Capernaitæ differentem dominum de manducatione corporis sui & potando eius cruore audissent, & modum cogitarent imaginarenturq; edendi bibendicq; carnalem, ille dixit se ascensurum in cœlum: uidelicet illis non esse cogitandum de naturalis sui corporis esu, quando in eo ipso corpore in cœlos ascensurus esset. Necq; hic locum habet quorundam nouū & elumbe com-
Ascendere in cœlum. mentum, confingentium, Ascendere in cœlum, aliud non esse quā conditionem infirmam deponere, recipere supernaturalem. Nam Lucas cui omnino plus credendum est, quàm huiusmodi argutijs
Act.1. imò ineptijs, dicit dominum in altum esse sublatum, & in cœlos à discipulorum cōspectu subductum, adde & nubem suscepisse eius corpus: discipulos item defixis in cœlum oculis euntem prosequutos, donec audirēt ab angelis, ad eum omnino modum rediturum, quo abeuntem uiderant. Quis autem ignorat ipsum rediturum in nubibus cœli? Proinde cœlum in quod ascendit dominus, loci nomen est, non conditionis. Locum nobis quoq; promittit apud se-
Ioan.14. metipsum in euangelio dicens, Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Quid quod omnes mortalis corporis conditiones uel infirmitates in ipsa resurrectione deposuerat, ut eas nihil necesse habuerit in ascensione sua deponere?

Non negabit, opinor, quisquam fidelium, nihil instituisse nobis dominum inutiliter aut fine luculento aliquo fructu nostro. Cum autem in euangelio dixerit dominus carnem suū corporaliter manducatam non prodesse: ubi non de alio corpore locutus est, quàm de eo ipso de quo in uerbis cœnæ, quod uidelicet tradidit pro nobis: irrefragabiliter sequitur, dominum in cœna nobis non tradidisse quod non prodest. Tradidisset autem quod non prodesset, si corpus suum corporaliter manducandum tradidisset. Claret ergo uerba cœnæ omnino interpretari oportere.

His omnibus accedit illustris prophetia ac mandatum disertum & minime obscurum domini nostri Iesu Christi, dicentis in euan-
Matt.24. gelio, Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere

credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri possit etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus (ἐν τοῖς ταμείοις in claustris inquam. Ταμεῖα enim loca sunt abstrusiora penitioraq; in ædibus, in quæ reponimus quæ uolumus esse tutissima, quæ Germanice appellamus schrryn / schloss vnd ghalt) nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Quamuis uero hic locus à multis soleat exponi de Iudaicis calamitatibus, negari tamen non potest, quod & ipse fatetur beatus Hieronymus, eadem opera totius mundi ad finem usq; sæculi fata contexi. Concluditur certe hic locus quem adduximus, sententia de ultimo Christi in mundum sub diem iudicij aduentu prolata: præterea negari non potest, simpliciter hic damnari à domino doctrinam quæ Christum in terrarũ diuersis locis, in scrinijs aut munitis locis commorantem uel præsentem, ostendit. Id quod transsubstantiationis doctores facere non libri modo ipsorum, sed & erecta corpori Christi, quæ ubiq; locorum cernuntur, tabernacula (quæ uocant ciboria) sacella item, atq; adeò etiã augusta templa & monasteria testãtur. In his locis omnibus & singulis, in his, inquam, locis commonstrant nobis Christum, dicentes, Ecce hic, ecce illic Christus, Ecce panis angelorũ. In his hostijs omnibus totus est Christus, & in qualibet partium earum totus & plenus, talis qualis natus est de uirgine & pependit à cruce. Id quod protinus astruunt miraculis & prodigijs, ornant item uerborum inuolucris, mysteria tanta non inquirenda esse, sed credenda simpliciter. Ista enim fieri ineffabiliter & inuisibiliter per omnipotentiam dei. Nec dissimulauit dominus quantum hic error profecturus sit. Tantus erit prouentus, tanta frequentia errorem recipientium, & post Christum in deserta & ad penetralia concurrentium, ut etiam electi periculo inuoluantur. Sed quid interim in tanto periculo rerumq; discrimine suos docet facere Christus? Secundum repetit, Nolite credere. Quid nolite credere? Christum hic aut illic in terris, in deserto aut in penetralibus, uel etiam in medijs urbibus, uel in agro esse. Addit, Nolite exire. Ne sequamini turbam per distantiam locorum inquirentem Christum quasi in terris adhuc conuersantem. Proinde si iam uniuersus mundus, & omnia in mundo concilia, omnes reges & principes, adde & omnes angeli & diui iubeant nos credere Christum corporaliter hic & illic esse, solius tamen redemptoris Christi filij dei sapientiæ patris, per quem

omnia condita sunt, præceptum, illud ipsum credere prohibentis, eam apud omnes pios habebit authoritatem, ut sciant non ita credendum esse sicut præcipiunt creaturæ, sed sicut mandauit creator. Quinimò dignatur dominus in hoc ipso euangelij loco rationem nobis reddere suæ doctrinæ. Quare enim non credendum est Christum in hisce terris conuersari uel præsentem esse corporaliter, sed interim inuisibiliter? Quia sicut fulgur exit ex oriente, & apparet usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Id quod perinde est ac si dixisset, Semel uenit humilis in terras filius dei ad liberandos nos per humilitatem & mortem crucis, ea re peracta relictis terris ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris: inde non redibit in has nostras regiones nisi ad iudicium. Tum uero apparebit gloriosus, illustris, omnibus cõspicuus ueluti clarissimus sol, imò ueluti terrificum omnibus impijs fulgur. Proinde non est quod illum ab ascensione usque ad reditum in iudicium expectemus inuisibiliter aduenturum, & nobiscum tamen corporaliter præsentem futurum. S. Hieronymus hunc ipsum locum enarrans, Hoc quoque dicendum est, ait, quod secundus saluatoris aduentus, non in humilitate ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaque eum in paruo loco uel in abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit. Hæc ille. Verum ne uidear humano inniti testimonio, commemorabo quæ Paulus nos docuit in epistola ad Hebræos. Christus semel, inquit, sub consummationem sæculorum ad profligationem peccati per immolationẽ suiipsius apparuit. Et quatenus cõstitutum est hominibus semel mori post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, secundo absque peccato conspicietur ijs qui eum expectant in salutem. Quoniam ergo dominus noster semel uenit in mundum, semel oblatus est, iterum autem uel secundo uenturus est in fine sæculi, certe non uenit quotidie iterum in hunc mundum. Et quoniam prohibuit credere, si quis illum nobis in mundo hic & illic præsentem commonstret; necessario autem sequeretur ipsum hic & illic, imò in omnibus locis ubi eucharistia celebratur commonstrari posse præsentem, si uerba cœnæ ad literam intelligamus: ergo irrefragabiliter per collationem locorum consequitur, uerba cœnæ dominicæ non iuxta literam interpretari oportere.

Hebr. 9.

His puto satisfactum minime contentiosis ingenijs. Intelligunt haud dubie de sacramentis loquendum esse sacramentaliter, & locutiones sacramentales sacramentaliter esse exponendas. Præterea contra credendi regulam nihil oportere credi. Miracula uero &

Miracula & omnipotentia dei.

omnia

omnipotentia dei, quæ hic ad ornandam & persuadendam causæ sam malam producuntur, nihil probant post tot & tam euidentia argumenta ueritatis. Miracula adiunguntur uerbo ueluti sigilla. Id quod apud Marcum attestatur ipse dominus. Si ergo illa pugnent cum uerbo, & illud asseuerent quod uerbum omnibus modis negat: quis non intelligat de eorum esse miraculorum genere, quo de loquitur apostolus in 2. ad Thessaloniceñ. 2. cap. & de quo iam au diuimus admonuisse in euangelio dominum, ne eis credamus. Omnia quidem potest dominus, sed ideo non facit omnia. Omnia quæcunq; uoluit fecit dominus, ait propheta, in cœlo & in terra. Porrò non uult uerbo suo & fidei suæ contraria facere: ergo ea non potest quæ non uult. Theodoretus in Polymorphi dialogo 3. Dominus deus, inquit, nihil uult eorum, quæ non sibi suapte natura insunt. Potest autem quæcunq; uult. Vult autem quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia. Natura autem cum uerax sit, deus non potest quæ uerbo eius contraueniunt. Addunt alij ortho doxi, Non quod omnia non possit, sed quod id nolit quod contra naturam eius est, neque deceat, ut contra semetipsum agat.

Interim diserte profiteor, me non omnem Christi præsentiam in ecclesia, & in ipsa quoque actione cœnæ damnare aut oppugnare simpliciter. Oppugno enim significanter corporalem illam præsentiam Christi in pane, quam tuentur & obtrudunt ecclesiæ dei Papistæ. Fateor autem ingenue, pleno ore, & corde syncero, spiritualem illam diuinam & uiuificam Christi & in cœna & extra cœnam domini præsentiam, qua ille se non symbolis quidem inanimis, sed nobis per spiritum suum insinuare, & nos omnium bonorum suorum participes facere, iustificare, uiuificare, alere, sustentare & satiare pergit: quam & nos per fidem in nobis ipsis sentimus, per quam & sustentamur, alimur atque satiamur. Est enim Christus ecclesiæ suæ caput: & nos cum ipso communionem habemus. At quomodo esset sine capite suo corpus uiuum? Quomodo nos Christo participaremus, si ipsum in nobis non sentiremus prçsentem, imò uiuentem atq; operantem? Verum de his suo quoq; loco dictum est copiosius. *De præsentia Christi in cœna.*

His obstrepunt, sat scio, alij quidam ueritati aliàs non iniqui, clamantes hac ratione modum præsentiæ Christi in cœna non plene satis exprimi, præsertim cum ipse dixerit aliàs quoque, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ego, inquit, totus, non mea uirtus aut diuinitas, non meus spiritus, aut mea uis. Præterea periculum esse ne Christum uideamur discer *Matth. 28.*

pere, cum is totus nobiscū esse non possit, nisi corpore perinde ut diuinitate nobiscum sit. Nos uero miramur illorum cogitationes. An non intellexerunt dominum in diuino illo sermone suo, & in ipsa cœna & protinus à cœna habito, nihil perinde inculcasse atq; illud ipsum quod ipsi impugnant, nempe Christum abiturum corpore, præsentem autem futurum spiritu: & hanc quidem præsentiam ecclesiæ utiliorem futuram, quàm corpoream? An non intellexerūt quare incarnatus & cruci affixus sit, hoc est, quis sit effectus & usus corporis Christi, nimirum ut semel pro nobis litata in terris hostia corporis sui, hoc efferret in cœlum, in argumentum quod & corpora & animæ nostræ per eius meritum illuc post mortem sint euehendæ? Postquam ergo in terris expleuit corpus domini ad quod explendum uenerat, nihil est quod amplius agat in terris. Sedet iam, & sedere debet ad dexteram patris, ut illic nos omnes ad se trahat. Legat autem doctrinam apostoli Pauli in 9. & 10. cap. epist. ad Hebræos, si quis hisce nostris nondum plene credit. Legat 14. & 16. cap. euangelij Ioannis. Si autem istis uolupe est contentionis funem trahere, & his uerbis domini, Ego uobiscum sum usque ad consummationem sæculi, perinde ut illis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, mordicus inhærere, age explicent hæc mihi sancta sanctæ scripturæ testimonia, Paulus dicit habitare Christum in cordibus nostris, Viuere in ipso Christum, & se in Christo uiuere. Dominus dicit ad latronē, Hodie mecum eris in paradyso. Et euangelista dicit de mortuo domino, Posuerunt eum in monumento. Non dicit scriptura, Posuerūt carnē & ossa in monumento: sed posuerunt eū in monumento. Non dixit dominus latroni, Anima tua erit cum spiritu uel anima mea in paradyso: sed, Amē dico tibi, Hodie mecū eris in paradyso. Nec dicit Paulus Christi spiritū & uitam uiuere in ipso, aut habitare in cordibus nostris: sed Christum simpliciter dicit habitare in cordibus nostris. Quis autem tam absurdus & rixis impexus, ut propter ista loca & uerba scripturæ contendat diuinitatem simul cum corpore Christi esse sepultam, corpus Christi simul cum anima fuisse eo die in paradyso, quo uterq; excessit, Christi corpus simul cum spiritu habitare in cordibus fidelium & uiuere in Paulo, & Paulum uiuere in carne Christi? Libenter admittunt omnes catholicum catholicæ ecclesiæ ex uerbo dei sensum, nempe Christum spiritu suo ecclesiæ suæ in finem usque sæculi præsentem esse, corpore absentem, latronis animam in paradyso cum anima Christi non cū corpore fuisse collectam, Sic iudicat & de reliquis. Quod si quis meæ interpretationi diffidit,

diffidit, audiat S. Augustinum Tract. in Ioannem 50. sic dicentem, Loquitur de præsentia corporis cum dicit, Pauperes semper habebitis uobiscum, me non semper habebitis. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem gratiã impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sęculi. Secundum carnem autem quam uerbum assumpsit, secundum id quod de uirgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno affixus, quod de cruce depositus, quod linteo inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus uidendo, non sequendo, ascendit in cœlũ: ET NON EST HIC. Ibi enim sedet ad dexterã patris, ET HIC EST. Non enim recessit præsentia maiestatis. Tantum August. Porrò si his omnibus spretis pergunt urgere & inculcare illud domini ex Matthæo, Ecce ego, ego inquam (μεθ' ὑμῶν) uobiscum sum: opponimus eis hoc domini et ipsum ex euangelio, Expedit uobis ut ego (en habent hic quoq; ego) abeam: opponimus item hoc angelorum testimonium ex Luca, Hic Iesus qui assumptus est (ἀφ' ὑμῶν) à uobis in cœlum &c. Cogentur tandem uelint nolint in speciem pugnantia conciliare loca, & uniuersalẽ admittere sensum quem hactenus defendentes protulimus.

Neq; ullum est hic diuisionis Christi periculum: neq; diuidimus personam Christi cum Nestorio, cum proprietatem utriusq; naturę in Christo contra Eutychianos asserimus. Cum in terris corpore adhuc uersaretur Christus dominus, in cœlis se nihilo minus etiam fuisse aut esse ipsemet in euangelio testatur. Et reuera Christus, qui & deus & homo pariter erat, tunc in cœlis erat, quando crucifigebatur & uersabatur in terris, tametsi in cœlis minime crucifigeretur corpus eius. Quemadmodum autem ipse Christus semetipsum nõ diuidebat, licet in cœlo existens, in terris tamen non in cœlo & uersabatur & crucifigebatur in corpore: ita neq; nos diuidimus Christum deum & hominem, etiamsi ipsum cœnantibus præsentem adesse & nos ei communicare dicamus, nihilo minus tamen corpore suo in cœlo ad dexteram patris manere affirmemus: atq; ita intra fines scripturæ consistamus. Ea de re pluribus disputaui, cum differerem de una persona, & duabus in Christo inpermixtis naturis. *Non diuidimus Christus.*

Hactenus de sententia genuina uerborum Cœnæ domini, quã potui breuitate & euidentia, dixi. De loco Pauli 1. Corinth. 10. Calix benedictionis cui benedicimus &c. quem illi quoq; pro corporali præsentia asserenda proferunt, non est quod pluribus agam: semel enim & iterum is à nobis locus est tractatus.

De ueramã ducatione corporis Christi.

Restat ergo ut expendamus quid illi de manducatione corporis Christi tradant, & quid de ipsa sentiendum doceant scripturæ canonicæ. Illi, Quod promisit dominus, inquiunt, id præstat certissime & plenissime. Subiungunt, Promisit autem se daturum sub specie panis & uini, uerum suum corpus, & uerum suum sanguinem, ad cibum & potum in uitam æternam. Colligunt, Verum ergo corpus & sanguinem suum dedit fidelibus sub specie panis & uini ad cibum & potum uitæ æternæ. Vnde & talem omnino manducari oportet qualis est, corporalis, corporaliter. Ad quam rem cõfirmandam adducunt sermonem domini, qui contexitur in euangelica historia apud Ioannem in cap. 6. Respondemus deum plenissime & perfectissime quod promisit præstare, sed addimus ipsum non ad eum quem ipse nobis sensum confingimus, sed quem uerbum eius uere habet, præstare. Videndum ergo ante omnia quo sensu promiserit dominus se carnem suam in panem, et sanguinem suum in potum fidelibus exhibiturum: deinde quomodo edamus eius carnem & bibamus eius sanguinem. Allegorica sunt plane, uel paraboIica quæ proferuntur hic à domino propè omnia. Promittit dominus se carnem daturum in panem, uel ad cibum, sanguinem ad potum. Quoniam uero cibus & potus instituta sunt & dantur hominibus ad uitam corporalem conseruandam, dominus autem Ioannis 6. non de corporis, sed animæ uita loquitur, transitus certe fit à rebus corporalibus ad spiritualia. Iam ergo cum promisit dominus daturum se carnem suam ad panẽ, uel in cibum, sanguinem suum ad potum, quid aliud promisit quàm traditurum se corpus suum in mortem, sanguinem suum effusurum in remissionem peccatorum? Nam morte Christi conseruamur, ceu cibo in uita, & liberamur à morte, Sanguine Christi abluimur à peccatis, & ueluti potu inebriantur animæ nostræ. Nihil ergo loquitur hic dominus de pane eucharistiæ, nec promittit se ex pane in cœna effecturum carnem suam, aut sub specie panis daturum suum corpus. Commentitia autem & falsa sit hæc mea expositio uerborum Christi de corpore uel carne eius dando in panem &c. nisi uerbis Christi expositionem meam confirmauero. Dixerat in euangelio dominus, Operemini cibum qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius

Quomodo Christus dederit carnẽ suam nobis in panẽ, id est ad cibũ uitæ.

filius hominis dabit uobis. Idem paulo post per interpretationem subdit, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Dixi me panem uel cibum uobis daturum (Panis enim domino more Hebraico cibum & sustentamentum significat) hic autem panis, uel hic cibus est caro mea inquit, carnem ergo meam me uobis daturum promitto, cum panem uitę promitto. Habes expresse dominū per panem nō intelligere corporalem panem, uel eu charistiæ panem. Sed quomodo carnem promittit ad panem, id est ad cibum uel ad uiuificandum? Repetit iterum dominus uerbum Dabo, & ait, Quam ego dabo pro mundi uita. Impendam nimirū eam in mortem, ut morte mea uos uiuificem. Moriendo itaq; cibabit, id est uiuificabit caro mea. Hęc de promissione carnis in panem: sequitur de manducatione.

Sicut autem scriptura sancta ubiq; citra tropum & extra allegoriam tradit nos mortis Christi, aut traditi eius corporis pro mundo participes fieri ad uitam per fidem: ita & in præsenti per tropum uel allegoriam iubet nos edere & bibere carnem & sanguinem Christi ad uitam æternam. Proinde edere carnem Christi, ac bibere eius sanguinē, nihil est aliud, quàm credere corpus Christi pro nobis traditum, sanguinem autem effusum esse pro nobis in remissionem peccatorum, ac per consequens manere in Christo, & manentem in nobis Christum habere. Fides enim de qua loquimur, non est imaginatio aut cogitatio duntaxat rerum præteritarum & extra nos positarum, sed certissimus assensus adeoq; sensus quidā rerum diuinarum, intra nos magno cum fructu perceptarum. Ideo enim & per allegoriam edendi & bibendi, non modo fides, sed & fidei uirtus à domino per Ioan. significatur. Cibus non sine uoluptate transit in corporis nostri substantiam: fide ergo magno spiritus desiderio coniungimur cum Christo, ut is uiuat in nobis, nos in Christo uiuamus, communicantes omnibus bonis eius. Spiritualis est hæc Christi manducatio: qui ne hilum quidem hic de crassa uel corporali manducatione, inutili plane, uel somniauit. Verum cum in uocibus edere & bibere carnem & sanguinem domini cardo contrauersiæ uoluatur, illis corporaliter ipsas interpretantibus, nobis spiritualiter, demonstrādum uidetur, dominum per edere et bibere nil aliud intelligere uoluisse, quàm credere, & per consequens manere in Christo & manentem in nobis Christum habere: proferemus itaq; nostræ assertionis per collationem locorum scripturæ testimonia diserta sex.

Quomodo edatur corpus Christū & bibatur eius sanguis.

1 Dominus, Ego sum panis ille uitæ, inquit, qui uenit ad me, non esuriet: et qui credit in me, nõ sitiet unquam. Quis autem negabit relationem inuicem habere Edere & non esurire, bibere & non sitire? Quoniam ergo dixit dominus, Non esuriet, præmisisset, Qui edit me: sed maluit uti uerbo ueniendi, & dicere, Qui uenit ad me non esuriet, Edere ergo est uenire, & uenire edere. Quid autem sit uenire ad ipsum, ipse mox explicat & ait, Omnis qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me: id est recipit me, & credit in me. Nam & Paulus dixit, Oportet accedentem ad deum credere, Hæc autem irrefragabiliter euincunt Edere aliud non esse quàm credere. Sequitur enim adhuc clarius, Et qui credit in me non sitiet unquam. Qui bibit non sitit: pro bibere ergo reposuit credere: ergo bibere est credere. Nam fides mentes nostras satiat & pacificat. Habent hic responsionem qui obijciunt, An non dominus ipse uerba habuisset, quibus explicare potuisset mentem suam siquidem intellexisset per edere & bibere credere. Habent inquam apertum testimonium quo alterum usurpat pro altero.

Heb.11.

2 Rursus dicit in eodem sermone dominus, Qui edit carnem meã & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Idem in eodem sermone, Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium et credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. En habes iterum çquipollere, edere carnem Christi bibereq; eius sanguinem, & credere in Christum.

3 Item, Ego sum panis uiuus, ait dominus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Rursus autem, Amen dico uobis, inquit, qui confidit mihi, habet uitam çternam. In idem ergo recidunt edere Christum & confidere Christo.

4 Et iterum, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Porrò Ioannes apostolus in sua canonica dicit, Quisquis confessus fuerit, id est crediderit, quod Iesus est filius dei, deus in eo manet & ipse in deo.

1. Ioan. 4.

5 Item, Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Et Ioan. 8. dicit idem dominus, Si non crediderit is quod ego sum, moriemini in peccatis uestris. Et iterum, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

6 Rursus dicit dominus, Sicut me misit uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: ita & qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me. Et Ioan. 5. cap. Sicut pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam

uitam habere in semetipso. Et in epistola canonica, Qui credit in filiũ dei, habet testimoniũ in seipso. Et, Qui habet filiũ, habet uitam.

Diuinis hisce & euidentissimis testimonijs subiungimus modo humana, perhibentia & ipsa Christum edere aliud nihil esse quàm credere & in Christo manere. Augusti. Tract. in Ioan. 25. hæc uerba domini, exponens Hoc est opus dei, ut credatis in eum quẽ misit ille, sic scriptũ reliquit, Hoc est ergo manducare cibum qui non perit, sed qui permanet in uitam æternã. Vt quid paras dentes & uentrẽ? Crede & manducasti. Idem iterum Tract. 26. Credere in eum, inquit, hoc est manducare panem uiuum. Qui credit in eum, manducat inuisibiliter, saginatur, quia inuisibiliter renascitur. Et iterum in eodem Tractatu, Hoc est manducare illam escam, ait, & illũ bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere: ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, &c. Idem iterum lib. de Doctr. Christ. cap. 16. docens quando admittenda sit figurata locutio, quando non admittenda, dicit, Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam uetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere: figurata est ergo, præcipiens passioni domini esse communicandum, & suauiter atq; utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit. Hæc Augustinus, qui proculdubio non tantum suum sensum protulit, sed totius catholicæ quæ tunc erat ecclesiæ. Videant ergo quid agant aduersarij, qui omnes sanctos uoluntad hoc scelus uel facinus adigere, ut uidelicet corpus Christi corporaliter manducemus.

His omnibus præterea illud etiam accedit, euidentia & perspicatia sua omnia propè præcedentia excellens, quod ipse dominus Iesus admirantibus, imò obmurmurantibus atq; dicentibus, Quomodo potest hic carnem illam suam dare ad edendum, post explicatam ueræ fidei summam, respondet, Hoc ne uos offendit, quod dixi me panem cœlo delatum, carnem meam in cibum uitæ daturum credentibus? Non arbitror offensionem illam iustum habiturum locum, ubi uideritis me in cœlos ascensurum, unde ad uos descendi, & in quo cum patre ab æterno eram. Tunc enim ex ascensione diuina intelligetis me panem esse cœlestem, naturalem dei filium, & uitam mundi: intelligetis præterea carnem meam non morsibus

Caro non prodest quicquam.

corporaliter dilaniandam & absumendam fore, ut quæ sublata est in cœlos in arrhabonem salutis humanæ. Quibus protinus subiungit, Spiritus est qui uiuificat: caro non prodest quicquam. Et adhuc clarius, Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Constat autem carnem Christi permultum prodesse, & multò plus prodesse mundo, quàm ulla possit quantūuis eloquens lingua effari. Quinimò prædixit dominus, nos non habituros uitam, nisi manducata carne eius. Sic ergo negauit dominus carnem suam prodesse quicquam, ut Capernaitæ intellexerunt manducandam, corporaliter. Corporaliter manducata non prodest quicquam, spiritualiter autem manducata uiuificat: ac de spirituali manducatione, ex qua uita existit, locutum se dominus diserte dixit.

Istis ad hunc modum expositis & confirmatis, in breuem summam recolligimus quod ad aduersariorum obiectionem responderi posse existimamus. Vera est propositio, quæ asserit dominum certò quæ promisit præstare. Sed falsa est secunda propositio, quæ enunciat dominum in sermone suo Ioan. 6. cap. per panem intellexisse materialem eucharistiæ panem, atq; hunc se in carnem suam conuersurum promisisse. Nam per panem non intellexit materialem Eucharistiæ panem, sed ad idioma Hebraicum cibum uitalem, adeoq; carnem suam ueram, quam in mortem tradidit, in cibum inquam, ut nos per Christi mortem uiueremus. Sic ergo texenda fuerat argumentatio, Quod deus promittit præstat: promittit se autem carnem suam in panem, id est, in cibum & uitam daturum. Dedit ergo carnem suam in cibum: id est, impendit se in mortem, ut per mortem eius uiueremus. Quæ cum ita habeant, cibus certe quo de loquitur dominus, non est corporalis cibus, licet ipse dominus uerum, humanum, & naturale corpus nostro consubstantiale habeat, sed spiritualis: non quod caro conuertatur in spiritū: sed quod spiritualiter non corporaliter hauriendus traditur. Fide autem non ore corporeo spiritualiter manducatur. Nam ut esus uel manducatio cibi nos facit participes: ita corporis & sanguinis Christi per fidem efficimur consores.

Recte adaptari negotio cœnæ domini uerba Ioā. 6.

Sed qui factum est, ais, cum panis cuius mentio fit Ioan. cap. 6. non significet panem cœnæ, quod omnes ferè ecclesiarum doctores, interpretes, & ministri hunc sermonem adaptarunt cœnæ domini? Respondeo adaptari posse hunc domini sermonem negotio cœnæ domini propter alias causas, tametsi panis nō significet Eucharistiæ panem. Imò confiteor hunc domini sermonem de manducanda carne, & bibendo sanguine eius, plurimum lucis inferre negotio

negotio cœnæ domini. Augustinus certe lib. de Conſ. euangeliſtarum 3. cap. 1. Ioannes de corpore & ſanguine domini, inquit, hoc loco (Ioan. 13.) nihil dixit, ſed planè alibi multò uberius hinc dominum locutum eſſe teſtatur. Hæc ille de capite nimirum loquens Ioan. 6. Quia enim una atq; eadem caro & idem corpus eſt domini noſtri, de quo ipſe utrobiq; loquitur & Ioan. 6. & Matth. 26. & utrobiq; id ipſum pro nobis uel pro uita noſtra in mortem tradi dicitur: quia item non eſt niſi unica participandi Chriſti ratio per fidem in traditum corpus & in fuſum ſanguinem, quia deniq; catholica uel uniuerſalis ac indubitata doctrina eſt, carnem Chriſti corporaliter manducatam non prodeſſe, congruunt ac illuſtrant planè negotium cœnæ dominicæ quæ præmiſſa ſunt in cap. Ioan. 6.

De duobus modis manducãdi corpus domini.

Et ut hoc rectius adhuc intelligatur, cõmemorabo quæ ſemper in eccleſia ex ſcripturis de duobus modis manducandi Chriſti prolata ſunt. Manducatur corpus Chriſti, & bibitur eius ſanguis ſpiritualiter, manducatur idem bibiturq; ſacramentaliter. Spiritualis modus perficitur fide, qua Chriſto connexi omnibus eius bonis communicamus. Sacramentalis modus perficitur duntaxat in celebratione cœnæ dominicæ. Pijs ſpiritualis manducatio perpetua eſt, quia fides eis perpetua eſt. Extra cœnam, & in cœna Chriſto communicant, & in hac quidem magis reparant & continuant dudum cœptam: quod prius diximus: & nunc quidem adiuncta actione ſacra multò celebrius & euidentius omnia fiunt. Increduli uero ac hypocritæ cum coryphæo ſuo Iuda, nunquam ipſo Chriſto cõmunicant, neq; ante cœnam, neq; in cœna, neq; poſt cœnã, quatenus ſcilicet in incredulitate ſua perſeuerant, ſacramentis autem dominicis participant ſibi in iudicium & condemnationem.

Tertius mãducandi modus.

Scio quid hic nonnulli doceant, & quomodo tertium quendam modum manducandi Chriſti cõminiſcantur, qui nec ſpiritualis ſit, nec mere ſacramentalis, ſed mixtus ex ſacramentali & corporali. Contendunt enim ipſum domini corpus uerum ac naturale ſub ſpeciebus ſacramenti ab infidelibus percipi corporaliter. Cæterum commentum eſſe humanum, nullo apparebit negotio ex ſolidis aliquot ſcripturæ argumentis: quæ Iudæ adaptabimus proditori, ut in hoc uno exemplo omnes impij diſcant quid in cœna domini manducent & bibant. Iudicio enim capitis reuelato, facile erit & de membris iudicare.

Iudã fuiſſe in cœna domini.

Adfuiſſe quidem in cœna Iudam, dum diſtribueret myſteria dominus, in dubium uocant nonnulli, inter quos eſt & S. Hilarius. Cæterum hiſtoria euangelica diſerte cõmemorat, dominum accu-

fuisse cum duodecim. Sed & Lucas narrationem suam sic contexit, ut dubitare non possimus Iudam mysterijs cõmunicasse etiam cum cæteris apostolis. Id quod & Augustinus contendit lib. 3. de Cons. euang. cap. 1. Tractatu item in Ioan. 62. & in Psal. 10. ac Epist. 163. Quibus accedit quod ipse quoq; Aquinas Hilario respõdens idem approbat nobiscũ Parte 3. quæst. 81. art. 2. Cum autẽ cõstet Iudã adfuisse in cœna inter apostolos, cognoscendum iam uidetur quid acceperit à domino. Accepit quidem sacramentum corporis Christi, perinde ut alij discipuli, sed quoniam fidem, ut reliqui, non habuit, Christo non cõmunicauit, corpus & sanguinem domini nec edit nec bibit. Nam quotquot edunt corpus domini, & bibunt eius sanguinem, non esuriunt aut sitiunt: manent enim in Christo, & Christus in eis: sunt membra Christi, nec moriuntur in æternum. Contraria omnia apparent in Iuda & omnibus eius socijs: ergo increduli non edunt corpus domini, nec bibunt eius sanguinem. Præterea indubitatum est nullam esse conuentionem inter Christum & Belial. Hoc enim pronunciauit apostolus ex scripturarum unanimi consensu. Iudas autem ab ipso Christo sathanas appellatur: ergo Iudas non communicauit Christo. Quod si omnino contenderimus Iudam ipsum domini corpus manducasse, profecto adfirmabimus impie Christi corpus, non modo inutilem, sed & noxium esse cibum. Cæterum pietas tradit, Christum semper omnibus ipsum uere manducantibus salutarem esse cibum. Negauit ipse quoque Augustinus Iudam ipsum edisse corpus domini, & bibisse eius sanguinem. Tractatu in Ioan. 59. Apostoli, inquit, manducabant panem dominum, Iudas panem domini contra dominũ. Illi uitam: hic pœnam. Item Tractatu 26. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter & uisibiliter premat dentibus sacramentũ corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, &c. Similia & propemodum clariora tradit lib. de Ciuit. dei 21. cap. 25.

Quid acceperit Iudas à domino in cœna.

2. Cor. 6.

Opponunt his S. Pauli authoritatem dicentis, indigne manducantes nõ panis manducati aut epoti calicis, sed corporis & sanguinis domini fieri reos: hos item manducare & bibere sibi iudicium, eo quod non dijudicent corpus domini: unde necessario consequi indignos ipsum dñi corpus & sanguinẽ manducare & bibere, nõ tamũ sacramenta corporis et sanguinis Christi. Respondemus Paulũ disertis uerbis ita loqui, Quisquis ederit panẽ hunc, & biberit de poculo

poculo domini, &c. En qui ederit panẽ hunc, inquit, & de poculo biberit indigne: non autem dicit, Qui ederit carnem & biberit sanguinem indigne. Nam qui ipsum dominum edunt, non carent fide, ac manet Christus in ipsis, & ipsi in illo. Si autem miraris adhuc quomodo increduli possint rei fieri corporis & sanguinis domini, non nisi sacramentaliter manducati, ex alijs hoc scripturæ locis discito. Apud Ioannem dicit dominus, Amen amen dico uobis, qui recipit quemcunq; misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit. Ergo qui apostolum non recipit, nõ in apostolum peccat, sed in ipsum deum, licet interim ipsum deum nec uiderit, nec repulisse uideri uelit. Iudex dicturus legitur ad constitutos in sinistra, Discedite à me maledicti in ignem æternũ. Esuriui enim & non dedistis mihi cibum, Sitiui & non dedistis mihi potum &c. Verum audi quomodo excepturi sint impij hãc iudicis sententiam. Domine quando uidimus te esurientem, aut sitientem, & non ministrauimus tibi? Sed audi uicissim quid respõsurus sit iudex, Amen dico uobis, quatenus non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Sicut ergo in ipsum Christum peccauit, qui peccauit in ministrum, aut mendicum, etsi interim Christi personam nihil læserit: ita corporis & sanguinis Christi reus fit, quisquis sacramentum corporis & sanguinis Christi indigne sumpserit, tametsi interim ipsum corpus & sanguinem domini nõ hauserit. S. Paulus alibi dicit apostatas ab integro rursus sibimetipsis crucifigere filium dei. Atque idem alibi negat modis omnibus, Christum uel crucifigi, uel mori posse. Proinde non potest iterum crucifigi Christus ab apostatis, interim tamen fœda ipsorum defectio sic æstimatur, quasi crucifixissent filium dei. Vtcunq; ergo impij non edant ipsum domini corpus, & bibant eius sanguinem, rei tamen nihilo minus fiunt corporis & sanguinis, proditi uidelicet quantum in ipsis est. Calcat rebellis aliquis principis aut magistratus sui sigillum & literas discerpit: hic etsi ipsum magistratum non attigerit, aut conculcarit, dicitur tamen magistratum conculcasse, & accusatur nõ læsi sigilli aut uiolatarum literarum, sed impingitur ei crimen læsæ maiestatis & conculcati principis. Quid ergo mirum si audiamus indigne manducantes panem domini, reos agi corporis & sanguinis Christi? Huius enim sacramentum & sigillum atq; obsignatio sunt panis et poculum mysticum.

Quomodo increduli rei fiant corporis et sanguinis domini.

Ioan. 13.

Matth. 25.

Hebr. 6.

Hæc hactenus de manducatione corporis Christi & potu sanguinis eius disputauimus, singula huius qua potuimus breuitate tractantes, transimus iam ad reliquos Cœnæ dominicæ fines (in

De reliquis Cœnæ dominici finibus.

descriptione Cœnæ positos) perstringendos. Institutam diximus à domino Cœnam, ut dona dei uisibiliter ecclesiæ repræsentet, oculisq; omnium subijciat. Didicimus autem ex tota huius negotij disputatione ipsum Christum omnium donorum dei aceruum esse plenissimum, utpote ex quo pro nobis in mortem tradito habemus omnia uitæ, remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hęc cum sint inuisibilia hauriantur q; fide, uisibiliter etiam, id est per sacramenta sensibus repræsentantur prope omnibus, uisui, auditui, gustui & tactui, ut totus homo corpore & anima commotus magno cordis iubilo sacrum hoc iucundissimum celebret. Huc iam pertinet analogia. De qua dixi Sermone huius Decadis 7. unde hæc plenius disci uolo.

Institutam præterea diximus à domino Cœnam, ut uisibiliter in unum corpus colligat omnia in terris alioqui dispersa membra. Vnde & fœdus & confœderationem alibi diximus Cœnam à sanctis cognominari. Fidei unitate & spiritus unius participatione inuisibiliter cum Christo & membris eius omnibus sumus connexi. In cœna autem coimus etiam uisibili cõiunctione. Non enim iam uerbis, sed factis quoq;, sed contesseratione, sed sacramento coalescimus & connectimur arctissime, ipsa Cœnæ actione aperientes demonstrantes q; omnibus & nos esse de eorum numero, qui credunt se per Christum redemptos, Christi membra et populum esse. Pariter autem obligamus nos Christo & ecclesiæ, & fidem synceram nos seruaturos & beneficẽtiam ac charitatem erga omnes exercitaturos stipulantes. Plura de his require ex Sermone huius Decadis 7. Certe hinc probauit Paulus, consortibus mensæ dominicæ non licere uesci idolothytis, & sacris cõmunicare prophanis. Quod si recte expenderent hodie multi, minus frequentes conspicerentur in sacris alienis seu peregrinis.

Institutam item diximus à domino Cœnam, ut ea mortẽ suam retineret in memoria, ne unquam obliuione obliteraretur. Est autẽ mors Christi compendium omnium beneficiorum dei. Ergo uult in memoria retineri beneficium incarnationis, passionis, redemptionis, amoris seu dilectionis. Licet autem memoria pergatur rei præteritæ, nempe mortis, ea tamen ad nos maxime pertinet, & uiuificat. Neq; putabimus hunc esse postremum finem. Nullus enim tam diligenter atq; hic est expressus. Semel enim & iterum dicit dominus, Hoc facite in mei memoriam. At ritus sacer & actio illa sacra, uerbis uel prædicationi de morte Christi & redemptione humani generis cõiuncta, mirum est quàm renouet subinde beneficium,

neq;

neq; in obliuionem uenire atq; intercidere patiatur.

Institutam postremo diximus à domino Cœnam, ut per ipsam admoneremur nostri officij, laudis & gratiarumactionis. Nostrum officium est, synceros esse in fide Christi, & omnes complecti fratres Christiana charitate propter dominum, ac cauere ne corpora nostra coinquinemus mundi sordibus, quando sanguine Christi abluti sumus. Paulus apostolus, Quotiescunq; de pane hoc ederitis, inquit, & de poculo domini biberitis, mortem domini annunciate donec uenerit. Annũciare autem mortem domini, est laudare bonitatem dei, et gratias agere pro redemptione per mortem parta. Nam & Petrus apostolus dixit, Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uires annuncietis illius qui è tenebris uos uocauit in admirabilem lucem. Sed de his aliâs quoq; diximus. 1. Pet. 2.

Hæc paucis de finibus cœnæ uolui repetere, quæ pij spiritu sancto instructi singula expendunt diligentius. Dimitterem modo C. V. nisi ex utilitate publica futurũ uiderem, erudire paucis, quomodo se quisq; ad Cœnam domini præparet, ne ad ipsam indigne accedat. Operæpretium autem fuerit ante omnia inuestigare qui digne uel indigne edant & bibant de pane & poculo domini. Et gradus quidem esse in dignitate & indignitate nostra, nemo est, qui iudicijs dei rite expensis & religionis natura penitius inspecta iudicat, negare possit. Præcipuus quidem indignitatis gradus est, sine fide accedere ad mysteria fidei. Digne accedit qui cum fide accedit: indigne qui sine fide. Digni pœnitentia fructus in euangelio appellantur opera pœnitentes uel pœnitentiam professam decentia. Quid autem decentius, æquius & iustius est, quàm ut celebraturus Cœnam domini, credat se morte Christi in prætium pro mundo oblata redemptum, quo nomine & Christo redemptori gratias agere cupiat? Quid contra indecentius & iniquius est, quàm obsignationem corporis Christi percipere ac nullam interim cum Christo communionem habere? ad gratiarumactionem accedere, & nullas interim ex animo gratias effundere? Quid autem unit nos Christo, aut quid efficit omnium beneficiorum eius participes & proinde etiam gratos, nisi fides? Quid disiungit à Christo, & spoliat nos omnibus eius donis, redditq; ingratissimos, nisi incredulitas? Proinde fides uel incredulitas digne uel indigne facit nos participare de mensa domini. Apostolus Paulus in Actis ad Iudæos per incredulitatem euangelij prædicationem reijcientes dicit, Vobis quidem primum oportebat loqui sermonem dei; sed quoniam repellitis il- *Digne & indigne manducare & bibere &c.* *Actor. 13.*

lum et indignos uos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Quomodo autem Iudæi contra semetipsos se uita æterna indignos esse pronunciabant ac ueluti iudices in semetipsos deferebant sententiam? Incredulitate se opponentes uerbo dei, nec fide apprehendentes Christum uitam & iustitiam mundi. Proinde dignitatis & indignitatis nostræ primaria & maxima portio uersatur & consistit in fide uel incredulitate. Fide testatur S. Petrus purificari corda nostra: fides ergo uera est Christianorum munditia. Vnde & S. Augustinus, Incredulus nõ manducat carnem Christi spiritualiter, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est. De quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt &c.

Acto. 15.

Deinde indigne edunt & bibunt de Cœna domini, qui etsi fide non destituantur, abusu tamen suo peruertunt rectum domini institutum: qualis uidetur fuisse Corinthiacæ ecclesiæ error, miscentis priuatum & prophanum conuiuium cum ecclesiastico & mystico, nec discernentis panem domini, qui dicitur Corpus Christi, à cibo uulgari. Nam Paulus, Qui indigne, inquit, edit & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Ergo non dijudicare corpus domini, est indigne edere panem, & bibere pocu-

Dijudicare corpus domini.

lum domini. Dijudicare autem (διακρίνειν) est cum iudicio animiq; facultate exacte rem pensitare, æstimare, ac ita ut decet discernere à rebus alijs. Porrò corpus domini est non modo spirituale illud domini corpus ecclesia fidelium, sed ipsum corpus quod dominus assumpsit de uirgine, ac pro nobis in redemptionem obtulit, quodq; modo considet ad dexteram patris. Denicq panis eucharistiæ in cœna est ipsum domini corpus, ueri inquam corporis pro nobis traditi sacramentum. Hunc ergo panem domini mysticum quisquis non discernit à cibo prophano, sed ad mensam Christi ueluti cibariam accedit, nec agnoscit hunc cibum diuinum multum ab illo humano differre, nec eo modo quo instituit dominus accedit, sed suas rationes sequitur, is certe non dijudicat corpus domini, & iudicium sibi manducat & bibit, Paulo iterum se explicante & dicente, Itaq; fratres mei, cum cõuenitis ad cõmedendum alius alium expectate, ne ad iudicium conueniatis. Proinde qui præoccupat cœnam publicam sua priuata, hoc est qui nõ ita cœnat ut instituit dominus, indigne manducat & bibit. Superius enim iudicium manducare & bibere dicuntur indigne manducantes & bibentes: & hic in iudicium conuenire perhibentur, qui non expectatis fratribus festinãt: ac

ac ijdem illi non dijudicant corpus domini. S. Auguſt. Tract. in Ioan. 62. De his ſermo eſt apoſtolo, inquit, qui domini corpus uelut alium cibum quemlibet indiſcrete negligenterq; ſumebant. Hic ergo ſi corripitur qui non dijudicat, id eſt, non diſcernit à cæteris cibis dominicum corpus, quomodo non damnaretur (Iudas) qui ad eius menſam fingens amicum acceſſit inimicus? &c. Quanto uero grauius hodie uidentur peccare, qui ſubuerſo domini legitimo & primario uſu, abuſum ſuũ magna cum contentione ſtabiliunt, adde & nolentibus reclamantibusq; grauem per perſecutionẽ obtrudũt?

Præterea cum reipſa experiamur in diem, fidei noſtræ multa deeſſe, unde uaria inter nos exoriuntur uitia, ex quibus deinde & indignitas noſtra, leuiſſima quidem omnium exiſtit: utpote quam dominus gratia ſua facile diluit, ac ferè cruce immiſſa extergit, infirmitates huiuſmodi non imputans ad condemnationem. Alibi enim apoſtolus pronunciat nihil condemnationis eſſe ijs qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu, nec ambulant iuxta carnem, ſed ſecundum ſpiritum.

Nec pari etiam ſupplicio diuerſos hos indignitatis gradus punit iuſtiſſimus dominus. Inſpiciamus ergo quid nos doceat beatus apoſtolus de pœna & ſupplicio indigne manducantium, itaq; quiſquis ederit panem hunc, inquit, aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis domini. Quæ ſanè intelligit de præcipua illa & omnium fœdiſſima incredulitatis indignitate. Etenim reus fit corporis & ſanguinis domini, cui culpa imputatur mortis Chriſti, hoc eſt, cui mors Chriſti ad mortem non ad uitam cedit: ſicuti & illis ceſſit qui ipſum corporaliter ex incredulitate impietateq; crucifixerunt. His enim ſanguis Chriſti prophanus tanquam pecoris aut latronis ſceleratiq; hominis uiſus eſt, quaſi meritò propter delicta effuſus ſit. Et quid obſecro ſentit aliud quàm prophanum eſſe ſanguinẽ Chriſti, qui non credit ipſum pro peccatis mundi eſſe effuſum? Audet tamen hic participare de cœna domini, ut meritò iam dicatur reus fieri corporis & ſanguinis domini. Prægrande peccatum eſt per incredulitatem indigne panem domini edere, & calicem eius potare. Id quod uel Iudæ exemplo nobis ob oculos ſtatuitur. Non credidit hic in dominum Ieſum, imò cogitabat ipſum tradere in manus latronum, nihilo minus accumbebat & participabat de menſa domini, meritò ergo ipſum ſibi totum tandem uendicabat diabolus. Teſtatur enim Ioannes diabolum ſub finem cœnæ ingreſſum eſſe in Iudam: non quod priuſquam ad cœnam ueniſſet non fuiſſet in ipſum ingreſſus: dudũ enim ipſum inhabitare ac exagitare cœperat: ſed quod poſt tot Chriſti domini admonitio-

Pœna indigne manducantiũ.

Ioan. 13.

Lucæ 22.

nes, & post prophanata mysteria Christi, adeoq; & conculcata, totum illum sibi usurpasset, ac plenissime possedisset.

Idem apostolus Paulus corpus domini non dijudicantibus ueluti in alio gradu indignitatis constitutis interminatur iudicium, dicens, Nam qui edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit. Rationem autem hac sententia reddit, cur non temere, nec nisi excussis animis ad mensam domini accedere oporteat: quod uidelicet ad iudicium accedatur. Est autem iudicium, pœna uel suppliciũ, quod dominus suis irrogat fidelibus peccantibus, non in alio quidẽ mundo, sicut incredulis, sed in hoc sæculo. Sequitur enim in uerbis apostoli, quod eũ nobis suppeditat sensum, Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos diiudicassemus haudquaquã iudicati fuissemus. At cum iudicamur, à dño corripimur, ne cum mundo condemnemur. Distinguit aperte apostolus inter indigne mãducantes ferulæ diuinæ subditos, & inter mũdanos, id est incredulos homines, quibus uidelicet pœnã dñs differt in aliud istud sæculum: fidelibus suis, sed tamen ex incuria peccantibus, & non omni parte instructis, ad cœnam accedentibus, uarias iniicit calamitates, ut pestes, famẽ, morbos, & huius generis alia, ad excutiendum ueternum. Sequitur enim, Si nosipsos dijudicassemus, hoc est, si uitia nostra ipsi cohercuissemus, & nosmet à malis separauissemus, haudquaquã iudicati, id est, supplicijs affecti & correpti fuissemus. Protinus enim subiicit, At cum iudicamur, à domino corripimur. Iudicari ergo est corripi. Discimus autem ex his unde in ecclesiam exundent uaria mala, nimirũ ex indigno cœnæ dominicæ usu.

Quomodo præparemus nos ad cœnam domini.

Respondeat autem hic aliquis, Si sic res habeat, tutius fore, ut in uniuersum abstineatur à cœna domini. Cæterum si in uniuersum quis abstineat, peccat etiam sic contra dominum, & grauiter quidẽ. Contemnit enim mandatum dei dicentis, Hoc facite: imò contemnit & mortem domini & omnia dona dei. Proinde periculum nõ euasit, qui cœnæ celebrationẽ omisit: id quod & superius diximus. Alia uia ingrediundum erit si cupias & periculum & peccatum uitare. Audi consilium apostoli Pauli miro cõpendio dicentis, Probet autẽ homo semetipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Obseruandum autem quod in hac probatione neminẽ relegat ad alium, sed quemlibet ad semetipsum. Papistæ iubent te confessorem auricularium accedere, confiteri, absolutionem suscipere, & ad indictam formam pro peccatis satisfacere. Sic enim abunde purgatum iubent te ad mensam domini accedere. Cæterũ Paulus doctor gentium

tium & uas electionis, horum ne uerbo quidem meminit, sed simpliciter, Probet homo semetipsum, ait, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Sicut enim deus cordium est scrutator, & animi affectum requirit, hypocrisim odit, ita nemo nouit quid sit in corde hominis, aut quales sint erga deum affectus nostri, quàm nosipsi: nos ergo metipsos iubet omnia explorare in nobisipsis: hoc est, iubet quemlibet in semetipsum descendere, & sese examinare. Examen hoc sine fide & face uerbi dei fieri non potest. Prælucente autem luce uerbi dei, & fide uires suas exerente, inquirit apud seipsum fidelis, an peccata sua omnia multipliciter contra deum commissa, agnoscat, an propter commissa doleat: an syncera cordis fiducia credat Christum abluisse ac condonasse peccata omnia: an ingenue confiteatur ore, sicut corde credit, non in alio quàm in solo Christo esse salutem & uitam: & an apud semetipsum constituerit huic confessioni immori: an ad innocentiam & sanctitatem sedulo & serio aspiret: an omnia membra corporis Christi, cuius & ipse membrum est, diligere, iuuare, & pro eis ad exemplum Christi se impendere paratus sit: an iras & inimicitias omnes remiserit: an passionem Christi, redemptionis q; mysterium uniuersum recolere, & pro redemptione omnibus q; dei beneficijs acceptis & accipiendis gratias deo agere anhelet. Hæc est iusta probatio, & cœnæ mysticæ congrua: hac facta, licet in humilitate & timore domini cum gaudio ad cœnam Christi domini accedere.

Consolatio afflictarũ conscientiarum.

Verum trepidant hic fideles, utpote conscij sibi suæ imperfectionis & infirmitatis. Neque enim ista inueniunt in animis suis sic esse absoluta, ut alioqui intelligunt perfectionem iustam requirere. Accedit sathanas, & multas & magnas remoras inijcit, quo à cœnæ celebratione retrahat. Ad ea dicimus, si quis putet neminem ad cœnam admittendum, quàm eum qui sit ab omni repurgatus peccato & infirmitate, is profecto à cœna arcebit & excludet omnes quotquot in hoc sæculo uiuunt homines, imò abrogabit in uniuersum cœnam domini iam non amplius homnibus peccatoribus, sed angelis institutam. Meminerimus probationem illam etiã intra metas suas consistere, & deum hic quoque ut ubique sua erga nos uti clementia seu misericordia. Nouit ille infirmitatem & corruptionem nostram, ac potest compati infirmitatibus nostris. Israelitæ sub Ezechia rege non ad plenum purgati participabant de agno paschali. Orauit autem rex, & dixit, Dominus qui bonus est propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt deum patrum suorum: & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. Ac

subiungitur his in sacra historia 2. Paralip. 30 Et dominus exaudiuit Ezechiam, & placatus est populo. Dignitas quæ per exactam probationem inquiritur, non est perfectio absoluta, sed uoluntas & mens à deo instructa, quæ humiliter suam agnoscit indignitatem, ideoq; augmentum fidei & charitatis poscit suppliciter, omnemq; perfectionem in solo Christo requirit. In prima illa cœna conuiuæ domini fuerunt apostoli, & inter hos Iudas: sed quoniam hic fide caruit, & proditor, imò parricida erat, reus factus est corporis & sanguinis domini. Cæteri apostoli fuerunt & ipsi peccatores, sed non impij, habuerunt fidem in Christum, amarunt Christum, & se mutuo ut fratres: ergo non indigne sicut Iudas, manducarunt de mensa domini. Licet interim ad illam ipsam mensam
Matth. 26. specimina æderent magnæ imperfectionis. Nam Petrus non sine
Lucæ 22. contemptu & contumelia fratrum præfert se omnibus. Præterea contendunt ambitioso certamine de eo quis inter ipsos uideatur maior futurus. Non enim nunc commemorabo, quod mox à mensa deserto domino turpiter fugiunt, & multis modis se indigne gerunt: sed hæc omnia facile diluuntur quod in ipsis fides esset aluisse fimis defixa radicibus.

Non pigebit hic recitare uerbotim consolationem D. Ioannis Caluini, uiri pij & docti, magna cum laude etiam nũm ecclesia docentis, symmystæ mei, & fratris longe colendissimi charissimiq; quam pro afflictis in hac caussa sic protulit, Meminerimus has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem, quæ sanis, iustis, & diuitibus, si qui reperiri possent, nullum afferrent operæpretium. Nam cum in illis Christus nobis in cibũ detur, intelligimus nos sine ipso tabescere, linqui, deficere Deinde cum in uitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis planè mortuos esse. Quare ea est dignitas quam unam & optimam afferre deo possumus, si nostram ei uilitatem, & ut ita loquar ũdignitatem afferamus, ut sua misericordia nos se dignos faciat: si animos in nobis despondeamus, ut nos in ipso consolemur: si nos humiliemus, ut ab ipso erigamur: si nos accusemus, ut ab ipso iustificemur. Præterea si ad eam quam in sua cœna nobis commendat unitatem aspiremus: & quemadmodũ nos omnes unum in seipso esse facit, ita unam omnium animam, cor unum, linguam unã nobis omnibus optemus. Hęc si perpensa & meditata habuerimus, nunquã nos illæ cogitationes perturbabũt, Nos bonorũ omniũ egeni & nudi, nos peccatorum sordibus inquinati, nos semimortui quomodo corpus dñi digne manducaremus? Magis cogitabimus

nos

nos pauperes uenire ad benignum largitorem, ægros ad medicum, peccatores ad ſaluatorem. Dignitatem illam, quæ à deo mandatur, fide præcipue conſtare, quæ omnia in deo nihil in nobis reponit: deinde charitate, & ea quidem ipſa, quam deo imperfectam offerre ſatis ſit, ut ipſam in melius augeat, quando præſtari ſolida non poteſt. Tantum ille.

Illa uero dixi hactenus de ſanctiſſima domini noſtri Ieſu Chriſti Cœna, ſacramento Chriſtianorum præſtantiſſimo & ſaluberrimo, cui mox ab initio, & uiuentibus adhuc apoſtolis, ſathan ſalutis noſtræ infenſiſſimus hoſtis, inſidiatus, ipſam multis conatus eſt adobruere contaminationibus: à quibus cum tempore iam aliquo fideliter ſit repurgata, non deſinit ille eam, quæ eccleſię ceſſit in ſymbolum fœderis nunquam rumpendi, ceu glomum aliquem litium obiicere & inſinuare. Vnde ipſa res & ſalus noſtra requirit, ut uigiles locum tentatori nullum cedamus, ſed omnes in Chriſto concordes & in unum (per cœnæ celebrationem fidelem) corpus compacti, amemus nos mutuo, & æternas agamus gratias redemptori noſtro Chriſto domino: cui ſit laus & gloria nunc & uſq; in ſæculum, Amen,

Amen.

De quibuſdam eccleſiæ dei inſtitutis. De ſcholis. De bonis eccleſiaſticis, & horum uſu & abuſu. De templis & inſtrumentis Chriſtianorum ſacris. De admonitione & correctione miniſtrorum eccleſiæ, adeoq; totius eccleſiæ. De matrimonio. De Viduis. De Virginibus. De Monachis. Quid agat cũ ægrotis eccleſia Chriſti, & de funeribus & ſepultura. SER. X.

RESTANT adhuc quædam & paucula quidem illa explicanda C. V. quæ partim pertinent ad miniſterij eccleſiaſtici inſtitutionem & conſeruationem, partim uero ſunt peculiaria quædam eccleſiæ inſtituta, quibus hæc carere non poteſt. De quibus hoc Sermone Decadis huius ultimo, quæ loqui dederit dominus, quanta potero breuitate, explicabo.

Dominus nõ onerauit infinitis legibus ſuam eccleſiam.

Ante omnia ſciendum eſt, dominum deum noſtrum non oneraſſe in immenſum extenſis legibus et inſtitutis, eccleſiam ſuam, ſed paucula ſeu numerata quædam dediſſe, eaq; nõ ſumptuoſa, nec intricata aut prolixa, ſed frugalia, ſimplicia, expoſita & ſuccincta. Olim cum lege lata, populo ſuo cultum alioqui ſumptuoſiorem inſtitueret dominus, certa tamen, numerata & moderata erant omnia: nec uolebat his addi uel adimi pro arbitrio hominum aliquid, uel aliter quàm ipſe inſtituiſſet uſurpari. Quis ergo crederet dominum eccleſiæ noui ſui populi, poſt abrogatam legem, ſumptuoſam & in immenſum extẽſam tradidiſſe diſciplinam? Sumptuoſa ergo et immenſa omnia in eccleſia fecit partim paſtorum & procerum eccleſiæ auaritia, partim prodigioſa ſuperſtitio plebis. Teneamus nos, dominum deum noſtrum admodum pauca, nec niſi neceſſaria ſuæ inſtituiſſe eccleſiæ: ideoq; omnibus nobis annitendum eſſe, ne adoleatur eccleſia traditionibus & inſtitutis non ab ipſo deo profectis. Satis magnifice ornata & inſtructa eſt eccleſia dei, ſi teneat dei & domini ſui inſtituta.

Potiſſima ueræ pietatis capita in eccleſia.

Præcipua autem & primaria eccleſiæ dei capita pietatis ſunt, Doctrina ſyncera legis & prophetarum, Chriſti & apoſtolorum, Oratio fidelis uni deo per ſolum Chriſtum oblata, Religioſa item legitimaq; ſacramentorum Chriſti adminiſtratio & perceptio. De quibus hactenus per quinq; Decades diſſerui. Accedit illis & Charitas, communicatio opum ſeu beneficentia. De qua nõnihil dictum eſt Decade prima, & dicentur in hoc Sermone quoq; nonnulla. Nec alia commemorat beatus Lucas in Actis, deſcribens qualis fuerit primitiua Chriſti per apoſtolos fundata fidelis eccleſia, & quæ

potiſſima

potissima eius capita, Erant autem perseuerantes, inquit, in doctri- *Actor.2.*
na apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus. In his paucis capitibus uniuersa pietas comprehensa consistit.

Cum ministerio ecclesiastico sunt coniuncta quæ sequuntur. Pri- *De Scholis*
mum autem locum habent scholæ Christianæ, uberem prophetarum uel ministrorum ecclesiæ segetem proferentes. Intellexerunt omnes gentes non omnino barbaræ, sine scholis nulla regna, nullas respub. feliciter cõseruari posse. Igitur Aegyptios amplissima instituisse sacerdotum uel philosophantium collegia non modo Moses in Genesi, sed & Strabo Geographiæ lib. 17. author est. Historiæ quoq; commemorant celeberrimos quosq; orbis uiros percipiendæ sapientiæ gratia descendisse in Aegyptum: in quorum numero et Plato ille philosophorum alpha numeratur. Nec temere scribitur in libro Regum Solomonem sapientia excelluisse sapientes Aegyptiorum. Quid quod non soli Aegyptij, sed etiam Palestini, gens alioqui bellis quàm literis illustrior, suos habuisse dicuntur sacerdotes, quos in rebus dubijs consuluisse author est Samuel in historia sacra? Sed & Daniel testatur scholas celeberrimas fuisse Babylonijs, Medis ac Persis, unde prodierint magi, sapientes inquam in omni parte philosophiæ illustres. De Græcis & Romanis non est quod quicquam commemorem, cum nemo ignoret istorum decantatiss. ab omnibus doctis Athenas, & horum amplissima pontificum & augurum collegia. Sed omissis exteris, proferamus nostratia uel ecclesiastica. Deus qui absolutissimam dedit populo suo, & reipub. & regni felicis formam, distribuit scholas per XLVIII. oppida regni. Oppida ea à Leuitis philosophantibus, Leuitica dicebãtur. Totam enim Leuiticam tribum consecrarat sacerdotio & studijs: non quod non liceret & ex alijs tribubus ingenuis hominibus philosophari: sed quod Leuitæ studijs sacris peculiariter destinati essent. Ex tribu enim Iuda constat fuisse Isaiam & Danielem clarissima prophetantium lumina. Dederunt aliæ quoq; tribus præstantissimos in omni sapientia uiros. Ac dicebantur oppida illa & Leuitica & sacerdotalia, non quod in his soli sacerdotes agerent, sed quod in eis synagogas haberent. Cæterum apud tabernaculum in Silo & maxime in Hierosolymorum urbe erat schola omnium præclarissima & ueluti uniuersalis, ut hodie nuncupant. Clarissimos autem uiros scholis præfuisse eadem testatur sacra historia. Nam in Rama legimus Samuelem, apicem omnis sapiẽtiæ, pietatis & eruditionis, *Rectores scholarum.* 1. *Sam.* 19 præfuisse naioth, id est bursæ (ut uocant) uel collegio prophetarum.

4. Reg. 2. & 4. cap. Scholæ Hierichuntinæ & Gilgal rectores fuerunt Helias & Heliseus clariſſima Iſraeliticæ eccleſiæ lumina. Subuerterat impurus Ieroboam ſcholas, & conculcarat ſacerdotalem ordinem, in ſacerdotium admiſſis ex fece populi citra delectum quibuslibet. Intellexerunt autem uiri dei Helias & Heliſeus ſine ſcholis doctrinã ſanam non poſſe uel florere uel conſeruari, toti ergo erant in inſtaurandis ſcholis. Cumq; iuſta his negarentur uectigalia, impijs regibus ea transferentibus ad adulatores, uentres, id eſt ad ſacerdotes idolorum uitulorum & Bãalis, factum eſt tamen bonitate domini, ut uiri aliquot boni aliquid conferrent ſtudioſis, et hi modico contenti uictu, fortiter ſe gererent in deprauatiſſimo ſæculo. Qui uero Scholis ſic præerant probatiſſimi uiri, ſapientes ac prophetæ, appellabantur patres. Vnde & diſcipuli uel ſcholares nuncupabãtur filij prophetarum. Amos & Ieremias appellarunt & Nazareos. Ille enim, Non ſum ego propheta, inquit, nec filius prophetę, nimirum liberalibus eruditus artibus. Et idem iterũ, Suſcitaui de filijs ueſtris prophetas, & de iuuenibus ueſtris Nazareos. Hic uero commendat etiam formam ſtudioſorum in Threnis, quam in captiuitate prorſus corruptam lamentatur. Præterea filij prophetarum appellabantur propter affectum in præceptores tanquam in parentes, & propter obedientiam & ſtudium aſſiduum. Quo autem clariores ſapientioresq; erant principes, tanto maiorem operam impendebant reparandis ſcholis et reſtituendis ordinibus eccleſiaſticis. Id quod uidere licet non in Dauide & Solomone duntaxat, ſed & in Ioſaphat, Ezechia & Ioſia regibus optimis & feliciſſimis. In captiuitate & poſt captiuitatem Babylonicam diſpergebatur domini populus per uaria regna longe & late. Quocunq; autem deferrentur, ſcholas ſeu ſynagogas inſtituebant, & reſtituta urbe Hieroſolymorum ad hãc ſubinde aſpirabant. Ideo enim commemorant Acta apoſtolorum Paulum apud Gentes prædicantem uerbum dei, ingreſſum ſynagogas docuiſſe. Et Iacobus apoſtolus, Moſes, inquit, ab ætatibus antiquis in ſingulis ciuitatibus habet, qui ipſum prædicent in ſynagogis. Vbi non loquitur de ciuitatibus Iudææ aut Galilææ, ſed de ciuitatibus Gentium in Syria, Cilitia & Aſia. Cæterum diſperſos ſubinde aſpiraſſe ad ſacram Hieroſolymorũ urbem, illud arguit, quod in Actis legimus, Erant autem Hieroſolymis habitantes Iudæi uiri religioſi ex omni natione earũ quæ ſub cœlo ſunt. Et quod commemoratur Paulus cum eſſet natus ciuis Tarſenſis, Hieroſolymas conceſſiſſe ad pedes Gamalielis, id eſt ut ſe ſubderet diſciplinæ auditorq; fieret Gamalielis. Sic legimus Hieroſolymis fuiſſe collegia

Amos 7.

Amos 2.

Actorũ 15.

Acto. 2.

Acto. 22.

Acto. 6.

legia siue synagogas Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum. Durauit ergo scholarum usus ad tempora usq; Christi, imò & post ascensionẽ eius ad cœlos, ad usq; ferè urbis excidium, licet interim non semel uideatur deprauatus.

Christus quoq; dei filius, rex & pontifex noster, & ipse omnium nobilissimam instituit scholam, uocatis duodecim apostolis & discipulis septuaginta, uiris, inquam, delectissimis octoginta duobus. Sed & apostoli permultos sibi compararunt discipulos, in primis autem Paulus organum dei ad conuertendas gentes electiss. qui in comitatu suo habuisse legitur Sopatrem Berrhœensem, Lucã Antiochenum, Marcum Hierosolymitanum, Barnabam, Sylam uel Siluanum, Caium & Timotheum, Aristarchum & Secundum, Tychicum & Trophimum, Titum & Linum, Crescentem & Epaphram, Archippum & Philemonem, Epaphroditum & Artemam, & multos alios. Idem diligentissime uiris bonis commendauit studiosos & ministros ecclesiarum, adhortans omnes ad liberalitatẽ, ne quid his deesset. Ad Titũ scribens, Zenam legisperitum, inquit, & Apollo, studiose deducito, ne quid illis desit. Iam & Antiochiæ percelebrem fuisse in Syria scholam, & apostolicam quidem illam, non obscuris quidem argumentis, uel ex 13. cap. Actorum colligere licet. Sed & Eusebius Cęsarieñ. abunde testatur quàm illustres scholæ fuerint Alexandriæ in Aegypto, & in alijs illustribus ecclesijs. Et nos hoc ipsum exposuimus aliquando paulò copiosius in libro quem scripsimus de Institutione episcoporum. Tandem uero omnibus ecclesiæ rebus in peius declinantibus, degenerarunt & ecclesiasticæ scholæ in monasteria siue collegia canonicorum & monachorum.

Christus & apostoli instituunt scholas.

Titum 3.

Cæterum ex his quæ diximus nulli obscurum esse puto, ad incolumitatem ecclesiæ ministerijq; sacri conseruationẽ in primis pertinere scholas, in quibus tradantur bonæ artes ad sacra studia promouenda utiles: cuius generis sunt linguarũ sacrarum præcipue, sermocionalis philosophiæ, physices & matheseos studia: & hæc quidem moderata, & ad certum pietatis scopũ delineata. Inuenias enim ingenia quæ in artibus & disciplinis consenescant, sacra uero attingant nunquam. Atq; utinam ex prophanis nimiũ ingurgitatis non etiam ipsa sacra, ueluti barbara, contemnere discerent impij. Inuenias ingenia alia quæ studijs matheseos ita inhæresc unt, ut meliores agere possint ædificiorum magistros, quàm rectores uel pastores ecclesiarum, imò quæ cœlo astronomico sic implicentur, ut uerum cœlum sedem beatorum nihil ad se pertinere arbitrentur, satis

Ad conseruationem ministerij pertinent scholæ.

beati futuri, si modo motus illos cœli uisibilis & astrorum cursum uel puncto attingere possint. Qui autẽ philosophiæ studijs & dialecticorum tricis rhetorumq; præceptis plus nimium immorantur, nec finem ullum attingunt, aut seriò cogitant studia sua ad ædificationem ecclesiæ conferre, ferè disputatores rixosi, & censoers superbissimi fiunt, quibus nihil proprie, terse & expense satis dictum, aut factum uidetur ab alijs, nisi quod ipsorum capitibus grauidis admodulatum, regulisq; præscriptis pilo tenus etiam congruit. Hi ferè disputationibus impexissimis omnia inuoluunt, nihil aliud q̃ disputationes & rixas spirant, omnia omnium aliorum etiam bene aut tolerabiliter dicta & facta arrogantissime censent, arrodunt, & maligne cauillantur, philosophastri uerius quàm philosophi, imò scholarum & ecclesiarum pestes: ex quibus uenenum altercationũ, simultatum, dissidiorum, & scissionũ effunditur in ecclesiam. Contra hos uidetur locutus apostolus Paulus ad Timotheũ. Nam post compendium sanæ doctrinæ redditum, subiungit, Hæc doce & exhortare. Si quis aliter docet, nec acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, inflatus est, nihil sciens sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum: ex quibus oritur inuidia, contentio, maledicentiæ, suspiciones malæ, superuacuæ conflictationes, hominum mente corruptorum, & qui ueritate priuati sunt, existimantiũ quæstum esse pietatem. Seiungere à talibus.

1. *Tim.* 6.

Corruptio scholarum.

Equidem feliciter nunquã cessit ecclesiæ, quando homines docti & studiosi deserta simplicitate & puritate uerbi dei, aliò conuerterũt oculos, neq; hos unice in solum uerbum dei collimarunt. Ex ueteribus quidam non contempserunt uerbũ dei, sed interim plus quàm decebat tribuerunt traditionibus. At ea re & erroribus occasionem præbuerunt, & inductos abusus confirmarũt. Ante sæcula aliquot Gratianus & Lombardus & alij quidam, ex scriptoribus ecclesiasticis conciliationem dogmatum facere & certam plenãq; theologiã conati sunt colligere. Verum ea re non modo à scripturis abduxerunt scholas, sed & doctrinas peregrinas ecclesiæ obtruserũt. Secuti istos Alexander, Albertus, & Thomas, qui non modo ipsi à sententijs illis pependerunt, & eas alijs etiam cõmendarunt, uerũ ipsam quoq; philosophiam miscere cum theologia, & in unũ ueluti corpus redigere contenderunt. Sed inde nobis tot uiæ ac sectæ, tot inquam paludes ranis scatẽtes, tot scholæ, tot monasteria, ac sophistæ. Proinde si hodie quoq; pergamus scripturis sanctis male copulare philosophiã, & illas superstitiose ad disputationes reuocare, ac sub regulas

regulas cogere humanas uel artium, corrumpemus & ipsi in scholis, grandi cum ecclesiæ detrimento, synceritatem doctrinæ apostolicæ. Interim certũ est bonas artes uel literas plurimũ facere ad perspicuitatem ac euidentiã, sed moderate & cum iudicio religiose adhibitas, ut imperium relinquatur sacris literis, seruiãt autem omnes artes exoticæ.

Scholarũ certus scopus.

Doceatur ergo in scholis ecclesiasticis pura pietas, imò sit PIETAS scopus studiorũ omniũ: inculcetur studiosis mox ab initio studiorũ Catechesis, nec ulla eis pmittatur requies, donec eã plene et imbiberint, & familiarẽ sibi fecerint: augeatur deinde concepta pietas quotidianis lectionibus et cõcionibus sacris: prælegantur perpetuò scripta euangelica & apostolica, ut & hæc illis mature fiant familiaria: simul autẽ cõmode imbuantur linguis & artibus, exerceanturq; & scribendo & dicendo. In primis autem exulet ex scholis pie institutis & Christianis, luxus & libido. Floreat disciplina etiam seuerior. Si enim corrumpatur iuuentus in scholis, atq; in corruptione adoleuerit, quid obsecro ab his expectemus quando præfecti fuerint muneribus ecclesiasticis? Illos ne credamus futuros ecclesiæ sal, qui ut dissolutissimi insulsissimiq; sunt, ita acrimoniam in alijs ferre non possunt? Illos ne putabimus fore ecclesiæ lumina, qui ipsi odere lucem, & delectantur tenebris, & tenebrarum operibus? Quod ergo in ecclesia Israelis fuerunt filij Heli, idipsum erunt & sunt in ecclesia Christi corrupti prophetarum filij. Peribũt itaq; simul cum plebe sibi credita. Proinde indulgẽtia nimia peccatur hodie in scholis scelere nunquam eluibili. Venias enim in scholas non paucas, in quibus milites & scurras, non scholares aut studiosos credas, quos uulgus clericos appellat. Neque uictus, neq; uestitus, neq; mores, neque dicta, neque facta referunt homines ingenuos, honestos, aut studiosos. Scio interim multa deberi infelici & dissolutissimo nostro sæculo, in quo à contumacibus & rebellibus non audiuntur seniorum consilia: sed rursus noui plurimum non raro delinquit præsidentium incuria & indulgentia. Quoniam uero in scholis rectè institutis incolumitas consistit ecclesiarum, annitendum erit summa ope nobis omnibus, ne quid hac parte per nostram pectetur incuriam ac oscitantiam. Hæc de scholis ecclesiasticis, qua potui breuitate recensui: de quibus plura dixi in libro de Institutione episcoporum.

Disciplina scholarum.

De bonis ecclesiasticis.

Porrò ut conseruari possint scholæ cum ministerio uniuerso, & omnibus ædificijs sacris, sumptibusq; ecclesiasticis, opus est omnino iustis facultatibus. Locus ergo hic admonet aliquid proferre

de Bonis Ecclesiasticis. Deus in ea repub. quam alijs præ lucere, ut optime in omnibus rebus necessarijs institutam, uoluit, ex publico uectigalia sacro ministerio deputauit, decimas uidelicet, primitias & uarij generis oblationes. Extant hæc multis ab ipso uiro dei Mose in lege exposita: qui nihil ueritus est, ne eam ob tractationem accusaretur iniquæ cupiditatis aut auaritiæ. Diserte enim quæ deus loqui iubebat, fideliter reddidit. Quid quod ipsa lex naturæ iubet laboranti dare mercedem, & publicos sumptus ex collatione publica suppeditare. Et uectigalia uel tributa illa quæ ex publico colligebantur, non erogabantur nisi in usus publicos. Partim enim cedebant ministris pro ipsorum ministerio, partim impendebantur publicis ædificijs & sumptibus sacris. Seruiebat item portio subleuandis pauperibus.

Ecclesia noui testamenti habet facultates.

Lucæ 8.

Matt. 10.

Actorū 4.

Tametsi uero abrogata sit nouo testamento lex Leuitica cum sacerdotio uniuerso, certum est tamen uniuersalem illam legem, publicos sumptus ex publicis collationibus facere iubentem, non esse abolitam. Nam legimus dominum Iesum Christum, licet non ex decimis & sacerdotum uectigalibus, ex collationibus tamen nihilominus piorum uixisse. Nam publico fungebatur munere. Idem discipulos suos ad prædicandum ablegans, diserte dicit, Nolo uos de uictu & amictu esse solicitos, Dignus est enim operarius mercede sua. Ergo confert primitiua ecclesia, ab apostolis Christo collecta, domos, prædia & pecunias suas ad conseruationem ministerij rerumq; ecclesiæ necessariarū. Sacerdotes & Leuitæ tunc occupabant sacra uectigalia, neq; culmū impendebant apostolicæ ecclesiæ, utpote quam fame extinctam cupiebant. At intelligebant interim pij & fideles homines ad ecclesiæ conseruationē omnino pertinere terrenas facultates. Homines enim dedit ministros ecclesiæ, non angelos: pauperes item loco sui ecclesiæ cōmendauit. At hi utpote homines uarijs rebus indigent. Conferunt ergo sancti spiritu sancto exagitati, ædes, pecunias, fundos, aliasq; suas facultates, ut ex his & pauperes, & ministerium sacrum conseruetur. Certissimum est itaq; ecclesiam populi noui testamenti ab ipsis Christi & apostolorum temporibus facultates habuisse collatas è publico, & erogatas esse rursum in usus publicos.

Quomodo erogatæ sint quondā opes ecclesiæ.

Gregorius eius nominis primus, episcopus Rom. cōmemorat suo tempore, & ante sua tēpora moris fuisse, ut ex bonis ecclesiasticis fierent portiones quatuor, Vna episcopo & familiæ eius: alia clero: tertia pauperibus: quarta ecclesijs reparandis. Negant autem non pauci iuste episcopos stipendium accipere ab ecclesia. Videamus

mus ergo quid ea in re nos doceant cum Christo domino apostoli. Christus dominus, qui nihil unquam admisit iniqui, à mulieribus legitur accepisse quæ ipsi ministrarunt docenti de facultatibus suis. Idem amandans discipulos & iubens ne soliciti sint de uictu & amictu, subiũgit, Dignus est enim operarius mercede sua. Dignum æquum & iustum iudicat dominus prędicatoribus suppeditare necessaria. Ergo indigne se non gerunt qui accipiunt stipendium, un de parent sibi suisq; necessaria: imò cõparat prædicatores non ociosis uentribus, non gratis mãducantibus panem alienum, neq; mendicis, sed operarijs. Vt autem in lege testatur dominus ingens esse flagitium negare mercedem operarijs: ita non peccant uulgariter, qui fidos pastores fame contabescere & inedia perire sinunt. Alibi quidẽ, Gratis accepistis, ait ad discipulos dominus, gratis date. Sed loquitur de dono miraculorum, sanitatisq; beneficio infirmis aut morbo laborantibus & oppressis conferendo. Ita enim scriptum est, Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eijcite. His demum subijcit, Gratis accepistis, gratis date. Proinde licet apostoli stipendium acceperint ab eis quibus prædicarunt: pro dono tamẽ sanitatis, in nomine domini collato, nihil unquam accepisse à quoquam legũtur. Sicut ne Heliseus quidem à Naamano Syriæ imperatore ultrò magna offerenti dona uel tantillum accipere sustinuit, quod eius consilio à lepra fuisset mundatus. At idem ille donum uiri à Baal salisa uenientis non respuit. Ex eodem Christi domini euangelio discunt ministri ecclesiarũ ad quos usus conuertant stipendium ab ecclesia acceptum. Cum enim dominus secedere iussisset Iudam, loculos gerentem, existimarunt cæteri discipuli illum accepisse mandatum emendi necessaria diei festo, aut egenis aliquid erogandi. Proinde dominus stipendio accepto usus est ad res sibi suisq; necessarias parandas, & ad eleemosynam largiendam. En omnia uitæ & muneri suo necessaria possunt ministri ex stipendio ecclesiastico sibi & familiæ suæ parare. Deinde ex eodem possunt & eleemosynam elargiri pauperibus, uelut de propris & iuste partis opibus. Etenim in Lege quoq; dominus diserte dicit, sacrificia Leuitarum facta ex decimis & alijs oblationibus uel uectigalibus sacris, tam sibi grata futura, quàm eorum est oblatio, qui offerunt aliquid ex propria arca aut ex proprio torculari prædijsue proprijs. Certe si operarius aliquid de mercede sua offerat deo, hoc est largiatur pauperi, an nõ gratissima deo uidetur esse oblatio? Gratissima ergo deo fuerit eleemosyna collata à ministro ecclesiæ ex stipendio accepto ex sacro ministerio. Laborat operarius

Ministris ecclesiarũ deberi mercedem.

Matt. 10.

Ioan. 13.

aliquis in extruendo templo, ac mercedem operis percipit ex bonis ecclesiasticis. Quis uero eam ob rem dixerit operarium eleemosynam accepisse, nec eleemosynã ex eleemosyna conferre posse? Mercedem operis accepit. Nam laborauit. Ex mercede ergo & iustis propijsq; suis opibus eleemosynam dat. Quare itaq; uideatur minister ecclesiæ eleemosyna uiuere, & ex eleemosyna eleemosynã non posse conferre, qui tamen & ipse pro suo stipendio laborauit, unde & mercedem operis accepit, sicuti operarius, cui ministrum ipse dominus comparauit? An uero dicet aliquis ministrum ecclesiæ suo fungentem munere fideliter, nihil laborare? Si quis ea est impuden
1. Cor. 9. tia adobrutus, non me, sed Paulum audiat apostolum dicentem, Si nos spiritualia uobis seminauimus, magnum est si nos uestra carna
1. Tim. 5. lia messuerimus? Et iterum, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime ij qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura, Boui trituranti non obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua. En non arbitratur apostolus bonum ministerij inæstimabile, re uilissima, stipendio inquam terreno, compensari ullo modo posse. Deinde, Qui laborant, inquit: qui laborant inquã: non qui ociantur inquit, in doctrina. Hos & boui laborioso animanti & trituranti quidem confert, deniq; & operario. Id quod tam diligenter admoneo, quod in maligno & ingratissimo hoc sæculo nostro homines, imò monstra potius ingratitudinis inueniuntur, quibus persuasum est ministros nihil agere, etiã eos qui fideliter suum obeunt munus. Nam clamitant hos gratis suum panem, ueluti mendicos, edere. Quo nomine multa egregia ingenia absterrentur à studijs bonis & sacris, ut planè abhorreant à ministerio, ceu à mendicitate & re inhonestissima. Ita enim nouit sathan res suas conficere, pro regno suo augendo, abutens imò bene sibi utens nostra ingratitudine & malitia. Quare non potius sustinent illi cum Christo & apostolis, qui & ipsi stipendio alti sunt ecclesiastico, numerari, quàm inter ingratos & superbos illos recenseri, qui ferè usuris & malis artibus suas sibi opes parauerunt, aut si non malis artibus parauerunt, certe ex liberalitate & mero dei dono, pro quo nihil laborauerunt, acceperunt?

1. Cor. 9. S. Paulus grauibus & multis argumentis approbat ius accipiendi stipendij ex ministerio sacro. An non, inquit, habemus potestatem edendi & bibendi? an non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi? Intelligit autem potestatem accipiendi & pro sua, & pro uxoris, totiusq; familiæ necessitate. Ac per interrogationem quod uult enunciat, ut sic significet æquitatem confessam

apud

apud omnes: imò & exempla adiungit, nec quorumlibet, sed omnium, adde et maximorum Christi apostolorum, Christo etiam sanguine coniunctorum, dicens, Quemadmodum & cæteri apostoli & fratres domini, & Cephas? Quis ille Cephas nisi Petrus? Ad hũc enim Ioan. 1. cap. dicit dominus, Tu uocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis. Sed & Petrus à petra cognominatus est: ut in idem semper recidat etymon nominis. Qui uero sunt fratres domini, nisi Ioannes & Iacobus, Iacobus item Iudæ, Iudas Iacobi & Simon? Hos autem omnes dicit Paulus stipendio accepto uixisse ex publicis ecclesiæ collationibus. Exemplis his coniungit aliquot similia petita è uulgo, Quis, inquit, militat unquam suis stipendijs? Quis plantat uineam, et de fructu eius non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Eleganter autem his, & proprijssime quidem his, nõ alijs utitur similibus. Nam ministri ecclesiarum alibi milites, uinitores uel agricolæ & pastores appellantur. Quis uero tam iniquus ut neget militibus, agricolis & pastoribus uictũ & amictum ex militia, agricultura & re pecuaria? Agnoscunt ergo cordati & æquissimi iudicij omnes homines, ministrum ecclesiæ uiuere posse ex ministerio ecclesiastico. Cæterum ne quis obijceret parabolas illas humanas et à uulgo petitas, in caussa ecclesiastica nihil probare, subiungit protinus, Num secundum hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Etenim scriptum est in lege Mosis, Non obligabis os boui trituranti. Quasi dixerit, Sunt mihi in promptu pro iure nostro asserendo, non tantum humanæ similitudines, sed & diuinæ scripturæ testimonia. Profert autem locum ex Deut. 25. cap. de alendis bobus laborantibus. Rursus ne quis eum locum non de prædicatoribus, sed simpliciter de bobus interpretandum contenderet, subdit, Nunquid boues curæ sunt deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is qui arat, arare, & qui triturat sub spe, spei suę particeps esse. Nobis, inquit, uoluit in lege sua dominus consulere. Voluit enim æquitatem syllogismo quodam colligi, ad hunc uel similem modum, Si deus prospexit armento et pecudibus, eorum q̃ rationem haberi uoluit, quanto magis hominum? Iniquissimum certe foret, si agricola cum boue sine spe, id est frustra & sine fructu laboraret: iniquissimum ergo foret & ministrum in ecclesia sine spe ac debito stipẽdio agriculturam exercere ecclesiasticam. Porrò cum his iterum opponi soleat, spirituali ministerio præmium deberi, nõ corporale, sed spirituale, respondet apostolus, Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia messuerimus?

Apostoli ac pendium. cęperunt sti

Marc. 6.

Nihil ergo Corinthios conferre sentit, cum dant temporalia, si uidelicet hæc cum æternis conferantur bonis, quæ ministri docendo afferunt. Nam quantum antecellit anima corpus, tanto præstantiora sunt spiritualia corporalibus. Et occulit interim apostolus in his argumentum euidens, dum admonet æquum esse ut qui seminat, etiam idem ille & metat. In eo autem inæqualitas magna est, quod ministri seminant meliora, metunt autem deteriora. Homines quia & deum & diuinum ministerium floccifaciunt, ideo ministros nihil agere iudicãt Paulus uero rursus ab aliorum exemplo ius suum confirmat dicens, Si cæteri erga uos potestatis participes sunt, cur non potius nos? Cum enim apud Corinthios nemo plus laborasset, quàm Paulus, nemo erat mercede dignior. Idem rursus ab exemplo & præcepto ac ordinatione domini ius suum approbans, An nescitis, inquit, quod hi qui in sacris operantur, ex sacrario edunt? et qui altari ministrant, altaris sunt participes? Sic & dominus ordinauit, ut qui euangelium annunciant, ex euangelio uiuant. Vbi uero hoc ordinauit dominus? Cum in euangelio dixit operarium sua mercede esse dignum. Obseruandum autem puto in primis quod apostolus diserte dicit, dominum suam ordinationem de alendis ministris ecclesiæ ad immitationem antiquarum populi Iudaici legum instituisse. Hinc enim colligimus non aberrare nos à scopo, si in hac & similibus caussis uetera quoque instituta non omnino reiiciamus.

Paulus non accepit stipendium.

His omnibus nihil derogat quod ipse apostolus Paulus suo iure non est usus. Alia enim est quæstio facti, alia iuris. A Corinthijs quidem certas ob caussas nihil accepit, sed nihilo minus accepit ab alijs ecclesijs. Sed & à Thessaloniceñ nihil accepit: cæterum hoc factum suum non uult præiudicare æquo iuri. Nam ad Corinthios,

2. Cor. 11. Alias, inquit, depręda tus sum ecclesias, accepto ab illis stipẽdio, quo uobis inseruirem. Et cum apud uos essem & egerem, non oneros us fui cuiquam. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui ue-

2. Thes. 3. nerant à Macedonia. Et ad Thessaloniceñ. Non inordinate gessimus nos inter uos, inquit, neq; gratis panẽ accepimus à quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc ne cui uestrum essemus oneri. Non quod id nobis non liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad immitandum nos. Ac idẽ

1. Thes. 5. ad eosdem Thessaloniceñ. Rogo uos, inquit, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos, & qui præsunt uobis in domino, & admonent uos, ut habeatis illos in summo precio, per charitatẽ: propter opus illorum pacem habete cum eis. Cedat ergo ex facultatibus ecclesiæ

pasto-

paſtoribus quantum ſatis eſt, & quantum honeſta requirit neceſſitas. Hæc autem hactenus de portione paſtoribus debita.

Clericis olim cedebat ſecunda pars opum eccleſiaſticarum. Sunt autem clerici paſtorum ſeges, ſtudioſi theologiç, & miniſterio ſacro dediti. Quoniam enim & hi ſeſe & omnia ſua in uniuerſum eccleſiæ & miniſterio eius conſecrauerunt, æquiſſimum eſt ut eccleſiæ ſumptibus alantur. Alantur autem frugaliter, qui alijs debent præferre frugalitatis exemplum. In delitijs educari, miniſterijs eccleſiæ minime congruunt. Ideo enim & Amos querebatur uinum propinari nazareis, quod intelligeret ebrios eccleſiam non ſeruare, ſed perdere funditus. De qua re aliàs dictum eſt. Præterea æquum eſt, ut præsbyteris, ſcholarum rectoribus, profeſſoribus, & omnibus ſingulisq; perſonis eccleſiaſticis ſua perſoluatur portio iuſta. *Studioſi alantur ſtipendio eccleſiæ.*

Porrò pauperibus in eccleſia deſtinata eſt tertia bonorum eccleſiaſticorum portio. Sunt autem uaria pauperum genera. Sunt uiduæ, pupilli, orphani, infantesq; expoſiti. Sunt ſenio & morbis attriti atq; confecti. Morborum autem genera infinita ſunt. Grauiora numerantur lepra, furor & mania, poſcæ Gallicæ, uel ſcabies Indica uel Neapolitana, paralyſis, podagra, & multa alia. Sunt & peregrini non tantum indigenæ pauperes: ſunt exules ſuis eiecti ſedibus propter iuſtitiã & uerbũ dei. Sunt alij qui nondum ad imam peruenerunt inopiam, ſed in procliui tamen ſtant, ita ut ſi non pecunijs numeratis iuuentur, mox toti ueniant publicis eccleſiæ bonis alendi. Sunt rurſus quos captiuitates, bella, aquarum inundationes, incendia, atq; aliæ calamitates grandinis, pruinæ ac intempe ries cœli attriuere. Quorum omnium ſalutem & incolumitatem cõmendauit nobis dominus deus noſter, qui aperte teſtatur ſibijpſi impenſum eſſe quod impẽderimus pauperibus. Proinde ſi contemſerimus aut neglexerimus pauperes, ipſum deum noſtrũ procul dubio in ipſis ſpreuimus & neglexim us pauperibus. Iuuare autem oportet pauperes beneuolentia ſpontanea, cõſilio, cõſolatione, medicina, cura, pecunia, cibo, potu, ueſtimentis, hoſpicio, patrocinio, & quocunq; poſſumus modo, ac in omnibus ijs rebus in quibus illi noſtro auxilio indigent. Si hæc non plene ſufficere poſſunt opes eccleſiaſticæ, ſarciat horum inopiam omnium fidelium copia. Si autem opes alioqui ſufficientes olim piorum liberalitate collatæ in promptu ſunt, quæ tamen procerũ negligentia uel iniquitate, pauperum neceſſitati ſubducuntur, inde profecto ſæuiſſimæ infelicitatum tempeſtates effunduntur & in reſpub. & in regna. Etenim puniuntur grauiſſime qui priuatim de ſuo, cum poſſunt, nihil confe- *Pauperibus proſpiciatur ex bonis eccleſiæ.* *Fraudare pauperes ſua portione.* *Ezech. 16.* *Iſa. 16.*

runt pauperibus: quanto ergo atrocioribus ſupplicijs afficiendos exiſtimamus, qui dudum ab alijs ad publicos pauperum uſus collatas opes, ad priuatos uſus impie & ſacrilege rapiunt? Qui habet huius mundi ſubſtantiam, & uidet fratrẽ ſuum egẽtem, clauſeritq; uiſcera ſua ab eo, crudelis eſt: ergo qui munus pauperi datum ipſe ſibi rapit, crudelior adeoq; ſacrilegus eſt. Sodomitæ cum ſocijs urbibus ſubuerſi leguntur, quod manum pauperũ non confortauerũt, ſed diſſoluerunt potius. Moabitæ & Chananæi excinduntur, quod aſpernati fuiſſent peregrinos, & nullum prorſus habuiſſent pauperum rationẽ. Sed cur tam longe petita adducimus exempla? cur nõ reuocamus in animos ultimã illam ſupremi iudicis è tribunali cœleſti, in ipſis firmato nubibus, ſententiam, ad hunc modum pronunciatam, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratũ uobis ab exordio mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi edere. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & collegiſtis me. Nudus, & operuiſtis me. Infirmus, & uiſitaſtis me: in carcere eram, & ueniſtis ad me. Subdit autem euangeliſta, quæ mire noſtro congruunt inſtituto. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes, Domine, quando te uidimus eſurientem, & pauimus: & ſitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem uidimus te hoſpitẽ, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando uidimus te infirmũ, aut in carcere, & uenimus ad te? Et reſpondens rex, dicet illis, Amen dico uobis, quatenus feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & nõ dediſtis mihi cibum. Sitiui, & non dediſtis mihi potũ. Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Nudus, & non operuiſtis me. Infirmus, & in carcere eram, & non uiſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes, Domine, quando te uidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens, Amen dico uobis, quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis. Sequitur ergo, Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti uero in uitam æternam. Alibi enim in euangelio dominus pauperes ſui loco, qui aſcenſurus erat in cœlos, nobis ſubſtituens, Semper, inquit, pauperes habetis uobiſcum: & quandocunq; uolueritis, poteſtis illis benefacere: me uero non ſemper habetis. Proinde legimus primitiuam eccleſiã in pauperibus curandis ad miraculum uſq; fuiſſe ſolicitam. Paulus eccleſiæ dei ubiq; cõmendat pauperes: pauperibus collegit in omnibus ferè eccleſijs, & collectam benedictionem mira procurauit maturitate,

1. Ioan. 3.

Ezec. 16.

Eſa. 16.

Matth. 25.

Marci 14.

turitate, fide & diligentia. Id quod uidere licet in omnibus ferè eius epistolis, præcipue uero in 15. ad Rom. in 1. ad Corinth. 16. in 2. ad Corinth. 8. & 9. cap. Ad Galatas, Dum tempus habemus operemur bonũ, inquit, cum erga omnes, tum uero maxime erga domesticos fidei. In epistola priore ad Timoth. monet etiam rationẽ habendã esse eorum quibus subueniatur, & quibus non subueniatur. In eadem epistola præceptũ dat Timotheo, & omnibus episcopis, quid agant cum ditioribus in ecclesia, dicens, His qui diuites sunt in hoc sæculo præcipe, ne elato sint animo, neq; spẽ ponant in diuitijs incertis, sed in deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut bene faciãt, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impertiendum, libenter communicantes, recondentes sibijpsis fundamentũ bonũ in posterum, ut apprehẽdant uitam æternam. Idem ad Hebr. Beneficentiæ, inquit, & cõmunionis ne obliuiscamini. Talibus enim uictimis placetur deo. Paratæ sunt ergo opes mox inde ab apostolorum temporibus pro necessitate pauperũ subleuanda. Dati sunt ab ecclesia diaconi curatores seu œconomi. Inter quos illustriores fuere primi illi diaconi, quorum meminerunt Acta apostolorum, & præclarus Christi martyr Laurentius. Ac ueterum scripta testantur, ex bonis illis ecclesiasticis liberatos fuisse perfrequenter captiuos, nubiles pauperes uirgines dotatas, deniq; extructa esse Xenodochia, Ptochotrophia, Nosocomia, Gerontocomia, Brephotrophia, & Orphanotrophia, nimirum pro excipiendis pauperibus peregrinis, pro alendis pauperibus indigenis, pro ægrotantium & languentiũ cura, pro senũ necessitate, proq; infantium pupillorum & orphanorum educatione honesta. De his extant adhuc imperatoriæ leges.

Galat. 6.

1. Tim. 5.

1. Tim. 6.

Hebr. 13.

Act. 6.

In reformandis ergo ecclesijs aduigilandũ est diligentissime, ne quid hic peccetur negligentia aut malitia, ne fraudentur pauperes, néue abusum unũ tollentes, plures inducamus. Si suppetunt opes, conseruentur: si non suppetũt, colligantur ex ditioribus. Deinde inspiciatur pauperũ conditio, & cuius rei quisq; maxime sit indigus, aut quomodo cuiq; cõmodissime prospici possit. Ea re deprehensa, mature, benigne & diligenter fiat quod fieri conuenit ac necesse est. Si quid de opibus superfuerit publicis, seruetur futuris calamitatibus. Nihil prodigatur inutiliter & impie. Rursus non coaceruetur fraude & inopia pauperum thesaurus infelix. Vtroq; enim ex æquo peccatur. Vtrobiq; enim fraudantur suis opibus pauperes. De Beneficentia diximus alibi in hisce nostris decadibus: de curandis item pauperibus, in alijs nostris lucubrationibus. Optime uero de sub-

Reformatio.

uentione pauperum scripsit Lod. Viues.

Aedificia sacra.

Quarta & ultima portio bonorũ ecclesię debetur ædificijs sacris, ut templis, scholis, & domibus ad templũ scholasq; pertinentibus. Templa quæ & ecclesiæ à cœtu appellãtur, sunt domus domini dei nostri. Non quod in domibus huiusmodi deus, quem cœli cœlorũ non capiũt, habiter, sed quod ecclesia uel populus dei coit in huiusmodi domibus ad cultũ deo præstandũ, ad audiendũ uerbũ dei, ad percipiẽda sacramenta domini, & ad precandũ faciem dei. Templa ergo ecclesiæ dei omnino necessaria sunt. De cœtibus sacris dixi in disputatione de Oratione. Quãuis uero iubente deo Moses portatile templũ, deinde uero sapientissimus Solomon fixũ templũ, non sine sumptu magno, parauerint, nõ ideo tamen existimandũ est maximos sumptus ꝓbari deo post exhibitũ Christum adimpletasq; figuras. Nã ut ante legẽ latã patriarchæ nullas leguntur domino extruxisse basilicas, ita post abrogatã legẽ in ecclesia Christi placet deo frugalis mundicia. Displicet autẽ insania illa ædificandi non admodum dispar furori Babylonico conanti summũ turris fastigiũ ipsis imponere nubibus. Non placet deo luxus templorũ, qui sine luxu ex toto terrarũ orbe collegit ecclesiã, quam & frugalitatẽ & omnis luxus contemptũ docuit. Satis amplũ & magnificum fuerit templũ, si sufficiat recipiendis omnibus ad ecclesiã istam pertinentibus. Hominibus enim non deo paratur locus. Sit autẽ locus ille mundus & sanctus. Sanctificatur consecratúrue templũ, non (ut superstitiose à quibusdam creditur) ullis uerborũ recitationibus, aut impressis characteribus, non oleo & ignibus piacularibus, sed dei uoluntate & præcepto, iubentis conuenire, & ꝓmittentis suam præsentiã, consecratur item usu sacro. Cõgregatur enim in templo sancta dei ecclesia: annunciatur in templo ipsum dei uerbũ sanctissimũ: percipiuntur in templo sacrosancta dei sacramenta: funduntur item ad deum preces deo gratissimæ. Locus quidẽ per se sanctus non est: sed quoniam hæc sancta in loco fiunt quatenus fiunt & ipse locus appellatur sanctus. Merito ergo abest à dei templo sancto omnis prophanatio & res turpis atq; fœda. Curia senatoria ab omnibus habetur sacra, adeo ut maiestatis reus ageretur quisquis illã dicto uel facto indecoro uiolaret. At in hac colliguntur duntaxat senatores, audituri causas litigantium de rebus fluxis & perituris. Quanto uero maior debetur reuerẽtia templis, in quibus ad cultũ dei filij dei conueniũt, ipsa dei uerba audituri, & sacramẽta eius percepturi? Vt ergo in templis superstitionem odimus, ita prophanationem ipsorũ non amamus, imò minime ferimus. Neq; uacat modo omnes circa tem-

De Templis Christianorum.

ea templorum consideratione superstitiones manifestas recitare & excutere. Id quod feci aliàs.

Disputatum uideo apud ueteres ad quam orbis plagam adoran tes oporteat conuerti. De uetustissima orbis apostolica ecclesia Antiochia Socrates historiarum lib. 5. cap. 22. Antiochiæ, inquit, Syriæ inuersum habet ecclesia situm. Altare siquidem nõ ad orientem, sed ad occidentem spectat. Fortassis immitati sunt ueteris populi in extructione ac situ tabernaculi & templi morem. Ad occidẽtem enim conuersi adorarunt, haud dubie propter Christum in fine & occasu sæculorum uenturum. Alioqui uulgo receptum est adorare uersis ad orientem uultibus. Sed in his, si absit superstitio, altercatio, licentia & offensio, ualet libertas. *Ad quam mundi plagam adorandum.*

Porrò diuis non debent ulla extrui templa. Soli enim deo, cui debetur cultus, ponendum est templum. Id quod exemplis ueterum docemur, & consensu totius scripturæ. Ethnici idololatræ creaturis posuerunt templa, atroci prævaricatione peccantes contra deum uerum & æternum. S. Augustinus libro de Ciuit. dei, sine uerborum inuolucro dixit, Martyribus nostris templa non ponimus, uel extruimus. Idem lib. 1. contra Maximinum Arianorum episcopum, Nónne si templum, inquit, alicui sancto angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathemaremur à ueritate Christi & ecclesia dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ uni tantum debetur deo. Si ergo sacrilegi essemus faciendo templũ cuicunq; creaturæ, quomodo non est deus uerus cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Hæc ille. Proinde mendaces sunt qui audent asserere uiuentibus apostolis, posita à religiosis hominibus templa. De qua re diximus olim, ut & contra templorum luxum & sumptus inutiles, primo libro de origine erroris, capite uigesimo primo. *Templa Diis non extruenda.*

Instrumenta templi sacra sint, & ipsa munda, & ab omni luxu aliena, à superstitione uero alienissima. Instrumenta sunt cathedra sacra, è qua doceat minister: sedilia commoda auditoribus ecclesiasticis: baptisterium baptizandis fidelibus paratum, & Mensa dominica, deniq; quæ ad hæc ipsa uelut necessaria uidentur, aqua, panis, uinum, libri, lucernæ, calathi uel catini & pocula. Fuerunt sanè hæc aliquando aurea: sed conflauerunt optimi & sanctissimi quiq; episcopi hæc non raro ac liberarũt captiuos, cibarunt̃q; fame tabescentes. Plurima horum collegi exempla lib. de Instit. episcoporum capite 9. Et Lucernas quidem, quarum iam iam meminimus adhibuisse ueteres in templis ad discussionem nocturnæ caliginis, cer- *Instrumenta sacra.*

tum est, uel ex Actorum cap. 20. Stultum est autem & minime religiosum, lumina ad cultum dei adhibere. Clamat Lactantius, Num mentis suæ compos putandus est, qui authori aut datori luminis candelarum aut cerearum lumẽ offert pro munere? Aliud uero ille exigit à nobis lumen, & quidem non fumidum, sed liquidum atq; clarum, mentis scilicet. At contra tam liquidam ueritatem uideas hodie bonam cultus dei partem in oblatione luminũ collocari. Inter instrumenta ecclesiastica recensentur & Campanæ, quæ hodie id nobis sunt quod olim erant populo dei Tubæ. Seruiunt enim cœtui conuocando, & referuntur ad signa. Circa illas mira exercetur superstitio. Baptizantur ab episcopis: creduntur uim habere dispellendæ tempestatis atrę. Olim pulsu prouocabantur homines ad preces ingruente tempestate sæua, nunc ipse campanarũ sonus ex consecratione uidetur peculiarem habere uirtutem. Quis non obstupescat ad extremam hanc cæcitatem? Vsurpant præterea campanas ad plangendum mortuos. Quę quidem omnia superstitiosa & modis omnibus contemnenda sunt.

Abusus bonorum ecclesiæ.

Cum autem in illis quæ commemorauimus uerus sit usus bonorum ecclesiasticorũ, consequens est in contrarijs uersari abusum: siue peccetur in una specie, siue in pluribus. Iustitia in his, ut in omnibus colenda est. Non eripiendum uni & dandum est alteri: sed suum cuiq; dandum est. Ergo non eripiendum aliquid pauperibus & dandum est ecclesiæ ministris: neq; his sua portio & necessitas rapienda, ut habeant unde uiuant pauperes. Scriptura concedit bonorum ecclesiasticorum portionem ministris ecclesiæ: eadem iubet & pauperibus suum tribuere demensum. Ergo si episcopi uel ministri ecclesiastici omnia sibi bona ecclesiastica uendicent, nec suas partes pauperibus distribuant, sacrilegio se polluunt. Si ministri non omnia sibi bona uendicent, interim plus quàm decet & necessitas poscit, ac ordinatio domini & apostolica admittit, sibi usurpant: aut si portionem sibi debitã turpiter concoquunt, grauiter delinquunt: grauius imò grauissime peccant, si uenationibus, alea, poculis & luxu, scortis, adde & militia bona etiam pauperum prodigunt: interim & ædificia sacra nec curant, nec ullam rationem habent eorum quæ fiunt in templo, aut quomodo fiant. Quod si portio iusta cedat pauperibus, erretur autẽ hic fauore uel odio ab œconomis, uel dispensatoribus, ut maxime indigis & miseris cedat nihil, indignis autem supersit multum, peccatur etiã hac ratione turpi abusu. Omnium autem fœdissimus abusus is esse uidetur, qui hodie fere uulgatissimus est. Fit sumptus ingens in saxa & truncos, hoc est in idola omni

la omni sensu carentia, pauperibus ueris dei imaginibus nullus fit honor. Qui quidē furor est gentilis & extrema dementia. Sed cum alij de abusu bonorum ecclesiæ dixerint copiosissime, & nos quoq; de hoc alibi quædam proposuerimus, de his iam dicendi finem faciam.

Dicerem iam & de Tempore sacro, quæ tractatio omnino affinis est Loco sacro, de quo iam disputauimus, nisi de illo quoq; Decalogum exponentes differuissemus. Hoc duntaxat adijciam in præsenti, non oportere propter hoc contendi odiosius in ecclesia, sed disciplinam cum charitate esse in hac caussa & similibus cōstanter seruandam. Memores enim nos esse decet concertationis perniciosissimæ de Paschate celebrando, quæ multo cum periculo & detrimento multum diuq; exercuit & orientis & occidētis ecclesias, cauereq; modis omnibus ne per contentiones sathanæ aperiatur fenestra. Vtile fuerit mea sententia in hac caussa & non dissimilibus illius beati Augustini meminisse consilij, Quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum est. Ad Ianuariū epistola 118. *Tempus sacrum.*

Ad ministerium sacrum pertinet & disciplina correctioq; ministrorum. Quā uero hæc sit necessaria, colligi potest uel ex his Christi domini uerbis, Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Scio iactare quosdam priuilegia nescio quæ, eximentia ipsos ab omni disciplina. Sed errant isti. Omnes enim ecclesiæ suæ ministros subiecit dominus disciplinæ. Qui itaq; à disciplina exempti esse uolunt, non sunt ministri Christi. Aut quis obsecro eum liberum à disciplina pronunciet, quem dominus omnino uoluit esse subiectum atq; obstrictum? Contra mandatum domini non ualet ulla lex pontificia, aut ullum priuilegium regium uel imperatorium. Nemo enim potest abrogare summi dei decretum. Et dominus quidem iubet monere & corripere quemlibet fratrem peccantem: uult ergo idem ut cæcutientes & impingentes ministros ecclesiarum acrius admoneamus. Ipse certe totum sacerdotium ordinem ecclesiæ Hierosolymitanæ increpauit, & crebrime & acerbissime. Heli sacerdos domini pessime audit in sacra historia, quod seueriore disciplina filios suos sacerdotes non coherceret. Prophetæ domini acerrime leguntur accusasse & tota sacerdotum collegia et summos sacerdotes. Exempla ubiq; occurrunt in historia diuina, & in prophetarum sermonibus. Quid quod S. Paulus sanctis *Disciplina et correctio ministrorū.*

Galat. 2. simum apostolum Petrum Antiochiæ Syriæ in conspectu totius ecclesiæ increpuit, quod non recto pede ad regulam euangelij incederet. Christus denique ipse in reuelatione sua facta Ioanni apostolo, angelos, id est ministros ecclesiarum, grauissime & admonet & increpat. Rursus uero apostolus Paulus, Aduersus presbyterum, inquit, accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos uero qui peccant, coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Ergo non pauca extant in scripturis clarissima exempla sanctissimorum principũ, qui primarios etiam ministros ecclesiarum legibus cohercuerunt & non bene suo munere fungentes è gradu & cathedris deturbarunt. Sed & ipsa deposcit necessitas, & salus populi dei, ut deprauati ecclesiarum ministri deponantur. Et satius quidem est cõturbare aliquot ministros prauos, quàm in discrimen animæ & corporis tot ecclesias conijcere. Perduntur enim funditus ecclesiæ incuria & impietate deprauatorum pastorum. Deponantur itaq; mature.

1. Tim. 5.

De Synodis. Cæterum quo facilius & rectius in officio retinerentur ecclesiarum ministri, celebrarũt quondam ueteres semel & iterum in anno synodos sacerdotales, & has ueluti medicinã adhibuerũt ministrorum morbis. Et ne quid hic longe petitum afferam, recitabo C. V. quæ leguntur in Constitut. imperatoria Iustiniani Cæs. sic mandantis, Veteres definierunt ut bis per singulos annos sacerdotum seu episcoporum in quacunq; prouincia celebrẽtur synodi, & quæ suppullularent, ibi examinarentur, & competenti correctione sanarentur. Id cum hucusq; non sit obseruatum, necessarium uidetur id denuo ad rectam uiam reducere. Nos ergo cum inuenerimus multos ob hanc negligentiam uarijs implicitos esse erroribus atq; peccatis, iubemus ut omnibus in quacunq; prouincia per singulos annos, uel in mense Iulio, uel Septembri una synodus celebretur, coeantq; in unum uel apud patriarchas uel episcopos presbyteri, & agitentur causſæ fidei, quæstionum item canonicarum, & de administratione rerum ecclesiasticarum, uel de reprehensibili uita, aut alijs quæ correctionem desiderant. His enim ita obseruatis laici quoque magnam circa rectam fidem & honestam uitam profectum atque in melius emendationem promerebuntur. His protinus subiungit & hæc, Iubemus autem & prouinciarum præsides, si ita negligenter curari uiderint, episcopos urgeant ad celebrandas synodos. Quod si eos moram nectere & segnius eas senserint peragere, nos ea de re certiores reddant, ut contra cunctatores conueniens à nobis procedat correctio. Hactenus Cæs. decretum recensui. Videant ergo epi

scopi

scopi, ne quid hic eorum negligentia peccetur: & his quidem negligentibus, uideat magistratus ne ad socordiam horum conniuea in perniciem totius ecclesiæ & omnium ministrorum Christi. Si cubi uero exoleuit salubre celebrandi Synodos institutum, reuocetur, & iusta cum grauitate reparetur ad ministerij conseruationem incolumitaremq; ecclesiarum. Subrepunt in horas uaria & multa uitia, quod carnis ingenium admodum sit deprauatum: nisi ergo in ecclesia ualeat admonitio, & in quotidiano usu sit correctio, citius quàm ipsi putemus collabuntur & intereunt ea quoq; quæ sit missima credebantur.

Sicut autem dominus priuatim uoluit admoneri & corripi prævaricantes ecclesiæ ministros, ita eiusdem admonitionis & correptionis bonum extendit ad uniuersam ecclesiam. Ergo habuit uetus ecclesia sanctum presbyterorum senatum, qui delinquentes in ecclesia diligenter admonebat, corripiebat grauiter, adde & consortio excludebat ecclesiastico, si uidelicet nihil emendationis expectari posse uideretur. Posterioribus uero sæculis pontifices & episcopi hoc uindictæ genus ad se rapientes per tyrannidem, & sacrilege contra primam institutionem exercentes, conuerterunt salutarem medicinam in letale uenenum, reddideruntq; tam probis quàm improbis abominabilem. S. Paulus docens non paucorum libidini hanc permissam esse diuinitus uindictam, Decreui, ait, ut is qui hoc scelus patrauit, in nomine domini nostri Iesu Christi congregatis uobis & meo spiritu, unà cũ potestate domini nostri Iesu Christi, tradatur sathanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die domini Iesu. En ecclesiæ seniorúmue in ecclesia est ista potestas uel uindicta. Modus autem est, interitus carnis. Finis uero, salus spiritus, siue conseruatio fidelis hominis. Nam & ad Thessal. idem apostolus, Si quis, inquit, non obedit sermoni nostro, hunc per epistolam indicate, & ne commertium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur: neque uelut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrem. Idem apostolus alibi quoque satis diserte indicans, qui nam ecclesiastico feriendi sint gladio, non peccatores quidem infirmi, aut uiri boni, solis episcopis & coniuratis ipsorum hæretici iudicati, aut pauperes propter pecuniam nondum numeratam officiali aut uicario in spiritualibus, sed scelerati & nepharij, manifesteq; flagitiosi homines. Si quis cum frater appelletur, inquit, fuerit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. S. Augustinus in uindicta exercenda admittit moderationem, tum maxime

Admonitio & correctio ecclesiastica.

1. Cor. 5.

2. Thess. 3.

cum ex uindicta non ædificatio, sed destructio ecclesiæ metuitur. Qui metus fortè inanis, aut nimius uideri potuisset, si non idem apostolus, qui incestuosum mœchum Sathanæ tradi iusserat, in po-
2. Cor. 12. steriori dixisset epistola ad Corinthios, Timeo autem ne fortè cum uenero, non quales uolo, inueniam uos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & scortatione & impudicitia quam gesserunt, &c. Minatur his quidem grauiter, se eis non parsurum: sed quoniam uidebat ad dissipationem ecclesiæ non collectionem spectare, si omnes, mœchi instar, Sathanæ tradidisset, moderationem adhibuit, iuxta præ-
Matth. 13. ceptum domini, Sinite crescere utraq; , ne dum euellitis zizania, simul eradicetis & triticum. Opus est ergo sancto iudicio, ne hic nimia peccetur uel indulgentia uel seueritate. Præterea ualeat in re-
2. Cor. 2. sipiscentibus matura reconciliatio. S. Paulus, Sufficit, inquit, homini istiusmodi increpatio hæc, S. Petrus qui turpiter abnegarat dominum, audit sibi in ipsa resurrectionis die à mulieribus per angelos nunciari euangelium.

Porrò esse in ecclesia etiam magistratum, & ius gladij ferientis maleficos, & magistratum iudicantem ferientemq; gladio, nihilò minus numerari inter uera ecclesiæ membra, imò magistratum officio suo ecclesiæ omnino utilem esse, docui Sermone 7. & 8. Decadis 2.

De matrimonio Christiano.

Singularia uero dei instituta in ecclesia sunt ea quæ sequuntur. Et coniugium quidem inter ecclesiæ instituta non postremas obtinet partes: quod si recte colatur, fructus egregios & innumeros in ecclesia profert: si non recte colatur, scandala & mala pestifera et infinita ex se profundit in ecclesiam. Recte enim iudicant qui aiunt ex plurimis bene institutis domibus, optime & sanctissime institutam colligi ecclesiam: rursus ex multis impijs domibus, impiam constitui ecclesiam. Deus ergo uerbo suo diligenter instituit coniuges, & coniugium ornat pulcherrime. Non est autem præsentis instituti matrimonij encomium canere, sufficit nosse ipsum deum matrimonij esse authorem: instituisse autem hoc in ipsa paradyso, & in hunc finem, ut bene uel commode apud sodalem homo uiuat: denicq; illum ipsum primos copulasse coniuges, & copulatis benedixisse. Vixisse autem in hoc uiuendi genere sanctissimos quosq; dei amicos, patriarchas, principes, prophetas, reges, pontifices, sapientes & sacerdotes. Vnde fortassis Paulus dixisse legitur,
Heb. 13. Honorabile est coniugium apud omnes, & cubile impollutum.
2. Tim. 4. Idem alibi doctrinam prohibentem contrahere matrimonium appellat

pellat dæmoniorum doctrinam. Constat enim ipsos quoque Christi discipulos & apostolos fuisse coniugatos, neque dimisisse (quod tamen quidam impudenter confingunt) coniuges, cum obirent munus prædicandi. Clarissimum enim illud est quod apostolus ab episcopo uel presbytero requirit, ut sit unius uxoris maritus: & quod alibi potestatem uxorem Christianam circũducendi in munere apostolico, diserte asserit, & sibi quoque ac Barnabæ uendicat. Quid quod in Concilio Niceno pronunciatum est, concubitum cum uxore propria esse castitatem. Nam Paulus prior dixerat, Ad fornicationem uitandam habeat quisq; uxorem propriam. Et, Coniugij cubile est immaculatum: item, Virgo si nupserit non peccauit. Talem ergo omnino esse iudicamus Papisticam doctrinam, prohibentem coniugia ministris, qualem esse pronunciauit Paulus, dæmoniacam. Coguntur hoc nobiscum fateri uel ipsi Papistæ, qui nondum omnem abstersérunt pudorem. Dum enim ex fructibus iudicamus arborem, quos obsecro cœlibatus illius fructus recensere possumus, quàm spurcitiam, obscœnitatem, fornicationes, stupra, adulteria, incestus & nepharios concubitus? Quis uiuit hodie impurius & impudentius, quàm ordo ille sacerdotum & monachorum? Vt enim non curant dei uerbo & legibus obsequi, deumq; sancta uita casto in coniugio glorificare: ita tradidit eos deus per cupiditates cordium suorum in immunditiam, ut ignominia afficiant corpora sua. 1. Tim. 3. Titum 1. 1. Cor. 9. 1. Cor. 7. Hebr. 13.

Principio autem docet scriptura sancta diligenter omnes inuigilare homines, ut sancte, sobrie, prudenter, & legitime in timore domini contrahant matrimonium, ne affectus deprauatus, auaritiæ, ambitionis, aut libidinis prædominetur & exagitet, ne contra leges uel scriptas uel charitatis coëat connubium. Locum hic habent gradus consanguinitatis & affinitatis, honestas publica, reuerentia sanguinis, scandalum, & ne quis uxorem prophanæ & contrariæ religionis ducat. Vetamur enim iugum ducere cum incredulis. Deinde docemur contractum legitime, pie, & sancte auspicari cum precibus & perceptione benedictionis dei in templo domini, & in conspectu & inter preces totius ecclesiæ, cauereq; ne hic cum impuro mundo omni prophanatione polluamur. Neque enim ignoramus quid hic soleant homines huius sæculi, diabolo uidelicet, non deo celebrare nuptias, in luxu, superbia, crapula, ebrietate, & omni lasciuia. Præterea docemur coniugibus cohabitare cum scientia, moderatione, patientia, fide, & dilectione: Sancte contrahendũ. 2. Cor. 6. 1. Pet. 3.

ſancte item & honeſte educare ſobolem, eandemq; ſuo tempore etiam ſancto conſecrare coniugio.

Diuortium. Quod ſi propter adulteria, aut adulterio grauiora ſcelera, ipſa ineuitabilis neceſſitas diſſuere coniugia cogat, eccleſia tamen hic nihil agit temere. Habet ſuos iudices, qui in cauſſis & litibus matrimonialibus iuxta æquum & bonum, imò iuxta leges diuinas
2. Cor. 6. & ſecundum honeſtatis regulam iudicant. Noluit apoſtolus fideles litigare in foro infidelium, ergo ſequeſtres conſtituerent hortabatur, qui litigantes amicè componerent. At in cauſſis matrimoniorum longe grauiora ſunt quæ uetant litigantes ad incredulos concedere iudices. Recte ergo eccleſia dei forum habet matrimoniale. Quoniã uero de coniugio diſſerui Decadis 2. Sermone 10. & peculiarem de eodem librum quondam edidi, perſtrinxi ſaltem hæc hactenus de connubio Chriſtiano.

De uiduis. Viduas habet eccleſia dei, ſed tales quales Chriſti apoſtolus deſcribit, dicens, Quæ uere uidua eſt, ac deſolata, ſperat in deo, & perſeuerat in obſecrationibus ac precationibus, noctu dieq;. Porro quæ in delicijs uerſatur, ea uiuens mortua eſt. Idem iubet iuniores nubere, liberos gignere, & domum adminiſtrare, nec ullam occaſionem dare aduerſario maledicendi. Notus eſt locus
De uirginibus. Pauli 1. Timoth. 5. Habet item Virgines eccleſia. Hæ curant eaduntaxat quæ domini ſunt, & uere ſunt uirgines ſine fuco & hypocriſi. Paulus, Virgo, inquit, curat ea quæ ſunt domini, ut ſit ſancta cum corpore tum ſpiritu. Multæ quidem corpore ſibi temperant, non animo: deus utrũq; requirit, & animum maxime. Poſſumus quidem hominibus facere fucum: deus autem non fallitur. S. Paulus in 1. ad Corinth. 7. cap. encomium Virginitatis canit, & per comparationem uirginis cum nupta oſtendit, quantum ſit uirginitatis bonum. Cæterum poſſunt, ſi uelint, uirgines nubere. Id quod clare docet eodem illo loco apoſtolus. Diuino teſtimonio congruit etiam humanum. Cyprianus enim cum ſocijs epiſcopis & presbyteris reſpondens Pomponio, dicit, Deſideras ut tibi reſcriberemus quid nobis de ijs uirginibus uideatur, quæ cum ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreuerint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis? Circa quam rem quoniam conſilium noſtrum deſideraſti, ſcias nos ab euangelicis & apoſtolicis traditionibus non recedere, quo minus fratribus & ſororibus noſtris conſtanter & fortiter conſulatur, & per oẽs utilitatis & ſalutis uias eccleſiaſtica diſciplina ſeruetur. Et mox,

Quod

Quod si se ex fide Christo dicauerunt, pudice & caste sine ulla fabu
la perseuerent, ita fortes & stabiles prçmium uirginitatis expectent.
Si autem perseuerare nolunt, uel non possunt, melius est ut nubant,
quàm in ignem delitijs suis cadant. Et reliqua. S. Augustus. disputans
de uerbis apostoli, Damnationem habentes quod primã fidem irri- 1. Tim. 5.
tam fecerunt, damnationem non in consequens reijcit coniugium,
sed in præcedentem inconstantiam. Damnantur, inquit, tales, non
quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiç pri
mam fidem irritam fecerunt. Et his paulò post addit, Proinde qui *De Bono uiduitatis cap. 9.*
dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non
mihi uidentur satis acute & diligenter considerare quid dicant. Hçc
ille. Ego per κρῖμα, id est condemnationem uel iudicium, intelligo
in apostolo reprehensionem, quam Heluetij uocamus ein außrich
ten oder nachred. Nam apud multos male audiunt, quod primam
fidem, id est continentiæ pactum dissuerunt. Satius ergo putat apo
stolus, iuuenculas se applicare coniugio, quàm ei instituto uitæ, à
quo postmodum resilire per necessitatem non sine reprehensione
hominum compelluntur. Loquitur autem eo loci non de Virgini
bus, sed de Viduis. Cyprianus simpliciter de Virginibus.

Monachos & manachas nescisuit primitiua Christi & apostolo- *De monasteriis & monachis.*
rum ecclesia: posteriora sæcula monachos habuerunt, sed non tales
quales hodie cernuntur, qui sibi ipsis regula sunt & lex, quorũ mo=
nasteria omni obscœnitate & impuritate scatent. Id quod omnibus
nobis tacentibus, ipsa res adeoq; experientia loquitur. Et quç uiden
tur coherceri paulo seueriore disciplina, hypocrisi sunt conspurcata,
ut ne quid addam aliud. Et primi quidem monachi non inhabita-
runt urbes, non inseruerunt semetipsos sæcularibus negotijs. Mo-
nuimus aliâs, quendam ex mediæ ætatis scriptoribus postulasse ut
clericatu se abdicet qui factus sit abbas, eò quod monachus simul
esse & clericus rite nemo queat, cum alterum alteri sit impedimẽto.
Ergo non uixerunt ex publicis ecclesiæ uectigalibus, sed propria-
rum manuum laboribus sicut laici. S. Hieronymus disputans de
origine monachorum in uita Pauli, sic reliquit scriptum, Inter mul-
tos sæpe dubitatum est à quo potissimum monachorũ eremus ha-
bitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes à beato Helia & Io
anne sumpsere principium: quorum & Helias plus nobis uidetur
fuisse, quàm monachus: & Ioannes ante prophetare cœpisse quàm
natus est. Alij autem (in quam opinionem uulgus omne consen-
tit) asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte
uerum est, Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omniũ

incitata sunt studia. Amathas uero & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse: quod non tam nomine quàm opinione nos quoq; cõprobamus. Idem mox addit Paulum sub Decio & Valeriano persequutoribus, metu tormentorum adactum, relicta urbe, cõmigrasse in desertum, in quo specum repererit atq; in eo latitauerit, donec ab ipso repertus sit Antonio. Tenuerunt imperium Decius & Valerianus circa annum domini 260. mortuus autem dicitur beatus Antonius anno ætatis suæ centesimo quinto, anno autem domini 360. Beatus Augustinus qui epistola 80. ad Hesychium se uixisse testatur anno domini 420. ab Eutropio autẽ ac Beda mortuus refertur anno domini 430. de moribus ecclesiæ catholicæ cap. 31. monachorum sui sæculi mores & institura referens, ea commemorat, quæ alienissima sunt ab institutis nostrorum monachorum. Tempore imperatoris Iustiniani, qui aliquot leges de monasterijs & monachis tulit, uixit quidam Benedictus, quem multi monachorum patrem nuncupant, cuius uitam modo ex Trittenheymio (qui ante annos propè 50. excessit) C. V. recitabo, ut ex ea intelligat quantas uires & dignitates imbelles & cõtempti illi ab initio, successu temporis acceperint. Benedictus abbas Cassinẽsis, inquit, primus fundator institutorq; & princeps monachorum occidentalium, scripsit luculento sermone & præcipua discretione regulam monachorũ libro uno, cuius initium est, Ausculta o fili præcepta. Et capita habet 73. Mortuus est anno 542. Sed Marianus Scotus mortuum autumat anno 601. ultimo anno Mauritij imperatoris. Idem ille commemorat sub Benedicti regula militare ordines uiginti. Ex Benedictinis Romanam sedem habuisse Pontifices XVIII. Cardinales plus quàm CC. Archiepiscopos in diuersis ecclesijs MDC. Episcopos quatuor ferme milia. Abbates insignes qui uita, doctrina & scriptis claruerunt quindecim milia septingentos. Canonisatos autem quindecim milia sexcentos. Vt autem multos alios monachorum ordines non recensеam, constat mendicantes monachos, fideles, sedulos & fortes Papæ & monarchiæ spiritualis, ut uocant, Romanę satellites, ab Honorio fuisse confirmatos, circa annum domini MCCXXII. His autem omnibus nihil aliud effectum uolo, quàm ut intelligant omnes monachismum humana inuentione conditum, non ab apostolis Christi ecclesiæ traditum: & ab initio quidem utcunq; uisum tolerabilem, postremo redditum esse omnino intolerabilem.

Quan-

Quantum enim incommodet reipub. experiẽtia loquitur. Cum religione uera illum ex integro pugnare qui neſcit, omnia neſcit. Fingunt illum eſſe meritorium coràm deo & perfectionis ſtatum. At quis non uideat quàm hoc pugnet cum merito Chriſti, & cum doctrina euangelij ſyncera? Quæ uero pietas aut neceſſitas ſuadet poſt nomina noſtra uni deo in baptiſmo data, eadem etiam dare diuis, & his uouere, eorumq; regulis nos per iuramenti religionem interpoſitam obſtringere? Vetat uera religio nomina dare diuis, his nos qualicunq; modo initiare. Vetat uera religio alios nobis patres & magiſtros deligere. Vetat religio nouos nobis cultus, nouasq; religiones confingere, aut ab alijs confictas recipere. Territat Ieroboami & ſociorum eius exemplum. Vetat uera religio iurare per nomina aliorum deorum. Religio uni deo nos per fidem & obedientiam religat. Superſtitio diſſoluto hoc uinculo, creaturas admittit. S. Paulus ad Corinthios, Vnuſquiſq; ueſtrum dicit (ait) ego quidẽ ſum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Chriſti. Num diuiſus eſt Chriſtus? num Paulus crucifixus eſt pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? En Chriſtus eſt redemptor & magiſter noſter. Chriſti fides in unum nos compegit corpus. Baptiſmo in unũ corpus baptizati ſumus, ut uocemur Chriſtiani, non Petrini aut Paulini. Noluit Paulus denominari Chriſtianos ab apoſtolis, quanto minus hodie ferret alios dici Benedictinos, alios Franciſcanos, alios Dominicanos? Sumus domini peculium: non licet nos addicere in hominum ſeruitutem. Qui autem ſe addicunt, unitatem corporis Chriſti lacerant, crucem & baptiſmum Chriſti prophanant. Diſerte enim dicit apoſtolus, Num diuiſus eſt Chriſtus? num Paulus crucifixus eſt pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Licet ergo ſpirituales uulgo appellentur, nihil minus tamen ſunt quàm ſpirituales. Nam idem ille apoſtolus, Cum dicat unus, Ego ſum Pauli, ait, alter uero ego Apollo, nónne carnales eſtis? Quorſum uero attinebat poſt euangelium Ieſu Chriſti, & doctrinam apoſtolorum omnem pietatem complectentem & tradentem nouas comminiſci regulas? Certè cum ſemel priuatas uiuendi leges adinuenerunt, toto etiam externo uitæ habitu, & moribus omnibus adeoq; & ueſtibus à uulgo Chriſtianorum ſeſe ſeparauerunt, ut uel ita omnibus notum facerent, ſe uelle ſeparatim à uulgari illa & ueluti laica & imperfecta eccleſia, ſanctius, perfectius & ſpiritualiter magis uiuere. Sed quomodo id eis ceſſerit & cedat, uel hodie totus loquitur mundus.

1. Cor. 3.

De Votis monasticis.

Vota quæ uouent ineptissima sunt. Castitatem quam non habent, uouent. Donum dei est castitas, nec omnium est. Et Paulus dicit, Qui se non continent, contrahant matrimonium. Satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Et Vri quidem dixit simpliciter, siue sub uoto, siue extra uotum. Neq; uero decet diuinæ legi pręiudicare humanum & stulte susceptum uotum. Paupertas uero in monasterijs qualis sit, res ipsa docet. Paupertatem ueram exuunt isti cum deponunt uestem uulgarem, & cum cuculla maximas induũt opes. Nam & monachi, quod ueteribus prodigij & monstri loco fuisset, principes fiunt. Vulgares autem omnes uiuunt in otio, & panem suum gratis edunt, contra canonem apostolicum 2. Thessal. 3. Vbi & anathemate percutiuntur. Illi ipsi parentes & cognatos deserunt, quibus iure diuino tenebantur obsequi, atq; inseruire, atq; se addicunt alienis hominibus, à quibus ad infinitas adiguntur superstitiones. Et qui sponte à parentibus manu mittuntur, uel ex superstitione manu mittuntur, uel ut habeant unde tota sua uita in otio computrescant. Vt manifestum sit tales uentris non religionis gratia induere cucullam. Qualis uero illa obedientia quę uerbo dei reuelatæ obedientiæ repugnat ex integro? Dum magistratus iubet istos publica unà cum alijs fidelibus subire ac ferre onera, exempti & immunes sunt perpetuo. Habuerunt quondam ministri peregrinarum religionum sub regibus Iuda priuilegia regalia & consuetudines præscriptione longi temporis confirmatas: sed quoniam ministerium ipsorum destituebatur diuina comprobatione, imò uerbo dei aduersabatur, non impie, neq; iniuste aut sacrilege à pijs regibus dissipata sunt.

Quis uero audiat istorum excusationem, cum admoniti, ut de commissis peccatis agant pœnitentiam, excipiunt se fide iuramenti religari ad ordinem monachicum, ut inde salua conscientia emergere non possint? Etenim constat iuramentum illud quod prætexũt, planè esse temerarium: quod minime præstandum esse ostendi Decad. 2. Serm. 3. Quid obsecro uinculum ab homine sine deo, imò contra uerbum dei cõnexum, uel imprudenter uel scienter, obstringeret? Si tantam habet uirtutem crux Christi, ut nos à maledictione, qua obstricti tenebamur omnes, absoluat, quanto magis liberabit ab extraneis uinculis, non ab ipso deo, sed aliunde, uel hominum stultitia & impietate, uel diabolica arte iniecta? Clamat apostolus Paulus, Precio empti fuistis, nolite fieri hominũ serui. Quod si hominum malitia aut propria inertia facti sumus serui, conandũ est pijs ut restituantur rursus per ueram fidem & obedientiam in

1. Cor. 7.

liber-

libertatem filiorum dei. Euangelium certe annunciatur nobis, ut liberemur ab omni iniqua captiuitate, & seruiamus deo in spiritu & ueritate.

Porrò obijcientibus, Monasteria omnia per orbem reformari oportere ad primam illam simplicitatem: respondemus, hoc nostro illo infelici sæculo frustra, imò stulte sperari. Nec poterunt illa reduci ad antiquam simplicitatem, nec patientur principes & mendici talem fieri reformationem: quia intelligunt suis compendijs, honoribus, & uoluptatibus, multa nedum omnia decedere. At malūt hi totum orbem mutuis bellis collidi, quàm tradere deo regnum suum, quod hactenus obtinuerunt. Vt autem ex his nihil sit periculi, quis uero persuadebit nobis res cœnobiticas, ut maxime reformentur ad primum institutum, nostro illo sæculo uel æque feliciter uel felicius quàm in ueteri illo factitatum uidimus, administrandas fore? Vidimus quale initium habuerint, qualem item progressum, & quale incrementum. Vidimus quid potuerit hypocrisis, ambitio acauaritia, uoluptas ac otium, & quo tandem reciderint omnia. An uero putamus hominum cupiditates hodie fore moderatiores? An putamus nunc disciplinam minus fore à nobis & posteris nostris corrumpendam quàm à maioribus corrupta est? Quinimò non meliora sperare, sed peiora metuere cogimur, qui quotidie deteriora experimur. Viuimus enim in fece mundi, & in extremo sæculi fine, in quo draco ille abyssi, hominum malitia & impietate mirificas acquisiuit uires, omnes res in toto orbe perturbandi & corrumpendi. Vbi tamen illud nos non parum in tantis consolatur periculis, quod uerbū ueritatis habet, dies illos propter electos fore abbreuiandos, & illum breui soluendum tempore, mox autem conijciendum in stagnum sulphuris. Præterea si legitime reformare uolumus, ad fontes ipsos accedamus oportet. At in primitiua ecclesia, in doctrina Christi & apostolorum nihil legimus traditum de monachismo, intelligimus ergo non necessarium esse ecclesiæ: imò didicimus ipsa nos experientia docente pestiferum esse ecclesiæ. Vera ergo reformatio suadet monachismum prorsus abrogare: non reiectis interim aut neglectis ijs, pœnitentiam agentibus, quos temporum iniquitas & sibijpsis & alijs reddidit inutiles, sed in curam & alimoniam ecclesiæ benigne receptis. Hæc autem hactenus per occasionem & obiter diximus de monachismo, cui nullum locum in primitiua Christi & apostolorum ecclesia fuisse indicauimus. Redimus ergo ad reliqua ecclesiæ utilia instituta.

Quid agat ecclesia apud ægrotantes,

Circa ægrotantes & moribundos utitur etiam disciplina fidelis Christi ecclesia. Accurrunt enim uicini & fratres, ac faciunt certatim charitatis seu pietatis officia: iuuant facultatibus indigos, aut si indigi non sunt decumbentes, præstant his alia pietatis officia. Accedit & minister ecclesiæ, qui ægrotum consolans morti præparat, præuia ad deum confessione peccatorum: quorum remissionem si credat uere certò annunciat ex uerbo euangelij. Requirit ab eo quoque condonationem, siue ut in gratiam redeat cum omnibus, ne quid retineat ueteris iræ aut inimicitiarum. Post quæ publica fit ad deum ab ægroto, & ab ijs qui moribundo adsunt, oratio. Admonetur præterea de uarijs, confirmatur in fide, uocatur ad patientiam, & instituitur prout res eius deposcere uidentur: discedens ex hoc sæculo docetur animam suam commendare in manus dei patris iuxta redemptoris doctrinam & exemplum, in ipso mortis articulo exclamantis, Pater in manus tuas commendo spiritũ meum. Atque hanc disciplinam ab ipsis Christi domini apostolis didicimus. Nam Iacobus apostolus, Infirmatur quis inter uos, inquit, accersat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et obsecratio fidei saluum faciet laborantem. Et eriget eum dominus. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Confitemini inuicem alius alij delicta: & orate pro uobis inuicem ut salui sitis. Multum enim ualet deprecatio iusti efficax, &c.

Iacobi 5.

Vngentes eum oleo.

Hæc est apostolica illa disciplina. Si uero rogas ubi sit oleum? Respondeo Iacobi apostoli ætate & aliquot post sequentibus manssisse adhuc in ecclesia miraculosum illud sanandi ægrotos beneficium. De eo legimus in euangelio Marci, Et egressi discipuli prædicabant ut resipiscerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant. Et iterum in eodem, Porrò signa eos, inquit, qui crediderint, hæc sequentur, Per nomen meum dæmonia eijcient, &c. Et mox, Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Quoniam ergo beneficium illud adhuc erat in ecclesia, Iacobus iubet apud ægros usurpare oleum, & usurpare quidem in nomine domini, sicuti præceperat dominus. Cæterum cum illa gratia dudum defierit in ecclesia, & re ipsa experiamur oleum nihil efficere apud ægrotantes, pro ratione nostri temporis, & pro officio nostro, ægrotantium morbos, fomentis morbo congruentibus maxime, adhibitis in nomine Christi, lenire & his medicari satagimus.

Marc. 6.

Marci 16.

Extrema unctio.

Scio quomodo ex hoc apostoli testimonio suam illã extremam unctionem ornare contendant papistæ: sed laborãt frustra. Vt enim

non

non cõmemorem quod Iacobus nihil loquitur de oleo consecrato: & quod isti hanc medicinam non nisi in extremis admittunt, cum Iacobus iubeat quemlibet inungere ægrotantem: quomodo obsecro ex uerbis S. Iacobi tuebuntur, quod sacrificus ægrotum rogat, Credis ne quod propter merita et preces sanctorum dominus uelit exaudire preces nostras? ac respondente moribũdo, Credo, ingerit, Inuocemus ergo deum & sanctos eius. Aut ubi obsecro docuit uel Iacobus, uel alius Christi apostolus, quod ad unctionẽ illam suam proferunt? In nomine patris & filij & spiritus sancti, ungo te oleo sacrato, ut per hanc unctionem accipias plenam remissionem peccatorum tuorum. Quæ oro scriptura docet per unctionẽ illam consequi nos plenam peccatorum remissionem? Fiunt hæc manifeste cõtra primarium religionis nostræ articulum, tradentem per solum Christi sanguinem purgari nos à peccatis omnibus, & plenissime quidem. Huic soli debetur gloria, non oleo aut ulli in toto orbe creaturæ.

De funeribus & sepultura.

Iam & mortuorum corpora non abijcit Christi ecclesia, instar mortui canis. Agnoscit enim corpora templa fuisse eius qui inhabitauit sancti spiritus. Agnoscit corpora sepeliri in resurrectionem & gloriam uitæ æternæ. Colligit ergo corpora honestissime, inuoluit panno et adoperit decentissime, impositaq; loculis defert solicite in cœmeterium uel campum ecclesiasticum, pone necessarijs amicis, uicinis & fratribus consequentibus, ipsumq; funus deducentibus. Cæterum dum deponitur funus & telluri mandatur corpus, fiunt preces publicæ ab his qui deduxere funus. Nam gratias agunt domino, quod in uera fide ex hoc sæculo euocauit mortuum, & orant dominum ut ipsos quoq; uera fide illuminatos mature ad se transferat. Præterea in cœtu ecclesiæ publico cũ honore recitatur demortui fratris, uel demortuæ sororis nomen, omnesq; admonẽtur sortis suæ & ut mature se morti præparent. Atq; ad hũc modum legimus in literis sanctis, patres nostros suos condidisse mortuos etiam sanctissimos. Nihil autem legimus de canonisatione, de reliquiarũ ueneratione, de anniuersarijs & oblationibus pro defunctis, in hoc oblatis ut ex pœnis purgatorij liberentur. Aliquot nobis in ueteri testamento funera, ut Abrahę, Saræ, Isaaci, Iacobi & Iosephi, Aaronis, Mariæ, Iosue, Samuelis & Dauidis &c. in nouo testamento Ioan. bapt. & Stephani describuntur, sed frugalia illa omnia, neq; quicquam habentia superstitionis. Quod Iosephi ossa elata sunt, mysterio elata sunt, & ut inde colligerent Israelitæ se reponendos in terram promissam. Quo & illud pertinet, quod & patriarchæ unam in

Hebron sepulturam elegerunt. Alioqui enim locus nihil facit ad conciliandam uel meliorem uel peiorem corpori sepulto sortem. Iudicandum est enim locum propter sanctorum in ipso sepulta corpora, quodam modo sanctificari aut certe sanctum appellari: non autem corpora quicquam sanctitatis aut salutis ex terra cõtrahere. Ergo, nisi aliud uideatur diuinæ prouidentiq, libenter cubant sancti cum suis maioribus in cœmeterio eodem. Sin deo uideatur aliud, agnoscunt se ab eadem terra ubiq recipi indiscriminatim, nec locorum distantia se separari à suis maioribus. Proinde in ecclesia dei nulla est superstitio circa funera & sepulchra. At quanta fuerit in patu, nemo paucis explicauerit.

Ecclesiæ nõ esse opus legali pædagogia.

Hæc instituta ecclesiæ dei necessaria sunt, & religiose obseruantur citra superstitionem à fidelibus ad ædificationẽ: cætera arbitrio duntaxat hominum inuenta nihil morantur pij. Scio interim quæ hic obijciantur, Veteri populo fuisse uarios multiplicesq; institutos à deo per prophetas ritus & cæremonias, eò quod rudes huiusmodi pædagogia indigerent. Cæterum cum uulgus Christianorum & ipse ferè plus satis sit rudis, non sine spiritus instinctu à patribus tot & tam multiplices inuentas esse cæremonias, quibus & parere oporteat. Respondeo hanc non esse ueram & solidam rationẽ qua infirmis in fide consulitur. Alioqui enim apostoli Christi non tacuissent. Prçterea ita comparatas esse res infirmorum & simplicium ipsa nos docet experientia, ut quo plures eis relinquuntur cæremoniæ, hoc magis dispergantur animi ipsorum in diuersa minusq; ad Christum colligantur, cui uni tribuenda sunt omnia. Nam placuit patri in ipso habitare omnem plenitudinem, & in eodem ut compendio colligere omnia uitæ & salutis nostræ. Quid quod ipsa diuina sapientia è medio sustulit totam illam externam pçdagogiam, discrimine inter nos et illos constituto? Reducere ergo pergeremus Iudaismum, si non desineremus multiplicare ritus uel cæremonias ad ueteris ecclesiæ morem. Olim quidem habuerunt suum usum cç remoniæ illæ, quamuis & hæ non fuerint infinitæ, sed numeratæ. Hodie nullum usum nec locum habent in ecclesia. Neq; grauissima hic authoritate destituimur. Apostoli enim & presbyteri Hierosolymis magna coeũt frequentia in Concilium, in quo Petrus apostolus diserte dicit, eos tentare dominum, qui iugum legis super liberas Christianorum ceruices imponere nituntur. Scribitur & Synodica epistola, in qua unanimiter & spiritui sancto & ipsis testantur placere ne quid amplius imponatur ecclesiæ Christi, quã quod paucis recensent. Vt uel inde inclaresçat, sufficere doctrinam euan-

Actio. 15.

gelij


gelij ecclesiæ, sine legis cæremonijs. Si autem euangelio ritus olim à deo institutos tunc miscri noluit, quanto minus hodie eidem cõ miscere decet humanas adinuentiones? Quibus præterea impie tri buitur, uel ipsa ad gratiam cultúmue dei præparatio, uel salutis no strę portio, ut non minus hodie, quã olim Paulus, dicere possimus, Posteaquam cognouistis deum, quomodo conuertimini denuo ad *Galat. 4.* infirma & egena elemẽta, quibus iterum ab integro seruire uultis? Dies obseruatis & menses, & tempora et annos, Metuo de uobis ne frustra laborauerim erga uos. His omnib. illud quoq; accedit quod hæc pædagogia, de qua isti loquuntur, pertinet ad cultũ dei. At pro hibemur ipsi nobis fingere cultum: prohibetur nobis ne quid insti tutioni ac uerbo dei uel addamus uel detrahamus. Proinde ecclesia dei huiusmodi constitutiones nec instituit, nec ab alijs institutas re cipit. De qua re superius quoq; nonnulla attulimus, cum disserere mus de abrogatione legis, & de libertate Christiana.

SPERO his me Sermonibus quinquaginta totum fidei, pieta tis, siue religionis uerę, ecclesiæq; negotium satis succincta breuita te comprehendisse. Quod autem in omnibus meis Sermonibus & libris inculco, id ipsum hic quoq; repeto, meliora ex scripturis do ctum, meliora libenter & cum gratiarumactione amplexurum.

Domino deo nostro, omnium bonorum fonti inex hausto, sit laus & gloria per Iesum Chri stum dominum nostrum.

FINIS DECADIS QVINTAE.

M. D. LI.


colorchecker DIGITAL SG
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
calibrite
X-rite ColorCheckerSG S/N:151021-1259 Data 15.10.21 Item No.:MX-7181
mm
0
1
2
3
4
5
6